UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Summa Jurisprudentiae Sacrae Universae, Seu Jus Canonicum, Secundùm quinque Decretalium Gregorii Papae IX. Titulos explicatum

Pichler, Vitus

Bibliopolarum Augustanorum, 1723

VD18 VD18 12190187-ddd

Liber V.

urn:nbn:de:hbz:466:1-98739

Visual Library

DECRETALIUM GREGORII PAPÆ IX. LIBER V.

1 CAusas *Criminales* criminaliter intentatas coram Judice & in Judicio Ecclesiastico decidendas persequitur ultimus hic Decretalium liber, seu illas, in quibus super crimine sive delicto aliquo agitur in ordine ad pœnam & vindictam publicam, sicut Liber III. & IV. causas *Civiles*, vel Criminales *civiliter* seu in ordine ad utilitatem & commodum actoris, in Judicium deductas, uti & *Matrimoniales* in specie, examinat. Et sicut Liber II. instruxit Processum Judiciarium *Civilem*, ita præsens Liber V. adornat Processum Judicialem *Criminalem*, atque initio suggerit *modum*, quo delicta deducuntur in Judicium, nimirum *Accusationem*, *Inquisitionem*, & *Denuntiationem*: tum recenset varia *Delicta* in specie, cultui Divino ac Religioni adversantia, charitati proximi contraria, rerum sacrarum abusus, varios excessus, injurias ac damna aliis illata: ac demum *Pœnas* tam Vindicativas, quàm Medicinales, quibus delicta puniuntur, subnectit. Adeóque principaliter agit de *Delictis & Pœnis*.

TITULUS I.

De Accusationibus, Inquisitionibus, & Denuntiationibus.

SUMMARIUM.

1. *Ingressus.*
2. *Tres præcipuè sunt modi, quibus crimina deducuntur in Judicium.*
3. 4. *Quid sit delictum in genere, & delinquere.*
5. *Delictum publicum & privatum.*
6. *Exceptum, Non-exceptum, Notorium, Occultum &c.*
7. *Nemo capax delicti, nisi capax rationis.*
8. 9. *Moraliter quinam sint causa delicti: ubi de ratihabente, & non impediente.*
10. 11. *Quid sit, & quomodo fieri debeat Accusatio.*
12. *Effectus Accusationis.*
13. *Accusare quinam possint.*
14. *Et an aliqui debeant.*
15. 16. *Quinam accusari possint.*
17. 18. *Denuntiatio quid sit, & quotuplex.*
19. *An, quando, & quomodo detur obligatio ad denuntiationem Evangelicam:*
20. *Vel ad Canonicam:*
21. *Vel ad Civilem, præsertim criminaliter faciendam.*
22. *An Judicialiter denuntiare possit socius delicti socium. Ad quid obligentur Officiales non denuntiantes.*
23. *Quomodo per viam Exceptionis delicta deferantur in Judicium.*
24. 25. *Quid & quotuplex sit Inquisitio ejúsque effectus.*
26. 27. *A quo, super quo, & in quos institui possit.*
28. *Ad instituendam generalissimam:*
29. *Item ad Mixtam:*
30. *Et specialem quænam requirantur.*
31. *Quomodo constare debeat de corpore delicti. Et qualis diffamatio præcedere debeat specialem. Item quando Judex teneatur eam instituere.*
32. *Quid observandum Judici in Inquisitione Mansueta, per Interrogatoria.*
33. *Quid in Severa per Torturam.*
34. *An Inquisitus teneatur fateri crimen.*
35. *An pœnâ ordinariâ possit affici.*
36. 37. *Quid si reus deprehendatur in flagranti.*
38. 39. *Quid sit crimen Notorium, manifestum, famosum, publicum, occultum.*
40. *Quomodo procedatur in Crimine Notorio.*
41. *Quomodo practicè instituendus Processus Criminalis remissivè.*

2 TRes præcipuè existunt modi, quibus Processus Criminalis inchoatur, seu crimina & delicta deferuntur in Judicium & ad Judicem. 1. *Accusatio*, quæ alio nomine vocatur etiam *Querimonia*, vel *Actio criminalis*. 2. *Inquisitio*, per ipsum judicem facta tam in criminosos, quàm in crimina. 3. *Denuntiatio* criminosi apud Judicem, vel Canonicâ, vel Civili, vel Evangelicâ. *c. 24. h. t. c. 31. de Sim.* Accusationem debet præcedere legitima inscriptio, Denuntiationem charitativa monitio, & Inquisitionem clamosa insinuatio. *c. 24. f. cit.* Per Accusationem & Denuntiationem procedit Judex ad instantiam vel delationem alterius: per Inquisitionem præcipuè ex officio proprio. Ad Denuntiationem referri potest *Exceptio*, vi cujus nonnunquam crimina manifestantur Judici: ad Inquisitionem *Notorietas delicti*, per *c. 9. h. t.* quare & de hac agendum, cùm in casu notorietatis nec Accusatione, nec Denuntiatione, nec propriè dicta Inquisitione opus sit, & sic procedatur non servato Juris ordine. Pariter cùm Tituli sequentes solùm de delictis in specie, quæ dictis modis in Judicium deducenda sunt, nullus verò de delictis in genere tractet, de his aliqua duxi præmittenda.

§. I.

De Delictis in genere, materia Accusationum &c.

3 SCiendum 1. licèt delictum sæpe confundatur cum crimine, in rigore tamen ab eo differre; nam *crimen* presse acceptum delicta Publica, *Delictum* verò strictè sumptum sola Privata denotat, de quibus statim. Interim tam in Jure quàm in communi usu pro Synonimis usurpari solent delictum, crimen, maleficium, flagitium, facinus, peccatum, scelus.

Sc. 2. *Delinquere* dici illos, qui committunt factum à Legibus improbatum, vel omittunt actum à Legibus imperatum. Delinquere autem quis potest vel *physicè*, per influxum aut concursum realem in delictum: vel *moraliter*, per mandatum, ratihabitionem, consilium, vel non impediendo, cùm impedire posset ac deberet. Rursus vel *principaliter*, nempe proprio nomine, & in commodum proprium: vel *instrumentaliter* aut *ministerialiter*, auxilium vel ministerium conferendo ad delictum, v. g. furi tenendo scalam, sicario suppeditando arma scienter, occasionem elabendi faciendo aut occultando delinquentem, ne puniatur deprehensus &c.

4 Dico 1. Delictum in genere, in ordine ad forum externum à Jure consideratum, optimè sic definitur: *est libera & exterius sensibilis transgressio Legis Divinæ vel Humanæ.* Gletle, & P. Wex *in Appendic. Canonico-Civili de Judic. Criminali. n. 8.* Aliter quidem definire solent Calvinistæ in *pr. Inst. de oblig. quæ ex delicto*, uti quando dicunt: *est factum, quo quis contra Jus læditur, alterius dolò vel culpâ.* Sed hæ & aliæ similes definitiones non complectuntur delicta *omissionis*, seu quæ in omittendo consistunt, sed tantùm *commissionis*. Dixi 1. *libera*, id est scienter & voluntariè facta, sive cum dolo, sive cum culpa; hanc enim sufficere, patet ex delicto Legis Aquiliæ. per *l. 5. §. 1. ff. Ad L. Aquil.* 2. *Transgressio Legis*; ubi enim Lex non datur obligans ad aliquid faciendum vel omittendum, ratio delicti non subsistit: *ubi enim nec est lex, nec prævaricatio*, ait Paulus *Rom. 4. v. 15.* 3. *Divinæ*, qua voce etiam venit Lex Divina Naturalis. 4. *vel Humanæ*; cùm & ista in utroque foro obliget.

5 Dico 2. Delictum dividitur 1. in verum, & quasi-delictum: *verum* est, quod ex dolo, vel culpa vera procedit: *quasi-tale*, ubi datur culpa solùm præsumpta, ut siquis effusione ex cœnaculo damnum inferat &c. quò referas, si Judex male judicet ex imperitia. 2. In Publicum & Privatum: *Publicum* est, quod per aliquam Legem (vel Consuetudinem) effectum est publicum. *l. 1. ff. de publ. Judic.* h. e. quod in ordine ad certos effectus Juridicos ordinatum & publice vindicandum est, eò quòd tendat directè vel contra DEI cultum aut res Divinas, aut contra Principis Majestatem, aut ad læsionem Reipublicæ, vel communis utilitatis, aut personæ privatæ quidem, sed cum aliqua enormitate: qualia sunt Apostasia, Simonia, Magia, Sacrilegium: crimen læsæ Majestatis, & perduellionis, ut cùm quis hostili animo directè aliquid moliatur contra Imperatorem aut Principem etiam inferiorem vel Rempublicam: adulterium, homicidium, parricidium, delictum de vi privata aut publica, veneficium, incendium; huc referunt multi crimen falsi, repetundarum, plagii, ambitus, residuorum, seu siquis pecuniam publicam sibi ad usum publicum datam retinet. Blasphemiam ad crimina publica pertinere negat Gletle *de Crim. in gen. p. 1. c. un. §. 1. n. 2.* eò quòd Jure expressa non sit; at contra Clarum, Gomez, Farinac. &c. In foro Canonico juxta communem DD. omnia delicta habentur pro Publicis, si non de Jure Canonico *can. infames 17. caus. 6. q. 1. & c. 1. de collus. deteg.* saltem de consuetudine vi cujus etiam in foro Civili vix amplius superesse videtur discrimen inter delicta publica & privata, teste Farinac. Decian. & Pirh. *h. t. n. 49.* quando ob delicta privata agitur criminaliter. Illi autem effectus Juridici, ad quos elevata diximus delicta, quæ publica vocavimus, sunt 1. quòd regulariter cuilibet, nisi nempe specialiter prohibeatur, permissum sit accusare reum publici delicti. 2. Quòd actor & Reus per se ipsos, & regulariter non per procuratorem, comparere in Judicio debeant. 3. Quòd condemnatus ex delicto publico regulariter fiat infamis. 4. Quòd accusator, desistens ab accusatione delicti publici post oblatum libellum, puniatur pœnâ tergiversationis, nempe 5. libris auri: quæ omnia aliter se habent in delictis privatis. Sed pleræque hæ differentiæ hodiè ferè recesserunt ab usu fori. *Privatum* dicitur, quod nec per Legem (nec per Consuetudinem) publicè vindicari debet, utpote directè tendens ad læsionem privatæ tantùm personæ, nec elevatum est ad dictos effectus, qualia *pr. Inst. de oblig. quæ ex del.* referuntur 4. nempe furtum, rapina, injuria, damnum injuria datum. Hæc vindicantur actione civili, & privata, ab eo tantùm, ad quem res pertinet, vel qui læsus est. Distinguitur duplex: *ordinarium*, quod certum nomen, certam formam, & certam à Lege pœnam habet taxatam, & *extraordinarium*, quod nec certam à Jure pœnam taxatam habet. *l. 3. §. 1. 2. ff. Stellionatus*, sed punitur arbitriò Judicis. Quare & delictum *Innominatum* datur, quod nempe certum ac specificum nomen non habet in Jure, ac ideo appellatur generali nomine *Stellionatus. l. 3. cit.* ibi: *ubicunque titulus criminis deficit, illic stellionatus objicitur.* v. g. siquis æs oppignorat pro auro, contra eum datur *persecutio stellionatûs.*

Dividitur 3. in Exceptum & Non-excep- 6
tum. *Excepta* delicta sunt, quæ non continentur sub generali dispositione Legis, & ad quæ-

ad quorum accusationem aliqui admittuntur, qui in aliis criminibus, etiam publicis, accusare non permittuntur: qualia de Jure Canonico sunt Hæresis & Simonia, de Jure Civili crimen læsæ Majestatis, & Perduellionis: crimen *Perduellionis*, licèt etiam sit læsæ Majestatis, differt à crimine *læsæ Majestatis in specie*, quòd quis per illud directè in ipsum Imperatorem (& ex dispositione Bullæ Aureæ in Electorem Romani Imperii) vel in Rempublicam aliquid moliatur, adeóque statum Imperii labefactare conetur. *l. 1. l. ult. ff. l. 5. ad L. Jul. Majest.* ut est conjuratio, seditio, proditio: per istud verò indirectè & in alio tantùm, ut siquis contra Principem suum inferiorem, Marchionem, Comitem hostiliter delinquat, falsam monetam cudat &c. vel si tantùm adversùs dignitatem, & superioritatem Summi Principis vel Reipublicæ aliquid machinetur, v. g. si imaginem Cæsaris conflet, privatos carceres habeat, salvum-conductum Principis violet, ejus sigillò utatur &c. Unde apparet à contrario, quid sint crimina *Non-excepta*. 4. *In Ecclesiasticum*, cujus cognitio & condemnatio ad solum Judicem Ecclesiasticum, uti hæresis, apostasia, Simonia: & in *Sæculare*, cujus disceptatio ad solum Judicem sæcularem privativè pertinet, uti crimen læsæ Maiestatis, homicidii, peculatûs, seu furtum pecuniæ publicæ &c. *Mixtum* ex utroque, cujus disceptatio pertinet ad utrumque forum, Ecclesiasticum & Sæculare, uti usura, blasphemia, incestus &c. Sed in his criminibus, in quantum agitur ad pœnam sanguinis, vel corporis afflictivam, se immiscere non solet Ecclesia, sed relinquere punitionem foro Sæculari. 5. In *Notorium*, quod ita manifestum est, ut excusatione celari, aut sine impudentia negari non possit: si Reus illud est confessus, vel de eo convictus, vel in Judicio condemnatus, dicitur *notorium de Jure*: si verò in conspectu populi, & in præsentia saltem 6. vel 10. personarum, est commissum, nec tergiversatione vel excusatione ulla defendi potest, *notorium de facto*. per *c. 7. & 8. de Cohabit. Cleric. & Mul.* Et in *occultum*, quod dictò modò manifestum non est, nec de Jure nec de facto.

7 Dico 3. Delicti committendi capaces tantùm sunt, qui pollent usu rationis & libertate. Ratio est clara; cùm delictum sit *libera* transgressio Legis, ac proin cognitionem prævium, & potestatem tam faciendi quàm omittendi in agente vel omittente aliquid contra legem supponat. Unde infantes ante septennium vel sunt vel saltem præsumuntur esse incapaces delicti proprie dicti & pro foro Judiciali: item furiosi & mente capti, nisi quando habent fortè lucidum intervallum: in dubio, an tempore furoris vel lucidi intervalli probrosum quid fecerint, præsumendum est in foro externo pro furore. Gletle in *Jurisprud. Terrib. p. 1. c. an. §. 3. n. 25.* Huc pertinent dormientes, & plene ebrii, nisi eo fine se inebrient, ut fiant audaciores ad delinquendum: at ebrii imperfectè vel semi-plenè non excusantur, quia adhuc intelligunt, quid prohibitum sit vel non: idem ferè est de semi-fatuis, substupidis, vel melancholicis, item de infantiam quidem egressis sed impuberibus adhuc, in ordine ad pœnam ordinariam, quæ solet esse mitior, sicut immaturior vel imperfectior est intellectus, licet absolutè tanto rationis lumine polleant, ut bonum à malo discernere valeant. Circa iratos, vel passione alia turbatos, distinguendum est, an ira (vel passio) fuerit tanta, ut præverterit usum rationis, tanquam motus primò primus, ut ajunt, quod tamen rariùs contingit; vel an solùm perturbaverit mentem, & rationis lumen nonnihil obscuraverit: in priori casu expertes sunt delicti & pœnæ, non in posteriori, sicut nec semi-ebrii. Unde videmus eos, qui in crapula, vel æstu iræ rixantur vel occîdunt, in utroque foro insigniter puniri, sæpe etiam pœnâ ordinariâ: quis enim occidit alterum, nisi stimulatus irâ?

Dico 4. Qui mandat, vel consulit, vel antecedenter ratihabet delictum, ita ut seclusò mandatò, consiliò, vel ratihabitione non fuisset patratum, æquè sit reus delicti & pœnæ, ac si ipse perpetrâsset physicè. *l. 1. §. 12. ff. de vi & vi arm. l. 36. pr. & l. 52. §. 21. ff. de furt. l. 152. §. 2. ff. de R. J. c. penult. de sent. Excomm. in 6. cum c. 10. de R. J. in 6.* Ratio, quia tales verè sunt causa moraliter effectiva delicti. Secus foret, si mandans revocâsset priùs suum mandatum, vel consulens suum consilium, ratione suasivâ etiam refutatâ, vel ratihabens suam approbationem, & hæc revocatio fuisset intimata alteri ante patratum delictum; tunc enim mandatum, consilium, ratihabitio, cùm non ampliùs existeret, utique non influeret in delictum; vel si exequens delictum non fuisset motus ad id per mandatum, consilium, ratihabitionem, sed à propria malitia; quia tunc non effectivè, & efficaciter delinquerent isti, licèt affectivè peccarent. Idem est, siquis post delictum jam perpetratum approbet illud, & ratihabeat; nam in delictis ratihabitio non retrotrahitur, nec æquiparatur mandato, uti tamen generaliter ait *c. 10. cit.* cùm *ratum quis habere non possit, quod ipsius nomine non est gestum. c. 9. eod.* non autem geritur alterius nomine, quod antecedenter, antequam fiat, non approbatur ab illo. 8

Quæres, an ejusdem cum delinquente delicti reum se faciat, qui illud non impedit, cùm posset? R. si impedire teneatur ex justitia, ejusdem delicti, quod est contra justitiam, fit reus. per *l. 3. §. ult. l. 6. §. 8. ff. de re milit.* Non verò si solùm ex charitate teneatur. per *l. 2. ff. de Leg. Pomp. de Parricid.* tunc enim, licèt delictum sit contra Justitiam, non impediens tamen solùm peccat contra charitatem. Et hinc priori casu tenetur ad restitutionem vel resarcitionem damni illati non impediens, non verò in posteriori. 9

§. 2.

§. II.

De Accusationibus.

10 SCiendum 1. *Accusationem* propriè huic loco sumptam, & prout opponitur Actioni Civili, juxta communem ex §. *10. Inst. de injur. & l. fin C. h. t.* in hunc sensum definiri: est *delatio & persecutio criminis apud competentem Judicem publicæ vindictæ causâ & legitimè facta.* Ab *inquisitione* differt per verbum *delatio*; hanc enim ex instituto factam non requirit Inquisitio, sed sufficiunt indicia alia, vel fama. A *Denuntiatione*, quòd hæc non semper fiat publicæ vindictæ causâ, sed privatæ correctionis ergo, si sit Evangelica, vel utilitatis quidem publicæ nonnunquam, at sine pœnæ intentione, si sit Canonica: item quòd denuntiantis non sit insistere delationi factæ, bene tamen accusantis. Ab *utraque* autem per formam & modum aut solennitatem, quam requirit Accusatio, non verò Inquisitio, vel Denuntiatio: eámque insinuavi per vocem *legitimè*. Unde

11 Sc. 2. Ut Accusatio fiat *legitimè*, requiri 1. oblationem libelli, in quo scriptum sit nomen Accusatoris: Rei: Judicis: facti species accurata, seu expressio delicti cum suis circumstantiis quoad complices, locum, tempus, ita ut etiam dies & hora, si id ad purgationem Rei faciat, & iste exigat, exprimi debeant. Conclusio tamen, seu petitio pœnæ non est exprimenda; cùm Judex per se teneatur infligere pœnam, quæ à Jure determinata est, & eam scire præsumatur, vel, si determinata in Jure non sit, ab ipsius arbitrio pendeat. 2. Inscriptionem Accusatoris, qua se obligat ad pœnam *Talionis*, h. e. ad illam pœnam, quæ probato crimine subeunda foret accusato, casu quo in probatione criminis deficeret. Si verò probet quidem, at non plenè, Reus non statim absolvitur, sicut in causis Civilibus Actore non probante, sed adhibetur *tortura*. 3. Hodiernis saltem moribus cautionem per fidejussores vel pignora de prosequenda lite usque ad finem Judicii, de solvendis expensis, si Accusator non sufficienter probaret delictum, & de damno, siquod patiatur Reus ex accusatione delicti non probati resarciendo: quam cautionem si non præstet Accusator, detinendus est in custodia, usquedum vel probet crimen alteri objectum, vel urgentia ejus indicia demonstraverit. Interim tam oblationis libelli necessitas, quàm Inscriptio ad pœnam Talionis, de consuetudine saltem, in foro Civili hodie abrogata est, ne metu hujus pœnæ absterreantur homines ab accusatione delinquentium cum damno Reipublicæ: sed huic Inscriptioni subrogata nunc est pœna arbitraria, & cautio supra dicta de satisfactione pro injuria & damno, atque expensis. In arbitrio autem accusatoris est hodie, an in scriptis, vel oretenus, accusare velit, an per libellum solennem, vel per simplicem querelam. Ex quibus apparet, Accusationem strictè sumptam ab usu fori recessisse, & crimina in Judicium deferri vel per Accusationem verbalem, & non solennem, vel per Denuntiationem Judicialem, vel per Inquisitionem, vel per constitutos *Procuratores fisci*, ut vocant.

Sc. 3. Effectum Accusationis ex parte *Judicis* 1. esse potestatem citandi accusatum, etiam realiter per capturam, si delictum sit grave, præcedente tamen probabili conjecturâ criminis ab accusato patrati, eumque servandi in custodia, vel etiam in carcere vinculis ligatum, si persona sit vilis, de fuga & effractione suspecta: si tamen pœna, ad quam agitur, non sit corporalis, pro apprehensione reali & per lictores rectè admittitur cautio idonea de *Judicio sisti, & judicatum solvi*. 2. Obligationem observandi ea, quæ ad Processum Judiciarium requiri diximus in Lib. II. uti est citare Reum, procurare contestationem litis, exigere probationes criminis ab Accusatore, audire exceptiones Rei, ferre sententiam &c. Ex parte *accusati* autem inhabilitatem ad Dignitates, quamdiu pendet accusatio. *c. 4. h. t.* Si tamen accusationem illius, de quo eligendo ad Dignitatem Ecclesiasticam agitur, non præcessit infamia, electio per illam non impeditur. *c. 13. & 23. eod.* cùm non debeat esse in potestate maligni hominis sola objectione criminis aliquem impedire à promotione Ecclesiastica. Denique ex parte *accusantis* obligationem plenè probandi delictum, & non desistendi ab accusatione cœpta publici criminis sine consensu accusati, & licentia Judicis justa de causa, quia v. g. error deceptus accusavit. Secus, incurreret pœnam infamiæ, & 5. librarum auri cum obligatione ad damna & expensas reparat. tas, ac ad perpetuum silentium de eodem crimine. *l. 2. ff. l. 3. C. ad S. C. Turpil. l. 3. ff. de Prævaric. l. 2. 3. 6. C. de his, qui accusar.* Si crimen privatum fuit delatum, & accusans sine justa causa & licentia desistit ab accusatione; pœna est arbitraria. *l. 7. ff. ad S. C. Turpil.*

Dico 1. Accusare criminaliter possunt 12
omnes, qui non specialiter prohibentur à Jure propter unam ex sequentibus causis, *l. 8. seqq. ff. h. t. can. 14. caus. 2. q. 1.* Prohibentur autem 1. ob *ætatem* impuberes seu pupilli. 2. Ob *sexum* mulieres. 3. Ob *sacramentum*, scilicet militare, milites saltem in actuali expeditione. 4. Ob *officium* Magistratus Superiorem in jurisdictione non agnoscens. 5. Ob *statum* servi. Item Clerici & Religiosi respectu Laicorum. *can. 6. 51. caus. 2. q. 7.* præsertim in ordine ad pœnam sanguinis. *c. 9. Ne Clerici vel Mon.* Non tamen prohibentur ex rationabili causa accusare Clerici suum Episcopum & Religiosi suum Prælatum. *c. 11. h. t.* cùm Monasterii & Ecclesiæ interest non habere malum Prælatum. 6. Ob *conditionem* pauperes, qui minùs, quàm 50. aureos in suis facultatibus numerant; quod tamen juxta hodiernos mores non procedit de pauperibus integræ vitæ.

7. Ob

7. ob *crimen* seu *delictum* infames, & quidem de Jure Civili tantùm infames infamiâ Juris, de Jure Canonico autem etiam infames infamiâ facti. *can. 18. q. cit. can. 17. cauſ. 6. q. 1.* Item excommunicati. per *c. 7. de Judic.* quia ſtare in Judicio non poſſunt. Præterea *criminoſi*, ſicut infames de Jure Canonico omnes, de Jure Civili autem illi, qui jam ipſi propter delictum ſunt accuſati, & facta litis conteſtatione jam inter Reos cenſentur, niſi priùs ſe purgaverint. *l. 19. C. de his, qui accuſar.* vel niſi quis gravius crimen alteri objiciat, quàm ſit illud, cujus ipſe eſt accuſatus. *l. 1. C. eod.* 8. ob *turpem quæſtum*, qui pecunias accuſationis causâ acceperunt. 9. ob *ſuſpicionem calumniæ*, qui gravem inimicitiam gerunt erga Reum. *c. 10. 13. 19. h. t.* Item qui aliquando ſubornati dixerunt falſum teſtimonium, vel jam ſemel calumniati ſunt. Huc etiam referas Paganos, Judæos, hæreticos non toleratos in ordine ad accuſandos Chriſtianos. *can. 24. 25. cauſ. 2. q. 7.* 10. ob *defectum mentis* furioſi, mente capti, prodigi. 11. ob *defectum corporis* muti & ſimul ſurdi à natura; quia ſuam voluntatem ſatis explicare nequeunt. 12. ob *reverentiam* liberi ſuos parentes & aſcendentes in linea recta, libertus patronum, diſcipulus magiſtrum. per *l. 4. §. 1. ff. de in jus vocando.* Item vaſallus dominum, alumnus educatorem, & Laicus Clericum. 13. ob *conjunctionem ſanguinis* parentes ſuos liberos, niſi iſti illis inſidias ſtruxerint, aut violentas manus intulerint: fratres & ſorores ſe invicem, niſi unus alteri inſidias ſtruxerit. *l. 13. 14. 18. C. de his, qui accuſar.* Sed notandum, prædictos plerosque (exceptis fortè ſolis ratione privatis, capitalibus inimicis, & excommunicatis non toleratis) communiter ab Auctoribus admitti ad accuſandum, quando ſuam vel ſuorum injuriam perſequuntur. *can. 14. cit. & l. 11. ff. h. t.* per *ſuos* intelligit Farinac. *l. 1. q. 12. n. 58.* cum Gomez conſanguineos usque ad ſextum gradum, vel usque ad 4. gradum in computatione Juris Canonici: vel quando crimen eſt valde atrox, uti Hæreſis, Simonia, crimen læſæ Majeſtatis. Vel quando agitur de Eccleſiæ, Monaſterii, vel publica utilitate. Vel quando nec Reus per exceptionem, nec Judex eos repellit ex officio. Denique cùm hodie abrogatum ferè dixerimus accuſationem proprie dictam, non magni refert, quinam accuſare poſſint, vel non, eò quòd Judices denuntiationem vel querelam hodie recipiant à quocunque porrectam, & poſtea per Inquiſitionem ſoleant procedere. Adde, quòd in utroque foro conſtituantur Fiſcales & Syndici, ſeu Procuratores Fiſci, qui ex officio ſuo tenentur deferre crimina.

14 Quæres, an quis Reum nullâ laborantem infamiâ poſſit. 2. Vel debeat accuſare. 3. An nullâ prævia admonitione? R. ad 1. affirmativè, modò delictum non ſit ita occultum, ut ab Accuſatore probari ſufficienter nequeat. Neque dicas, legem charitatis non admittere, ut per accuſationem manifeſtetur delictum alterius occultum, Leges autem Poſitivas ad Criminalem proceſſum exigere diffamationem, notitiam publicam, & indicia criminis urgentia. Siquidem accuſatio ſpectat utilitatem publicam, quæ meritò præfertur famæ privati hominis delinquentis: notitia autem publica criminis non ſolùm per diffamationem vel alia indicia æquipollentia, ſed etiam per probationem convincentem accuſatoris obtinetur. Nulla autem exiſtit lex, quæ determinatè exigat diffamationem. R. ad 2. negativè, niſi per accidens ex omiſſione accuſationis vel Reipublicæ, vel homini privato immineret damnum, alia ratione, v. g. denuntiatione, monitione &c. non impedibile vel reparabile; tunc enim lex charitatis obligaret ad accuſandum. R. ad 3. cum diſtinctione: ſi delictum eſt occultum, nec de eo præceſſit diffamatio (licèt abſolutè per duos vel tres teſtes probari poſſit) ac inſuper nec Reipublicæ nec privato timetur grave damnum, vel ſaltem impedibile per privatam admonitionem delinquentis, lex charitatis obligat (non juſtitiæ, ut habet Leſſius & alii contra Palao) præmittere admonitionem privatam, ut parcatur famæ delinquentis: ſi verò ex omiſſione accuſationis timeatur damnum Reipublicæ aut privati, non impedibile per admonitionem privatam, ſeu ſi Reus per privatam admonitionem non credatur emendandus, & non inducendus ad ſatisfactionem parti læſæ, illâ omiſsâ licitè accuſatur; præſertim cùm accuſatio per ſe non tam ad emendationem delinquentis ordinetur, quàm ad vindictam publicam in bonum commune.

Dico 2. Accuſari viciſſim poſſunt iterum 15
regulariter omnes delinquentes. *l. 12. pr. ff. h. t.* Excipiuntur autem 1. Legati, & qui Reipublicæ causâ abſunt, item Magiſtratus majores, & temporales, quamdiu officium & jurisdictionem exercent. *l. 12. cit.* 2. Supremi Principes Superiorem non recognoſcentes, uti Papa, Imperator, Rex. *can. 13. cauſ. 9. q. 3. Bulla Aur. c. 5. §. 3.* At in *can. 6. d. 40.* excipitur Papa quoad crimen hæreſis. 3. Infantes, furioſi, mente capti; quia delicti non ſunt propriè capaces. 4. Impuberes, ſaltem in ordine ad pœnam ordinariam. *c. 1. de delict. pueror.* ob imprudentiam ætatis. 5. Abſentes à loco Judicii in ordine ad pœnam relegationis majorem, quo caſu, licèt accuſari valeant in ordine ad effectum, ut citari poſſint, ſententia tamen contra eos, utpote indefenſos, ferri nequit, ſed judicium manet ſuſpenſum per annum, & interea annotantur citati & malitiosè abſentis vel latentis bona, ſeu in Inventario diſtinctè deſcribuntur, obſignantur, atque arreſtantur, &, ſi intra annum non compareat, hæc bona cedunt fiſco, niſi poſtmodum comparens purget contumaciam. *l. 1. pr. & §. 2. 3. l. fin. ff. de requirend. vel abſent. condemnand. l. 6. C. h. t.* ac inſuper condemnari poſt annum poteſt ad pœnam pecuniariam, infamiæ,

miæ, relegationis, nunquam verò ad pœnam capitis, vel relegatione majorem. *l. 5. pr. ff. de pœn. c. 8. de dolo.* Imò de Jure Canonico etiam ante anni lapsum per censuras ad comparendum cogi potest, si ejus persona vel bona apprehendi nequeant. 6. Qui accusationi jam præscripserunt. *l. 3. ff. de requir. vel absent. condemn.* tempus autem præscriptionis hujus ordinarie sunt 20. anni à die perpetrati criminis; quamvis delictis carnis (exceptô stuprô cum vi publica, & adulterio cum incestu) & crimini peculatûs præscribatur 5. annis: nunquam verò, per quodcunque tempus, accusationi criminis hæresis, læsæ Majestatis, parricidii, suppositi partûs, assassinii, falsæ monetæ &c. ut notant DD. licèt de singulis non extstet textus Juris. 7. Mortui. *l. fin. ff. ad L. Jul. Majest. l. 20. ff. h. t.* cùm delicta & pœnæ suos debeant tenere auctores. Excipe crimen hæresis, læsæ Majestatis, repetundarum &c. nam bona eorum, qui talium criminum sunt rei, de Jure applicantur fisco, & læsis, licèt jam demortui sint ante condemnationem. Crimen *Repetundarum* vocatur, quando constitutus in publico officio pecunias vel munus accipit, ut vel officium suum impertiatur, vel contra illud faciat. Item excipe casum, quo quis ante obitum condemnatus est ad pœnam pecuniariam tantùm, lite priùs cum defuncto contestata; tunc enim ad eam obligatur etiam hæres. 8. Qui semel accusatus, & per sententiam definitivam validam in foro externo vel absolutus vel condemnatus est, de eodem crimine accusari denuo prohibetur etiam ab alio; nisi nempe iste, prioris accusationis ignarus, suam vel suorum injuriam prosequeretur; vel doceret, in prima accusatione prævaricationem interveniisse aut collusionem; vel nisi in primo Judicio fuisset tantùm civiliter accusatus; vel tantùm ab observatione Judicii absolutus. *c. 6. h. t. l. 7. ff. & l. 9. C. eod. l. 3. §. 1. ff. de Prævaricat.* Dices, in *l. 3. C. quib. res judic. non nocet.* habetur, inter alios acta & judicata aliis nec obesse nec prodesse tam in causis criminalibus quàm civilibus: ergo tertius liberè accusare permittendus est semel absolutum super eodem crimine. R. In criminalibus illa regula solùm procedit, quando Reus non est absolutus per calumniam aut collusionem cum Adversario. *l. fin. ff. de Prævaricat. l. 11. C. h. t.* vel quando fuit tantùm absolutus ab observatione Judicii, vel non per sententiam, sed per transactionem aut viam exceptionis, vel quando posterior accusator non suam vel suorum injuriam persequitur, prioris accusationis ignarus, vel quando denique priùs non fuit actum criminaliter.

16 Quæres, an laicus semel accusatus super crimine mixti fori, & in uno foro, v. g. Ecclesiastico condemnatus vel absolutus, possit denuo accusari & puniri in altero foro, v. g. sæculari, aut vicissim? R. 1. an talis, in uno foro *absolutus*, in altero possit opponere exceptionem rei judicatæ, & liber sit à nova accusatione & punitione, controversum est inter DD. Negat Clarus, & profe ait stare communem DD. & praxim tribunalium. Id tamen aliis videtur pugnare contra *c. 6. l. 7. 11. & 14. ff. h. t.* ubi negatur, per sententiam absolutum de eodem crimine accusari denuo posse. R. 2. *condemnatus* in uno foro, at pœnâ ordinariâ, vel delicti commensuratâ, non punitus denuo accusari & ab altero Judice puniri potest, modò caveatur, ut pœna ab utroque Judice inflicta & simul sumpta non excedat pœnam delicto commensuratam, & ordinariam. *c. 5. de pœnis in 6.* ubi habetur, quòd punitus in foro Ecclesiastico adhuc puniri possit in foro sæculari; quia pœna spiritualis & medicinalis, quæ ferè in foro Ecclesiastico infligi solet, non tollit temporalem, nec ista illam. Si verò in uno foro fuisset pœnâ ordinariâ & condignâ affectus, in altero foro rursus accusari & puniri non posset, uti decidunt in *c. fin. de Except. in 6.* Ibi enim habetur, quòd sententia lata in uno foro pariat exceptionem rei judicatæ in altero foro; idque suadet æquitas naturalis, ne idem delinquens super eodem delicto judicetur & puniatur bis.

§. III.

De Denuntiationibus.

SCiendum 1. *Denuntiationem* in genere sic posse describi: *est minùs solennis, legitimè tamen facta, delatio seu manifestatio criminis, vel criminosi, vel utriusque apud Superiorem, vel tanquam Patrem, vel tanquam Judicem.* Bonitas hujus descriptionis patebit ex dicendis, ex quibus constabit, eam non futuram omnino generalem, omnibus denuntiationum speciebus convenientem, & ab Accusationibus distinctam, nisi dicta omnia complectatur: per tò *minùs solennis* inter alia differt ab Accusatione stricte sumpta: per tò *legitimè facta* denotatur modus, qui in ea adhiberi debet: per tò *criminis* non solùm intelligitur crimen jam commissum, sed etiam omissâ denuntiatione faciendum, adeóque & impediendum, ut comprehendatur denuntiatio Canonica. Nam Canonistæ Denuntiationem communiter dividunt in *Evangelicam, Canonicam, & Civilem*, Theologi verò, & fortè melius, in *Evangelicam & Judicialem*: hanc verò primùm in *Canonicam & Civilem*. Nec in omni Denuntiatione necesse est intendere vindictam publicam, sicut in Accusatione. Itaque

Sc. 2. *Denuntiationem Evangelicam* vocari illam, quam Christus in Evangelio *Matth. 18.* docuit & præcepit his verbis: *si peccaverit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum, vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ,* h. e. denuntia Superiori vel Judici Ecclesiastico tanquam Patri, ut corrigatur non tan-

quam

quam Judici, ut Judicialiter contra eum procedat, & condignè puniatur peccans. Ly *in te*, idem est, ac coram & sciente te, uti interpretantur S. August. & S. Chrysost. vel *contra te*, tanquam privatum, uti advertunt alii DD. *Si te audierit*, idem est, ac *si se emendaverit*. Finis hujus denuntiationis est emendatio delinquentis, modus autem consistit in prævia monitione duplici, unâ secretâ inter te & ipsum solum, quia Lex charitatis non permittit, ut diffametur coram aliis proximus, si corrigi alia ratione possit, altera coram uno vel duobus testibus, antequam delinquens deferatur ad Superiorem, ab eo corrigendus tanquam Patre: atque hinc ista denuntiatio vocatur etiam *Paterna*, vel *Fraterna*, vel *Charitativa*, aut *correptio Fraterna*. Denuntiatio *Judicialis* est, quæ fit Superiori tanquam Judici, ut is judicialiter procedat contra delinquentem, inquirendo ulteriùs in delictum vel causam, ac Reum debitâ pœnâ afficiendo, vel condemnando ad satisfaciendum, vel remedium afferendo. *Canonica*, sic dicta, quia à Jure Canonico introducta, est delatio alicujus personæ, vel criminis, ad Judicem Ecclesiasticum sine solennitate, ad impediendum, ne fiat aliquid illicitum, vel ut evitetur scandalum, aut damnum, v. g. ne ordinetur, instituatur, eligatur, promoveatur aliquis indignus, ne contrahatur Matrimonium cum impedimento, vel ut sic contractum dissolvatur, ut læso infrà dimidium justi pretii satisfiat, ut Prælatus malus, & Ecclesiæ noxius, ac incorrigibilis deponatur &c. *Civilis* denique, quam multi Canonistæ & Legistæ confundunt cum *Judiciali*, sic appellata, quia à Jure Civili orta, est minùs solennis delatio criminis ad Superiorem tanquam Judicem legitimè facta à ministris publicis ad id deputatis (quos *Fiscales*, aut *Procuratores Fisci*, Ambts-Kläger/ nuncupant) vel etiam à privatis, ut habet consuetudo, teste Claro & Pirhing, *h. n. 89.* eum in finem, ut Judex procedat postea per Inquisitionem ex officio contra delinquentem. Estque duplex, Publica & Privata: *Publica* spectat vindictam, & satisfactionem Reipublicæ per crimen læsæ, sicut Accusatio; cui succesit, & à qua parùm differt, nisi quòd non requirat inscriptionem ad pœnam Talionis, & denuntians se non obliget ad probandum crimen, & causam judicialiter prosequendam, sed ei sufficit, quòd illud detulerit ad Judicem, nominaverit testes, vel suggesserit indicia, & probationes, ac ea, quæ de crimine novit; quia denuntiatio hæc solùm aperit viam Inquisitioni Judicis, ut loquuntur Criminalistæ ex *l. 7. 14. C. h. t.* si tamen deprehenderetur privatus aliquem detulisse sine probabili fundamento, ac temerè, tanquam calumniator puniendus esset, sed arbitrariè. In denuntiatore publico sufficit minoris probationis suggestio propter necessitatem officii ad denuntiandum, nec punitur ut calumniator, nisi absque omni probabilitate deferat delictum, ut notat Engel *h. n. ult.* & colligitur ex *l. 6. ff. de custod. & exhibit. reor.* Atque hæc denuntiatio publica de Jure fieri deberet in scriptis, & in libello exprimi nomen denuntiantis, nomen denuntiati, locus & tempus delicti, adeóque exigeret aliquas solennitates, sicut Accusatio: verùm hodiernis moribus & ista in desuetudinem abierunt. *Privata* est, quando denuntians indebitè vel iniquè gravatus, cui de Jure non datur actio, vel potestas accusandi, uti actio negatur læso infra dimidium justi pretii, & potestas accusandi patrem filio, intendit suum interesse, reparationem damni &c. vel quando aliquis à potentiore oppressus suum gravamen denuntiat Judici, ut is ex officio remedium afferat. Unde nonnunquam denuntiatio *Civilis* vocatur illa, quæ à privato instituitur non ad vindictam publicam, sed ad interesse proprium, & quandoque vix differt à Canonica, nisi quòd hæc pro fine habeat non tam interesse proprium, quàm evitationem peccati vel scandali.

Dico 1. Denuntiatio *Evangelica* delicti occulti omnibus permissa est. 2. Imò regulariter præcepta. 3. Observato tamen ordine duplicis monitionis prævia à Christo præscripta. Pars 1. constat ex eo, quòd cuilibet, etiam infami, mulieri &c. lex charitatis permittat proximi emendationem & salutem procurare, quam spectat ista denuntiatio. 2. Ex allato textu *Matth. 18.* ubi præceptum, & non merè consilium, nobis à Christo proponi constans est PP. & DD. sententia. Addidi tamen, *regulariter*, nempe nisi delictum sit notorium, vel communitati valdè præjudiciosum; hujusmodi enim potest denuntiari judicialiter Superiori tanquam Judici; cùm textus dicat, *peccaverit in te*, non in multitudinem publicè; imò debet judicialiter denuntiari, quando denuntiatio Evangelica non sufficit ad tollendum scandalum, vel præjudicium communitatis, aut tertii, ut si delictum sit proditio, conspiratio, hæresis, susurratio &c. Deinde si denuntiatio Evangelica non credatur profutura ad emendationem delinquentis, juxta illud Augustini in *can. 4. de Pœnit. dist. 7. si scirem, tibi non prodesse, non te admonerem, non te terrerem*; vel si ipsi denuntianti, vel monenti damnosa aut præjudicioса graviter censeatur: ex quibus capitibus plurimi excusantur, & rarò est obligatio monendi, consequenter denuntiandi Evangelicè. Pars 3. ex eodem præcepto Christi, ut illud explicat communis cum Innoc. III. in *c. 13 de Judic. & c. 31. de Sim.* ubi clarè præscribitur prævia duplex monitio; quia tamen sæpe adest una ex prædictis causis excusantibus à monendo prævie, rarò stringit obligatio monendi, adeóque denuntiandi Evangelicè, apud Religiosos autem rarissimè, qui ordinariè meliùs & efficaciùs emendantur per admonitionem Superiorum, si ad hos immediatè fiat denuntiatio; in Societate JEsu verò (& teste Reiffenstuel *h. n. 72.* etiam in Religione Seraphica) nunquam omnino; quia in illa subditi 13

diti ex speciali Ordinatione & pacto contenti esse debent, si eorum delicta, independenter à Confessione Sacramentali cognita, immediatè deferantur ad Superiorem tanquam Patrem.

20 Dico 2. Ad Denuntiationem *Canonicam* regulariter tenentur omnes, nec opus est monitione prævia. Sumitur ex *c. 13. de Judic. c. 12. de Sponsal. c. 13. de despons. Impub. c. fin. de Cland. desponſ.* Ratio; quia id exigit lex charitatis, & obedientia SS. Canonibus debita. Dixi, *regulariter*, si nempe sine gravi incommodo denuntiantis fieri possit, & judicetur profutura ad peccatum, vel damnum *tertio* imminens impediendum; & si denuntiatio Evangelica prævideatur non suffectura, aut fieri nequeat absque incommodo. Item excipitur denuntiatio Canonica *Specialis*, ut eam vocant, superioris vel Prælati, qui malè præest, vel administrat; hujus enim denuntiatio Canonica non omnibus permissa est, sed iis tantùm, quorum interest, habere bonum Superiorem vel Prælatum, & quidem si is post binam vel trinam admonitionem perseveret esse incorrigibilis. per *can. 45. 46. cauſ. 2. q. 7. c. 1. de Offic. Custod. c. 2. 3. fin. h. t. c. 31. de Sim.* Notat etiam P. Engel *de for. comp. n. 63.* non malè, Superiorem Ecclesiasticum, cui Canonicè denuntiatur Laicus, non statim semper tali denuntiationi deferre debere, & judicialiter procedere, si læsio non sit valde excessiva, vel si timeantur aliæ incommoditates, v. g. contemptus censuræ; aliàs enim dabitur ansa infinitis litibus, & cavillandi quoscunque contractus &c. *nec* enim, *quidquid Judicis potestati permittitur, Juris necessitati subjicitur. l. 40. ff. de Judic.* Quod maximè locum habere puto, siquis ad avertendum damnum *proprium* non magni momenti facere velit denuntiationem Canonicam, ad quam faciendam non datur obligatio; cùm quilibet cedere possit suo jure & favore pro se specialiter introducto.

21 Dico 3. Ad Denuntiationem *Civilem*, prout coincidit cum *Judiciali*, per se quidem nemo obligatur. 2. Eam tamen facere nullus prohibetur, si faciat amore boni publici, & ad extirpationem criminum. 3. Modò sit habilis ad accusandum, 4. Et delictum non sit ita occultum, ut legitimè probari nequeat: nisi vergat in præjudicium communitatis, vel tertii. Pars 1. colligitur à pari cum accusatione, quam paucis exceptis, ferè in omnibus imitatur denuntiatio Judicialis. Addidi tamen, *per se*; nam per accidens, si delictum foret graviter noxium Reipublicæ, vel tertio, aliud autem remedium mitius, v. g. privata monitio, vel denuntiatio Evangelica, non certò crederetur sufficere, foret obligatio denuntiandi Judicialiter; cùm quivis, si non ex Justitia, saltem ex charitate teneatur alienum malum avertere juxta communem, modò absque gravi suo damno aut periculo denuntiationem instituere possit; imò, si delictum cederet in damnum Communitatis, nec proprium privati hominis periculum liberaret à denuntiando. 2. Exinde; quia talis denuntiatio servit ad bonum publicum per sumptionem vindictæ publicæ, qua punitur delinquens, licèt credatur delictum non ampliùs repetiturus, aut jam emendatus sit, utiliter in exemplum & terrorem aliorum. Concordat *can. 3. cauſ. 11. q. 3. can. 3. cauſ. 6. q. 2.* 3. Qui, qui inhabilis est ad accusandum, inhabilis quoque censetur ad denuntiandum Judicialiter, cùm ad eundem finem ordinetur talis denuntiatio (nempe ad vindictam publicam) ad quem accusatio: sicut, qui accusari nequit, denuntiari non potest. *arg. c. 21. h. t.* Hodie tamen, quia post denuntiationem procedit Judex per Inquisitionem, quilibet denuntiare permittitur Judicialiter seu criminaliter, licèt accusare non possit. 4. Sumitur ex *l. 3. l. fin. C. de calumn. & can. 3. q. 1. cit.* quia delictum, quod sufficienter probari nequit, publicè vindicari non potest, adeóque inutiliter & injustè per denuntiationem Judicialem læderetur alterius fama. Limitavi tamen, *nisi vergat in præjudicium communitatis, vel tertii*; hujusmodi enim delicta, licèt testes nominari, vel aliæ sufficientes probationes à denuntiante suggeri nequeant, denuntiari exigit saltem charitas; sed ita, ut denuntians non teneatur strictè Judicialiter denuntiare, id est, ad vindictam publicam, & cum obligatione incidendi in pœnas calumniatorum, si postea defecerit probatio. Ratio, quia de occultis verum Judicium inter homines fieri non potest. *c. 11. d. 32.* Adeóque solùm eò tendit talis denuntiatio, ut Judex generaliter possit inquirere, & damnum omni meliori modo præcavere. Ex dictis erues, te non obligari denuntiare eum, licèt possis, etsi crimen probare valeas, vel publicum sit factum, qui neminem læsit, nisi te vel in honore vel in fortunis, cùm fortunarum & honoris tui sis dominus, & laudabiliter remittas injuriam. Porro Denuntiatio Judicialis aperit viam Inquisitioni specialis, ita ut Judex teneatur ex officio inquirere, & Processum incipere, citando Reum, examinando testes &c. uti requirit Processus Criminalis, prout exigit *Nov. 17. c. 1.*

Quæres 1. An socius delicti Judicialiter 22
denuntiare possit socium? 2. Et ad quid obligentur officiales & custodes ad denuntiandum constituti eos, qui venantur vel lignantur in sylva Principis, vectigalia non solvunt, important vel exportant merces contra prohibitionem publicam, non tamen denuntiant? Ex. ad 1. Juxta Jus recentius *Constit. Carolina art. 31.* hæc denuntiatio admittitur, quando fit ad præviam interrogationem judicis generalem de omnibus circumstantiis, *an, quando, ubi, quomodo* alius auxilium præstiterit ad delinquendum, in ipsa tortura propositam, ac insuper denuntians inimicitiam erga socium, quem denuntiat, non habuisse cognoscitur, & in sua denuntiatione constanter perseverat, denuntiatus autem est talis

talis persona, in quam suspicio delicti cadere possit: his verò seclusis non attenditur. *v. ad 2.* Tenentur quidem ad compensanda damna, domino suo vel Reipublicæ illata per suam negligentiam vel dissimulationem, saltem in defectum illorum, quos denuntiare debuerant, v. g. ad vectigalia solvenda, quæ Mercator debebat solvere; imò etiam, licèt principalis damnificans non fuerit obligatus (casu quo lex merè pœnalis extitit) ferè sicut captus in bello licitè fugit absque solutione lytri, custos tamen, qui ex officio debuit custodire, non tamen custodivit debitè, tenetur ad restitutionem; quia damnum intulit contra fidem datam & conventionem: probabiliùs tamen non obligantur Fisco ad compensandam *mulctam*, quæ fuisset imposita delinquentibus, si illos denuntiâssent.

23 Dico 4. Per viam *Exceptionis*, quæ valde vicina est Denuntiationi Judiciali, & modus extraordinarius deferendi delicta in Judicium, nihilque est aliud in ordine ad præsentem materiam, quam criminis oppositio à Reo facta ad hoc, ut vel Judicem ab officio aut jurisdictionis exercitio, vel accusatorem ab accusatione, vel denuntiatorem à denuntiatione, vel testem à ferendo testimonio &c. repellat, aut etiam ut is, cui crimen opponitur, publicam vindictam subeat. Per viam Exceptionis, inquam, crimen deduci potest in Judicium dupliciter, nempe vel *criminaliter*, quando Reus alteri crimen objiciens intendit non tantùm, ut is repellatur, sed etiam ut publicâ pœnâ à Jure statutâ afficiatur: vel *civiliter*, quando intendit præcisè, ut repellatur alter. Si Reus præcisè civiliter excipiat, Judex non potest eum, cui objicitur crimen, licèt sufficienter probatum, propterea punire, sed per sententiam interlocutoriam debet accusantem, denuntiantem &c. repellere. *c. 2. de ord. cognit.* quia Judex debet se conformare intentioni & libello agentis & excipientis. Si verò excipiat Criminaliter, exceptio assumit naturam accusationis, vel denuntiationis. *arg. l. 7. ff. h. t.* Unde, si probetur crimen, accusator, denuntiator, vel testis non tantùm removendus, sed etiam condignè puniendus est. Si verò excipiens deficiat in probatione criminis, non incidit in pœnas calumniatoris; quia objecit illud provocatus. *arg. l. 38. §. 1. ff. ad L. Jul. de Adulter.*

§. IV.

De Inquisitionibus.

24 Sciendum 1. Cùm ex una parte rari sint, qui velint crimina in Judicium deferre per viam *accusationis*, aut, nisi aliqui ad id constituti sint, etiam per viam *denuntiationis* Judicialis, propter onus probandi, vel probationes suggerendi; ex altera verò Jus Naturale & Justitia Vindicativa exigant crimina debitis vindicari pœnis; ideò Judicibus incumbere sub amissione jurisdictionis, & sub pœnâ *Syndicatûs* (vi cujus Judicium instituitur contra Officialem ob malè gestum officium) ut ex officio inquirant in crimina & criminosos in ordine ad vindictam publicam, ut adeò Processus *Inquisitorius* hodie sit longè frequentior, quam *Accusatorius*, factúsque sit remedium ordinarium, qui olim erat duntaxat extraordinarium. Nec obstat, quòd desit accusator, vel denuntiator, cùm ejus loco sit vel diffamatio criminosi, vel indicia criminis. Definitur autem Inquisitio, quòd sit *criminis vel criminosi vel utrimque per Judicem ex officio procedentem legitimè facta investigatio.* Gonz. *in c. 21. h. t. n. 8.* Carpzov. *Prax. Crim. p. 3. q. 170. n. 5.* alii. Differt ab accusatione, & denuntiatione, quòd loco accusatoris vel denuntiatoris habeat famam, vel indicia criminis; quòd non requirat Inscriptionem ad pœnam Talionis, nullam monitionem &c. *text. gl. & DD. in c. 24. h. t.*

Sc. 2. Inquisitionem dividi 1. in generalissimam, generalem, & specialem: *Generalissima*, quæ etiam vocatur *generalis simpliciter*, aut *Paterna*, est, quando Judex vel Superior indagat generatim, & nec in ullam certam personam, nec in delictum determinativum, v. g. an non in provincia, diœcesi, civitate, Monasterio &c. fiant vel facta sint aliqua delicta, an leges & statuta serventur &c. uti fit in visitatione Provinciarum, Diœcesium, Monasteriorum &c. Et hæc fieri potest absque præcedenti infamia vel indiciis alicujus criminis. *c. 1. §. sanè de censib. in 6.* Nec instituitur, saltem ordinariè, ad vindictam publicam, sed potiùs, ut vel delicta emendentur, vel per opportunas leges impediantur. Passerin. *in Tribunali Regular. q. 8. a. 1. & 2.* 25
Generalis, quæ sæpe vocatur *Mixta*, nempe ex generali simpliciter tali, & speciali, vel *generalis secundùm quid*, vel *specialis* à quibusdam, quando fit super certo quidem delicto, at non in certam personam, & indagatur, quis v. g. commissi homicidii, furti &c. sit author, vel vicissim (quod tamen rariùs contingit) in certam quidem personam, at non in determinatum delictum. v. g. an non Titius commiserit aliqua crimina. *Specialis* denique, quando instituitur tam super delicto quam in personam determinatam, v. g. an Sempronius sit Auctor vel complex homicidii, furti &c. Tam *mixta* quàm *specialis* fieri potest vel ex *mero officiio Judicis* vel ad præviam *denuntiationem* publici Officialis ad id constituti, vel ad *querelam* alicujus privati, qui tamen in Judicio tanquam accusator stare non vult: utraque requirit famam, vel indicia quædam, uti dicemus. Quando Judex procedit ex mero officio, non tenetur recipere probationem super fama (cùm sufficiat, si ipsi de ea constet) nec fit litis contestatio, & testes etiam post publicatas attestationes recipi possunt: aliter omnia se habent, si procedat ad instantiam alterius. Dividitur 2. in *Mansuetam* seu *Mitiorem*, gütliche Frag/ quæ peragitur per solas interrogationes ordinate

& accuratè, non tamen fraudulenter propositas, seu per articulos ad examinandum Reum formatos: & in *Severam*, die Peinliche Frag/ quæ etiam in Jure *Quæstio*, in Praxi autem *Tortura* appellatur, atque peragitur per cruciatum corporis & tormenta, ad expressionem veritatis exhibita. Utraque habet locum tunc primùm, quando is, qui existimatur Reus, jam est *constitutus*, seu in manibus Judicis. Porro *effectus* hujus inquisitionis ex parte ipsius *inquisiti*, seu qui per inquisitionem specialiter institutam interrogatur legitimè, est regulariter obligatio fatendi crimen, ex parte verò aliorum, qui interrogantur, an notitiam delicti non habeant vel delinquentis, obligatio manifestandi, at non, nisi publica infamia vel indicia de eo præcedant, aut grave damnum Reipublicæ, vel tertio immineat; quia extra has circumstantias non adest sufficiens causa, ut proximus, in possessione existimationis & famæ integræ existens, infametur.

26 Dico 1. Inquisitio omnis, ordinata ad vindictam, instituì debet à legitimo Judice jurisdictionem criminalem in inquisitos habente. 2. super crimine non nisi magno, & tali, qua turbatur Respublica. 3. ac in personam non exceptam. Pars 1. est clara; quia Judici incompetenti vel debita jurisdictione non prædito, nulla est potestas, & impunè non paretur. *c. 2. de constit. in 6.* 2. Patet ex *l. 6. ff. & c. 21. h. t.* De leviori bus delictis, & non scandalosis, quæ regulariter ad jurisdictionem bassam pertinent, non ad altam, neque capitalem vel mutilationis pœnam merentur, non est obligatio inquirendi ex officio, imò quandoque præstat non inquirere. 3. colligitur ex 1. quia quoad personas exemptas Judex caret potestate: sic Laicus perperam inquireret in personas Ecclesiasticas: & male per torturam procederet contra personas ab ea exemptas.

27 Sed quænam personæ sunt privilegiatæ à tortura; R. sequentes; furiosi: valetudinarii: muti & surdi simul, si litteras ignorent: senes & decrepiti: mulieres prægnantes. *l. 10. ff. de quæst. l. 3. ff. de pœnis.* Et quia sic exigit defectus animi, vel corporis. 2. Milites: Magistratus Majores: Nobiles: Doctores. *l. 8. pr. l. 11. C. de quæst.* ad *l. 10. C. de Dignit. lib. 12. & l. 14. C. de Advocat. diversor. Judicior.* Et hi ob conditionem & statum. Sed istis non patrocinatur status vel conditio, sit crimen si valde atrox. v. g. crimen læsæ Majestatis, proditionis, hæresis, &, uti contigisse mihi relatum est, veneni personis valde conjunctis præbiti &c. 3. quando Reus per testes vel alia argumenta plenè convinci potest, non obstante, quòd sepositâ torturâ neget crimen. *Constit. Carolin. art. 69.* cùm tortura sit remedium extraordinarium in defectu aliarum probationum plenè convincentium pro obtinenda veritate inventum. *l. 8. & 9. ff. de quæst.*

28 Dico 2. Ad instituendam Inquisitionem simpliciter generalem, vel generalissimam, licèt Judicialis sit seu ordinata ad vindictam, & non merè paterna, non requiritur infamia præcedens aut denuntiatio; bene tamen aliqua suspicio, vel præsumptio, vel confusa delatio, vel aliqualia indicia, in aliquo loco fieri delicta. Pars prior sumitur ex *l. 13. ff. de Offic. Præs. c. 1. de offic. Ord. Trid. s. 7. c. 1. & s. 21. c. 8. de Reform.* Accedit praxis tribunalium, & communis DD. cum Matanza *in Praxi Judic. p. 6. tit. de Inquis. n. 29.* Ratio; quia per talem inquisitionem, licèt fiat absque prævia infamia vel denuntiatione, nemini fit injuria; cùm de nullo in specie indagetur. Posterior inde suadetur, quòd Inquisitio judicialis, cùm tendat ad vindictam, sine omni causa & motivo prudenti non debeat institui. Qui autem interrogantur, an non sciant auctorem criminis, non tenentur hunc manifestare, si occultus sit, nec diffamatus vel indiciis sufficientibus gravatus; nisi crimen esset continuandum, vel ex patrato damnum alicui immineret, alio modo non avertendum. Id quod etiam intellige de casu, quo fit inquisitio mixta, generalis tamen quoad auctorem delicti. De qua

Dico 3. Ad Inquisitionem Mixtam, seu generalem secundùm quid, si instituatur in authorem delicti (de quo commisso jam constat) tantùm in genere, quis illud commiserit, nec infamia, nec suspicio de certa persona prærequiritur. 2. Si verò instituatur judicialiter contra determinatam personam, v. g. Titum, an non alicujus vel aliquorum criminum, nullò expressò, reus sit, prærequiritur infamia, vel gravia indicia, licèt non, si instituatur paternè. Pars 1. sumitur ex *l. 1. §. 21. ff. de Quæst.* quia per talem inquisitionem in genere, nullius lædi tur fama. 2. ex ratione oppositâ; quia sine prævia infamia vel indiciis inquirendo in certam personam læderetur injustè hujus fama. 3. Ex communi sensu & praxi, præsertim in visitationibus; cùm paterna inquisitio non ad pœnam, sed præcisè ad emendationem delinquentis ordinetur.

Dico 4. Ad inquisitionem specialem Judicialem instituendam opus est 1. ut primò constet de corpore delicti. 2. ut præcesserit vel denuntiatio aut accusatio aliqua, vel, si Judex procedat ex officio, aliqua infamia, aut sufficientia indicia contra personam, contra quam instituitur, saltem regulariter, 3. ut inquisitus sit præsens, vel saltem citatus. 4. ut eidem capitula, seu puncta inquisitionis communicentur cum circumstantiis delicti, personæ, & dicta testium, saltem regulariter iterum. Pars 1. est certa tum ex *l. 1. §. 24. & l. 5. §. 2. ff. de S. C. Silaniano*, tum ex communi sensu & praxi. Ratio, quia Judex ad inquirendum, & ad puniendа crimina debet procedere ex scientia publica; qualem non habet, nisi de corpore delicti, seu de verè patrato crimine sufficienter constet. Unde, siquis etiam sponte se reum ageret, non posset Judex eum punire, nisi priùs cognovisset, crimen verè esse commis-

commissum; nec in arbitrio hominis est de vita aut membris suis disponere. Pars 2. eruitur ex *l. 7. C. c. 19. 21. 24. h. t.* Ratio; quia nullus condemnari potest sine accusatore. *can. 17. caus. 2. q. 1.* In Processu inquisitorio autem pro accusatore est vel denuntiator. *l. 7. cit.* vel fama. *c. 24. cit.* ibi: *quasi denuntiante fama, aut deferente clamore.* Accedit, quòd Judex debeat sequi scientiam publicam, quæ acquiritur per denuntiationem, vel diffamationem publicam: item quòd per inquisitionem specialem in personam determinatam hæc patiatur gravem jacturam famæ & honoris, utique injustam, si non præcessit diffamatio, vel denuntiatio cum nominatione testium, vel insinuatione gravium indiciorum. Imò ut fiat inquisitio contra Prælatum Ecclesiasticum, non qualiscunque, sed *clamorosa* prærequiritur ejus infamia vel diffamatio, h. e. sæpius ad aures Judicis delata, ac insuper, si Prælatus sit non Regularis, ut crimen cedat in grave scandalum, aut in grave damnum Ecclesiæ. *c. 24. cit.* Quando autem inquisitio fit contra personas Regulares, dicit quidem *c. 24. cit. in f. hunc ordinem non usquequaque servandum, quæ faciliùs & liberiùs à suis possunt administrationibus removeri, cùm causa requirit,* non tamen indè infertur (ut habet communis) quòd infamia, saltem æquivalenter, non debeat præcedere, sed tantùm vult, processum Judiciarium quoad solennitates & Juris apices non ita rigidè esse observandum, sicut in causis sæcularium, sed nudam veritatis probationem indagandam esse. Pirhing *h. n. 78.* præsertim in amotione Regularium subditorum à suis officiis, apud quos fortè nec ita strictè observandus est dictus Processus etiam quoad infamiam præviam. P. Schmier *de Delictis p. 1. c. 4. sect. 2. n. 90.* Qui *à n. 81.* etiam notat, de Jure Canonico determinatè requiri infamiam, de Iure autem Civili Carolino *Art. 6.* etiam sufficere verosimilia criminis indicia. Porro absque infamia (vel sufficientibus indiciis) instituta Inquisitio non tantùm illicita, sed etiam invalida est, ut adeò totus subsequens Processus sit nullus, nec Reus, licet convictus fuisset, condemnari valeat. *c. 21. & 24. citt.* intellige, si Reus contra Inquisitionem protestatus, nec ultro crimen confessus sit, nec præsens testes contra se examinari, & processum finiri permiserit, licèt antè protestatus sit. *c. 1. & 2. h. t. in 6.* tunc enim censeretur juri suo renuntiâsse. Quòd verò infamia non sit necessaria, casu quo facta est denuntiatio criminosi, etiam à privato tantùm, probatur tum ex communiori, tum ex *c. 24. cit.* quia etiam denuntiator privatus supplet vicem accusatoris. Textus, qui opponuntur, intelligendi sunt de Denuntiatione non *Judiciali*, sed *Evangelica* vel *Canonica*, Inquisitionem specialem præcedente; cùm requirant præmonitionem charitativam. Quòd autem sufficiant indicia, non solùm certa, sed etiam verisimilia, de Iure quoque Canonico, communior est sententia cum Claro, Farinac. Pirh. *h. n. 61.* ex *c. cùm in juventute 12. de Purgat. Canon.* cùm plerumque fortiora sint, quam ipsa diffamatio. Addidi tamen in Assertione, *saltem regulariter*; nam infamia &c. contra delinquentem non necessaria est 1. si crimen & criminosus sit notorius. 2. si inquisitio fiat paternè. 3. si præcedat denuntiatio vel publici ministri, vel privati hominis, uti dictum. 4. si delictum sit enorme, ex quo timetur scandalum, vel damnum publicum, vel tendat in præjudicium tertii privati, alio modo non auferibile; tunc enim sufficiunt leviora indicia. 5. si unum delictum fit circumstantia alterius, de quo persona jam est infamata, vel indiciis gravata; quamvis enim aliàs non liceat inquirere in aliud delictum, cujus infamia, vel indicia verosimilia non habentur, & connexum non est cum delicto, de quo quis diffamatus & inquisitus jam est, id tamen licet de delicto specialiter connexo sine specialibus indiciis. Imò Clarus & Farinac. Criminalistæ testantur, hodie diffamationis solennitatem recessisse ab aula; cùm Iudices in praxi non soleant incipere ab inquisitione speciali, sed generali, quam infamia non necessariò præcedit, uti docuimus: ex generali autem ordinariè deveniant in aliqua indicia, quæ ad specialiter inquirendum sufficiunt. Pars 3. assertionis habetur in *c. 24. cit.* Clarus tamen & alii advertunt, consuetudine introductum esse, inquisitionem fieri etiam contra absentem non citatum. Pars 4. in *c. 19. 21. h. t. & d. c. 24.* ut nempe Reus contra capitula, vel personas aut dicta testium, excipiendo legitimæ defensionis habeat copiam. Excipe, nisi vel testibus ex eorum nominatione immineat grave periculum, vel timeantur discordiæ, uti quandoque apud Regulares contingit. Wagnereck ad *c. 24. cit. nota 5. v. ad inquirendum.*

Quæres 1. quomodo constare debeat de corpore delicti? 2. qualis esse debeat diffamatio, ut in delinquentem institui possit inquisitio specialis? Ad 1. sub distinctione inter delicta facti permanentis, & facti transeuntis. Si delictum est *facti permanentis*, h. e. vestigia post se relinquens, uti est homicidium, vulneratio, incendium, falsificatio monetæ, furtum cum effractione &c. debet liquidò constare, scilicet per ocularem inspectionem cadaveris, vulneris, ædium exustarum &c. factam ab ipso Iudice, vel per Notarium in præsentia duorum testium (vel artis peritorum, v. g. Medicorum, Chirurgorum, ubi de vulnere lethali inquiritur) quòd delictum sit verè commissum; nisi delictum esset occultatum, v. g. corpus occisi projectum in flumen, falsa moneta abscondita &c. tunc enim sufficit, si de ejus perpetratione verè facta constet per testes, vel conjecturas. Clarus cum communi. Si verò delictum est *facti transeuntis*, h. e. nullum post se relinquens vestigium, uti est blasphemia, injuria verbalis, magia, fornicatio &c. sufficit per conjecturas constare priùs deli- 31

delictum verè esse commissum. Nec est necesse in hoc casu priùs distinctum processum instituere de corpore delicti cognoscendo, & postea primùm de authore vel causa illius, sed potest simul & semel inquiri in corpus, & reum delicti: nec obstat, ut monet Reiffenstuel *h. t. n. 205.* si testes per accidens priùs nominent ipsum Reum, seu delinquentem. Quòdsi inquisitio in Authorem delicti instituatur, antequam debitè constet de corpore delicti, Processus subsecutus est irritus; intellige, si Reus contrà excipiat. per *c. 22. h. t. c. 1. 2. eod. in 6.* vel nisi crimen judicialiter sit confessus. *c. 1. cit.* Maranta. *p. 6. n. 17. 18.* Si tamen de *delicti permanentis* corpore, non per ocularem inspectionem, sed alio modo caperetur notitia, valeret adhuc processus. Reiffenstuel *n. 206.* Rc. ad 2. Infamia, seu fama de auctore delicti, debet esse orta ab honestis ac fide dignis, non à malevolis aut maledicis personis: delata ad aures Judicis vel Superioris, & quidem sæpiùs, præsertim si in Prælatum Ecclesiasticum facienda sit inquisitio specialis. *c. 24. h. t.* Probabiliter tamen non est necesse (licet tutius sit) priùs facere probationem famæ. Fagn. *in c. 24. cit. n. 64.* Hoc procedit, si Judex inquirat ex officio: si verò ad denuntiationem prævìam, multò minùs necesse est probari priùs infamiam, si denuntiator denominet testes, vel alias probationes suggerat vel denuntiet non judicialiter; cùm nec infamia debeat præcedere: opus verò esset probationem de fama sumere, si denuntiator judicialiter denuntiet, & se referat ad famam, nec aliam probationem suggerat. Cæterùm Judex tenetur inquisitionem specialem instituere, quando de gravi delicto commisso constat certò, non verò de delinquente, vel quando illi fit denuntiatio judicialis seu criminalis, vel quando de aliquo jam est communis fama, aut manifestum, quòd reus sit alicujus gravis delicti: ne delicta maneant impunita cum scandalo aut damno aliorum.

82 Dico 5. Ad formam & modum inquisitionis specialis etiam spectat, ut Judex 1. proponat interrogatoria personalia communia: quomodo vocetur reus, qui sint ejus parentes, quæ patria, Religio, vitæ conditio, conversatio &c. 2. interrogatoria realia, priùs quidem generaliora & remotiora à facto: paulatim magis propria ac propinqua: tandem specialia, & specialissima quoad factum, causas, adjuncta, circumstantias, effectus delicti, de quo Reus est diffamatus vel indiciatus, non de aliis, nisi connexa sint, nec de sociis criminis occultis, nisi crimen sit exceptum, vel non committatur sine socio, aut saltem dicatur non fuisse commissum absque sociis. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 222. seq.* qui *n. præced.* etiam observat, Judici *generalem* inquisitionem instituenti cavendum esse, ne testem interroget de persona certa ac determinata, v. g. an Mævius occiderit Cajum; quia hujusmodi suggestiones periculosæ sunt. *l. 1. §. 21. ff. de Quæst.*

Dico 6. Ut inquisitio severa, seu per torturam, legitimô fiat modô, requiritur 1. ut non adhibeatur adversùs personam torquendam prohibitam, cujusmodi suprà *n. 27.* recensuimus. 2. ut delictum sit tale, quod pœnam corporalem & relegatione graviorem mereatur. 3. ut constet, delictum dolô malô esse commissum. 4. ut per alias probationes Reus convinci nequeat. 5. ut adsint tamen indicia valde urgentia contra Reum & tanta, ut ferè nihil desit, nisi ipsius confessio. *l. 1. §. 1. l. 18. §. 1. ff. eod. Ordinat. Carolin. art. 11. seq.* 6. ut Reus iteratò interrogatus, & in præsentia Judicis, duorum saltem Assessorum & Actuarii, etiam sub torturæ comminatione, crimen negare perseveraverit. *Ordin. Carol. cit. art. 46. 47. 8.* tortura sit talis, ut torquendus *salvus fit vel innocentia vel supplicio. l. 7. ff. eod.* habita nimirum ratione ætatis, sexûs, virium corporis, delicti, indiciorum. 9. ut Judex Reum tortura durante interroget super certis articulis ad propositum idoneis. 10. ut, si in tortura confessus est crimen, exspectetur per unum vel plures dies, & tunc extra locum torturæ in banco juris prælegatur ipsi facta confessio, ab Actuario nempe in præsentia Judicis, & duorum saltem Assessorum, ac denuo interrogetur, an in confessione in tormentis facta persistat, vel recedat ex toto aut ex parte. 11. si recedat, potest quidem denuo torqueri, sed non, nisi emergant nova indicia, prioribus fortiora, vel nisi Reus arte duraisset corpus vel animum: nec ultra tertiam vicem, ubi si rursus fateatur crimen, postea autem neget, extra ordinem puniendus est. Sed de his ampliùs te docebunt Criminalistæ, & D. à Frölichsburg *in Nemesi tract. 1. l. 3.* item ipsa Carolina *art. citt. & seqq.*

Quæres, an inquisitus, & interrogatus à Judice, nondum tamen plenè convictus, teneatur fateri crimen, quod commisit? R. si legitimè interrogatum se sciat, tenetur regulariter; nisi nempe ex confessione ipsi imminet pœna mortis vel æquivalens; cum ipsa lex humana (minùs præceptum judicis,) non obliget cum gravi & notabili periculo vitæ aut membrorum. Fusiorem deductionem utriusque partis dati responsi vide in *lib. II. tit. 18. de Confessis n. 17. seqq.*

Dico 7. Inquisitus, crimen in Processu inquisitionis confessus, aut de eo convictus, ordinariâ pœnâ puniri potest de Iure Civili & in foro Sæculari, *l. 2. C. de Abolition. l. 4. C. de sepulchr. viol.* imò probabiliùs etiam de Iure canonico propter *c. 2. de Confess. & c. fin. de celebr. Miss.* Confirmatur ex consuetudine, in foro Canonico communiter recepta, quæ optima est Iuris dubii interpres, & ex eo, quòd SS. Canones, ubi certi nihil statuunt clarè, Ius verò Civile, sequantur Ius Civile, *c. 1. de N. O. N.* Accedit ratio, quòd hodie Inquisitio facta sit remedium Ordinarium, & vicem Accusationis subeat: sed præcedente accu-

accusatione nemo dubitat, quin pœna ordinaria habeat locum. Oppones 1. In *c. 21. h. t. §. 1. in f.* videtur clarè statui pœna extraordinaria, & Judicis discretioni relinqui, si per viam inquisitionis crimen fuit probatum; & excipitur tantùm crimen, quod impedit executionem Ordinis, uti homicidium, vel retentionem beneficii, uti Simonia: ergo Jus Canonicum non est dubium, & regulariter decernit pœnam extraordinariam: adeóque quodlibet Jus est observandum in suo foro, cùm discrepent. 2. In *c. 2. cit.* statuitur quidem pœna ordinaria, sed in casu electionis Simoniacæ; Simoniæ verò crimen excipit *c. 21. cit.* adeóque generaliter decreta manet pœna extraordinaria. R. ad 1. Praxis recepta, & ratio allata, satis declarant sensum *d. c. 21.* quod sic habet: *in processu inquisitionis secundùm personæ merita, & qualitatem excessûs pœnam possit judicantis discretio moderari.* Notetur verbum *possit*; non dicit, quòd *debeat* Judex moderari pœnam suô arbitriô, neglectâ ordinariâ, si ea adæquet qualitatem excessûs & personæ delinquentis. Ad 2. dic, ibi mentionem fieri Simoniæ per modum exempli, non per modum exceptionis, quasi in ea tantùm, non verò generaliter in omni crimine possit procedi ad pœnam Ordinariam.

§. V.

De Processu in Crimine Notorio, & quando delinquens deprehenditur in flagranti.

86 Sciendum 1. Speciale quid habere Processum Criminalem in duplici casu: nempe 1. si delictum sit *notorium.* 2. Si Reus deprehendatur *in flagranti,* seu in ipso actu criminis. Hoc posterius vel contingit in conspectu ipsius Judicis pro tribunali sedentis: vel in conspectu quidem Judicis testibus stipati, at non sedentis pro tribunali: vel quando quis à Justitiæ ministris, vel aliis in actuali delicto, v. g. furto deprehenditur, & statim comprehensus ad Judicem abstrahitur.

87 Sc. 2. *Notorium* in genere dici illud delictum, quod vel de Jure vel ex ipso facto ita certum est, ut nulla amplius discussione indigeat, vel nulla tergiversatione celari possit. *can. 17. caus. 2. q. 1. c. 3. de testib. cog. c. 7. & fin. de cohabit. c. 24. de V. S.* Unde Notorium est duplex, notorium *notorietate Juris,* cujus notorietas habetur ex Jure vel Judicio, puta vel per sententiam Judicis, sive condemnatoriam, sive declaratoriam criminis, quæ transiit in rem judicatam. *c. 7. & fin. citt. l. 207. ff. de R. J.* vel per confessionem spontaneam Rei in Judicio factam, & non revocatam. *c. 7. c. fin. c. 24. citt.* vel per probationem in Judicio legitimè factam jam secutâ conclusione in causa. per *d. c. 24. l. fin. C. de probat.* Et Notorium *notorietate Facti,* cujus notorietatis ratio habetur ex præsentia populi, visu vel alio sensu delictum immediatè percipientis, seu quod ita publicè coram populo committitur, ut nulla tergiversatione celari, aut excusatione purgari possit: quod contingit, si major pars populi, vel, si communitas non sit admodum magna, uti collegium, parochia, vicinia, decem saltem, vel etiam sex, præsentes sensu proprio percipiant delictum, dum patratur. Aliqui fortassis optimè relinquunt arbitrio Judicis, qui ex amplitudine vel angustia loci, qui debet esse publicus, ex qualitate personæ, actûs &c. determinare debet, quis numerus personarum præsentium sufficiat ad constituendum notorium facti, cùm Jura non determinent. *arg. l. 1. §. 2. ff. de Jure delib. l. 137. ff. de V. O.* Masc. *de Probat. concl. 1107. n. 18.* Cum notorio subinde confunditur *manifestum c. 24. cit.* Nec ab eo multùm discrepat *famosum*; quamquam *manifestum* propriè dicatur, quod est publicè & famosè notum ex certa scientia & certis authoribus: *famosum* verò, quod est notum ex fama, quæ certam scientiam non requirit, sed solam suspicionem; vel ex rumore, qui nec certos exigit authores: unde nonnunquam etiam fallum est. *Publicum,* quod etiam subinde confunditur cum Notorio, strictè loquendo est genus respectu Notorii, Manifesti, & Famosi; habetque tres gradus seu species. 1. *Publicum* dicitur, quod ita jam est notum, ut nullo modo celari aut negari amplius possit: & sic coincidit cum Notorio. 2. *Publicum* vocatur, quod ita jam est manifestum, ut de eo jam existat fama. 3. *Publicum* aliquo modô est, seu probabile, quod saltem cognitum est duobus, ita ut in Judicio probari posset, si ad illud deferretur. Publico, uti & Notorio, opponitur *occultum,* quod nec publicum aut notorium, nec manifestum, nec famosum est: habet duos gradus. 1. quod ita latet, ut nulla ratione probari in foro externo possit, uti actus merè interni, de quibus judicat solus DEus. *can. 11. d. 32.* & istud appellatur *simpliciter* vel *propriè occultum.* 2. quod tantùm ita latet, ut absolutè quidem probari posset, quibusdam tamen, sed paucis, v. g. duobus vel tribus cognitum est, nec pluribus quàm 5. innotescit, nec in Judicium defertur; & istud nuncupatur pene, vel *quasi-occultum,* quocum incidit publicum tertii gradûs.

Dico 1. Contra reum in flagranti deprehensum criminaliter procedere potest Iudex 88
ad condemnandum & puniendum, non observato Iuris ordine. Communis. *arg. l. 2. ff. de ferius. & l. 32. ff. de Minor.* Opus tamen est in secundo & tertio modo, si nempe ab ipso Iudice (non sedente pro tribunali) cum testibus, vel à Ministris aut aliis in actuali crimine deprehensus sit reus, priùs adhuc examinare testes, & reum super delicto & apprehensione: si reus fateatur delictum, statim puniri potest etiam absque sententia, ut habet comunis ex *l. 22. pr. ff. de his, qui not. infam.* vel, ut alii volunt cum Claro & Farinac. per sententiam, ad quam tamen nullam requirunt solennitatem. Quid sit proce-

procedere *non observato Juris ordine*, patebit ex Assertione seq.

39 Dico 2. Contra reum notorii criminis tam absentem quàm præsentem, sive sit notorium notorietate Iuris sive notorietate facti, pariter procedi potest non servato Iuris ordine, seu non observato ordine & Processu Iudiciario. Ita regulæ instar tradunt DD. ob claros textus in *can. 14. 16. caus. 2. q. 1. c. 21. de Jurejur. & c. 3. de testib. cog.* ibi: *si factum est notorium, non eget testium depositionibus; cùm talia probationem, & ordinem Judiciarium non requirant.* Nam ordo Iudiciarius eum in finem est introductus, ne innocens condemnetur. per *can. 16. cit.* ergo, ubi ex notorietate habetur aperta veritas, & constat de authore delicti, necessarius non est ordo Iudiciarius; cùm cesset finis. Unde 1. necesse non est, ut quis accuset, vel denuntiet, vel Iudex inquisitionem instituat, vel ut libellus offeratur. per *c. 9. h. t.* ibi: *evidentia patrati sceleris non indiget clamore accusatoris.* Et in hoc differt inter alia Iudicium Criminale à Civili; in hoc enim requiritur Actor etiam in notoriis, nec ejus vices supplet Iudex. *arg. l. un. C. ut quæ desunt Advoc.* licèt etiam in Civilibus notorius non opus sit libello. 2. recusari Iudex tanquam suspectus non potest, si delicto sit taxata pœna in Iure. per *c. 24. de Appellat.* 3. opus haud est citatione Rei (licèt eam adhibere consuetum sit) saltem si pariter certum, nullam ipsi defensionem competere: si enim dubium foret, an non ipsi competat aliqua exceptio, vel delicti purgatio, utique citandus & audiendus foret: sicut & citari debet ad audiendam sententiam, suppositò, quòd feratur sententia, uti ferendam esse, licèt non solenniter, aliqui volunt, saltem vi consuetudinis. 4. necessaria non est productio vel examen testium. *can. 17. & c. 3. citt.* 5. nec ulla solemnitas sententiæ, ut v. g. feratur in scriptis; cùm in notoriis Ordo Iudiciarius, seu solennitates Iuris cessent universaliter. Sufficit igitur præceptum Iudicis reo pœnam injungentis. 6. locum non habet appellatio. *c. 5. §. fin. c. 13. 14. 24. de Appellat.* nisi reus appellet contra ipsam notorietatem delicti, quæ pariter certa esse debet; nam *multa dicuntur notoria, quæ non sunt. c. 14. cit.* Unde in sententia vel decreto Iudicis exprimenda est notorietas delicti. Quapropter

40 Dico 3. Ut in notoriis liceat Iudici procedere, non servato Iuris ordine, requiritur, ut eidem de notorietate delicti priùs certò constet, & quidem non tantùm in ratione *facti*, sed etiam in ratione *delicti*, v. g. non tantùm debet Iudici esse notorium, & de notorietate constare, commissum esse homicidium, sed esse commissum dolò vel culpâ. Clarus, Farinac. Passerin. communis ex *c. 15. de Purgat. Canon. c. 8. de cohab. Cler. & mul.* aliàs enim excusationi, tergiversationi, defensioni locus foret. Si factum ex natura sua est crimen vel maleficium, & notorium est factum, censetur etiam esse notorium in ratione delicti & malitiæ, si non appareat exceptio tollens malitiam. *l. 1. C. ad L. Cornel. de Sicar.* secus, si factum ex natura sua vel bonum vel indifferens est. Sed quomodo constare de ipsa notorietate sufficienter potest? R. duobus potissimùm modis. 1. si Reus delinquat in conspectu ipsius Iudicis pro tribunali sedentis (vel jurisdictionem actu exercentis) & Assessorum, vel saltem Actuarii, aut Notarii publici. 2. si testes omni exceptione majores deponant non tantùm de crimine, sed etiam de notorietate illius, quòd nempe coram populo, uti suprà explicavimus, commissum sit, ubi agitur de notorietate facti. *arg. c. 15. cit.* Ubi verò agitur de notorietate Iuris, sufficit attestatio Iudicialis, vel extractus de protocollo authenticus.

Quomodo practicè instituendus sit Processus Criminalis tam in casu Accusationis & Denuntiationis Iudicialis, quàm Inquisitionis, item in casu Notorii, etiam Regularium, & actualis horum visitatio, explicat D. à Frölichsburg *in Nemesi p. 1. l. 2. & 3.* Passerin. Julius Clarus, Farinac. Carpzov. & alii Criminalistæ. Item fusè & accuratè tradit P. Reifenstuel *h. t. §. 6. 7. 8.*

TITULUS II.

De Calumniatoribus.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid & quotuplex calumnia, calumniator, prævaricator, tergiversator.
3. Pœna calumniatoris veri.
4. Et præsumpti. Ubi de causis excusantibus.
5. Item prævaricatoris & tergiversatoris.

SCiendum 1. accusationes & denuntiationes, de quibus in *Tit. præced.* actum est, fieri posse per calumniam, & falsam delationem; cujusmodi proin calumniatorem persequitur præsens Titulus, prioris appendix, cùm interest Reipublicæ, neminem falsis criminibus onerari, sicut interest, crimina vera non manere impunita, & in Judicium non deferri. Quamvis autem *calumnia* in sensu latiori dici soleat quælibet fraudulenta informatio, cavillatio, perversa Juris interpretatio, & omnis malitia ingenii, ex qua in alium redundat detrimentum; proprie tamen & strictè est falsa criminis impactio, & in genere sic definitur: est delictum, quo quis falsum crimen alteri in judicio scienter & dolosè intendit, h. e. contra alterum proponit. *can. 8. caus. 2. q. 3. & l. 1. §. 1. l. 6. §. fin. ff. ad S. C. Turpill. l. penult. C. h. t.* qui autem hoc facit, vocatur *calumniator.*

Sc. 2. Sicut dolus est duplex, verus & præsumptus, ita & calumniam esse duplicem, veram & præsumptam, consequenter & calumniatorem alium esse verum, alium præsumptum. Ille est, qui scienter & dolo vero alteri

alteri falsum crimen in Judicio impingit seu objicit: iste autem, qui alium de crimine accusat vel denuntiat, illud tamen probare nequit: nam deficiens in probatione (nisi sit talis, qui denuntiat ex officio) præsumitur falsò & dolosè litem movisse. *c. 2. h.t. can. calumniator. caus. 2. q. 3.* nisi nempe hæc præsumptio elidatur aliunde. Calumniatoribus vicini sunt *Prævaricatores* & *Tergiversatores*. *Prævaricari* autem dicitur ille accusator, qui cum Reo colludit, veras delicti probationes dissimulando, aut falsas exceptiones admittendo, ut Reus absolvatur; item (sed minùs proprie) ille Advocatus vel Procurator, qui prodit causam sui clientis adjuvando adversam partem, seu qui cum parte adversa colludit manifestando, quæ tacere, vel tacendo, quæ manifestare deberet. *l. 1. ff. de Prævaric. Tergiversari* verò dicitur ille, qui cœpit aliquem de publico crimine accusare, postea verò tergum vertit, seu ab accusatione desistit citra abolitionem, qua accusatus ex numero reorum exemptus est publica auctoritate. *arg. l. 1. l. 12. ff. ad S. C. Turpil.*

3 Dico 1. Pœna in Calumniatores veros statuta est 1. infamia Juris, sed post condemnationem de calumnia. *can. 1. caus. 2. q. 3. l. 1. l. 4. §. 4. ff. de his, qui not. infam.* 2. Talio, seu illa ipsa pœna, quam Reus, si crimen verè fuisset probatum, sustinere debuisset. *can. 2. 3. caus. & q. cit. l. fin. C. h.t. & l. fin. de accusat.* 3. si Clericus calumniosè accusavit Clericum, privatio beneficii ac officii Ecclesiastici cum exilio. *c. 1. h.t.* & ibi Gonzal. *n. 10.* allegans adhuc alia Jura. 4. Condemnatio in expensas litis, & damna resarcienda, quæ accusato ex improba accusatione obvenerunt, ut *ex art. 12. Constit. Crim. Caroli V. & l. fin. C. de fructib. & litium expens.* colligunt, & communiter tradunt DD. cum Farinac. In contrarium stat Fachin. qui *l. 1. controv. c. 42.* cum Butrio & aliis negat, in causis Criminalibus victum victori in expensas esse condemnandum. Horum opinio, quamvis ob rationes, quas afferunt, videatur utcumque probabilis, non tamen est satis congrua æquitati naturali, quæ exigit, ut is expensas & damnum ferat, qui iis dat causam: &, cùm in Civilibus actionibus condemnetur temerarius litigator in expensas, omnino absurdum videtur, ad minus teneri, qui famam vel vitam alterius temerè ac improbè appetiit. De *pœna Talionis* observa, eam defacto universali consuetudine in Foro Civili esse abrogatam, adeóque pœnam calumniatorum esse arbitrariam & extraordinariam: pro Foro Canonico autem pœna talionis est quidem innovata à S. Pio V. in Constit. *Cum primùm* 1566. Quæ tamen non ubique fuit recepta, vel iterum abrogata per non-usum, ac proinde etiam in foro Ecclesiastico pœna calumniantium erit arbitraria, & modò pecuniaria, modò corporalis, verberum, carceris, modò privationis beneficii vel officii, juxta delicti vel personarum qualitatem. Hæc de pœna verè calumniantium, seu quando constat de dolo & prava intentione accusantium vel denuntiantium; de reliquis

Dico 2. Pœna in calumniatores præsumptos, seu illos, qui objectum alteri crimen in Judicio non satis probant, ferè est eadem per se. Ita colligitur *ex can. 2. 3. citt. c. 2. h.t.* Dixi, *per se*, nisi nempe accusans probaverit se dolò vacâsse (vel etiam culpâ & temeritate, si velit evitare condemnationem in expensas, ut apud Reiffenstuel *h. n. 26.* multi volunt.) Igitur qui in probatione criminis deficit accusator, in dubio, & quamdiu oppositum non probaverit intra præfixum tempus, præsumitur esse calumniator, & ut talis puniri potest, ut habet communis cum Bartolo, Menoch. Farinac. Pirhing *n. 5. h. t.* A præsumpta autem calumnia se liberat, consequenter & à pœna, si impactum alteri crimen semiplenè probat, vel si probat, se audivisse à viris fide dignis, quòd accusatus crimen commiserit, vel à testibus deceptum se accusâsse, qui postea rursus asserta negârunt vel à testimonio ferendo propter ignotam priùs illegalitatem sunt rejecti, vel si talia indicia præcesserunt, ut in accusatum potuisset institui inquisitio de delicto. Ex his & similibus causis, de quibus judicare & arbitrari ad Judicem spectat, excusatur à calumnia, & pœnis, qui deficit in probatione. Imò sunt certæ quædam personæ specialiter immunes à præsumptione calumniæ & suspicione fraudis, nisi calumnia & dolus evidenter probetur, adeòque præsumptionem habent pro se, uti pater & mater, persequens necem filii: filius persequens necem parentum: tutores & curatores in causis suorum pupillorum & clientum: fœmina, præsertim si suam vel suorum injuriam persequatur: maritus intra 60. dies uxorem de adulterio accusans: deferens crimen valdè perniciosum Reipublicæ & atrox, uti est hæresis, crimen læsæ Majestatis: deferens ex necessitate officii, uti procurator fiscalis, custos, vigil &c. aut ex impositione legis, ut si hæres accuset suspectos de occisione defuncti, qui hujus necem tenetur vindicare secundùm leges. Videatur Menoch. *l. 2. de arbitr. casu* 321. *à n. 7.* Farinac. Clar. & alii, qui tamen notant, in his casibus Judicem teneri ex officio inquirere, an talis in probatione deficiens non sit reus veræ calumniæ, &, si evidenter deprehenderit calumniam, punire tanquam calumniatorem: secus, si facta inquisitione maneat dubium, cùm habeat præsumptionem innocentiæ taliter accusans. 4

Dico 3. Pœna Prævaricationis est infamia Juris prævia condemnatione, & simul alia arbitrio Judicis imponenda. *l. 4. ff. de his, qui not. infam. l. 2. ff. de prævaricatione.* Pœna autem tergiversationis, quamvis olim fuerit mulcta 5. librarum auri, & infamia Juris. *l. 3. & 4. ff. eod.* hoc tamen tempore, quo Judex, accusatore accusationem deserente, ex offi- 5

ex officio instituere solet novum processum inquisitionis, sublata esse dicitur. Molin. *de I. & I. tr. 3. d. 47. n.* 10. aliique.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

SUMMARIUM.

1.2.3.4. *Quid sit Simonia.*
5.6.7. *Quid Mentalis, Conventionalis, Realis, & Confidentialis.*
8. *Quid Simonia Juris Divini, & Ecclesiastici.*
9. *Qualis committatur, si vendatur beneficium Ecclesiasticum &c.*
10. *Materia Simoniæ est merx spiritualis & pretium temporale.*
11. *Nempe res spiritualis vel spirituali annexa:*
12. *Et res temporalis: quotuplex hæc.*
13. *Simoniacum omni Jure est vendere res spirituales.*
14. *Et dare temporale pro administratione Sacramentorum, labore intrinseco, collatione Ordinum.*
15. *An munera sponte oblata pro ordinatione, dimissoriis litteris, examine in Concursu, constituant Simoniam Juris Ecclesiastici.*
16.17. *Simoniacum pariter est dare temporale pro officiis Divinis, jurisdictione Ecclesiastica, & ejus actibus.*
18.19.20.21. *Non tamen, si detur titulò sustentationis: laboris extrinseci: gratitudinis: obligationis, consuetudinis: aut redimendæ vexæ; sed sub modò.*
22.23. *Simoniæ est res antecedenter spirituali annexas, seu sacratas vel benedictas, vendere in concreto, non tamen in abstracto ratione materiæ vel formæ.*
24. *Neque, saltem regulariter, si permutentur res sacræ diversi generis.*
25. *Ad Simoniam constituendam sufficit etiam munus à lingua:*
26. *Et Munus ab obsequio.*
27. *Forma Simoniæ consistit in pacto oneroso, tacito vel expresso, vel etiam incompleto.*
28. *Tale est, si detur &c. temporale in compensationem gratuitam pro spirituali.*
29.30. *Non tamen, si detur &c. sub spe vel etiam pacto gratitudinis in genere.*
31.32.33.34. *Pactum quoque Simoniacum est, si detur temporale ut motivum, aut finis obtinendæ rei spiritualis. Et quomodo hæc sint intelligenda.*
35.36. *Non tamen, si Ecclesiæ Ministri accipiant, etiam sub pacto, temporalia pro Missis & functionibus sacris: neque si temporalia promittantur vel dentur sub conditione, vel modo, ut obtineantur pia opera.*
37.38. *An & quando liceat dare temporale pro consequendo spirituali ad redimendam vexam.*
39. *An Transactio circa res spirituales:*
40.41. *Et pactum ex una parte fictum Simoniam constituat.*
42. *Circa quas materias in particulari facile committatur Simonia.*
43. *Quid sit beneficium Ecclesiasticum.*
44.45. *Qualiter & qualis circa illud committatur Simonia.*
46.47. *Continuatur eadem materia.*
48. *Qualiter circa Decimas.*
49.50.51. *An & qualiter circa Ingressum Religionis.*
52. *Quid intelligatur per pœnas Simoniæ.*
53.54.55. *Ipso Jure incurruntur ob solam Simoniam realem, eámque triplicem.*
56. *Nempe ob Ordines Simoniacè susceptos & collatos.*
57. *Vel si committatur circa ingressum Religionis.*
58.59. *Aut circa provisionem beneficiorum.*
60. *Licèt ignorante promoto.*
61. *Quæ sint pœnæ Simoniæ Confidentialis.*
62. *Quamvis pactum Simoniacum sit nullum, valet tamen traditio, exceptâ materiâ beneficiali.*
63.64. *An & quando restitui debeant Simoniacè accepta.*
65. *Et cui.*
66. *Quis sit Judex in causâ Simoniæ, accusator, testis.*
67. *Quis dispenset in pœnis Simoniæ.*
68. *An ab iisdem excuset ignorantia.*

DElictis in genere, & modis, quibus deferuntur in Judicium, explicatis progressu fit ad delicta in specie ac singulatim discutienda, imprimis quidem ad ea, quæ directè & principaliter cedunt in contumeliam ipsius DEI, rerumque Sacrarum vilipensionem, utì Simonia, infidelitas, hæresis, schisma, apostasia; dein ad illa, quæ directè & principaliter lædunt proximum, utì homicidium, adulterium &c. Priùs proin de illis, postmodum verò de istis agetur; atque in præsenti titulo de *Simoniâ*, quæ licèt sit crimen gravissimum, ita ut *omnia crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputentur*, ut loquitur *canon ult. caus. 1. q. 7.* plurimos tum ex Ecclesiasticis tum ex Laicis, qui illius prohibitionem non minùs ex Corpore Juris Canonici quàm ex usu vellent expunctam, velut pestifera lues inficit. Nos, ut clarè & ordinatè procedamus, docebimus priùs, quid & quotuplex sit, tum quæ ejus materia & forma, dein de quibusdam Simoniæ speciebus, ac demum de pœnis ejusdem dicemus.

§. I.

Quid & quotuplex sit Simonia.

Sciendum, *Simoniam* appellari à *Simone Mago*, qui videns per impositionem Manuum ab Apostolis Sacramentum Confirmationis conferentibus impertiri Spiritum S. h. e. gratiam sanctificantem, per quam specialiter animabus inhabitat Spiritus S. pecuniam obtulit Apostolis, dicens: *date & mihi hanc potestatem, ut cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum S.* intendens per hoc non tantùm emere, sed etiam postea vendere gratiam Spiritûs

Spiritûs S. ut per hanc venditionem multiplicaret pecunias, ut ait Urbanus II. *can. 8. cauſ. 1. q. 3.* Suar. *de Relig. to. 1. l. 4. c. 1. n. 3.* Sed audire à D. Petro debuit: *pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum DEI exiſtimâſti pecuniâ poſſideri. Act. 8.* Delictum (licèt non nomen) Simoniæ jam antè fuiſſe & in Antiquo Teſtamento, vix dubium eſſe poteſt, ſic tamen appellari cœpit in Novo Teſtamento, quia Simon Magus illud primus commiſit, & ipſum etiam Spiritum S. pro pecunia emere ac vendere voluit. Sortitur quidem hoc genus delicti alia quoque deteſtanda nomina tum à PP. tum à SS. Canonibus, ac ſæpe vocatur *hæreſis* cum addito *Simoniaca*, non quòd proprie ſit hæreſis, ac neceſſariò involvat errorem intellectûs in fide, cùm ex depravato avaritiæ affectu committi poſſit à Chriſtianis, probè gnaris, & credentibus illicitè vendi ſpiritualia pretio temporali: ſed ideo, vel quia primus, qui tempore Legis Evangelicæ hoc ſe crimine polluit, fuit hæreſiarcha primus, & erroneò circa fidem judicio *exiſtimavit* perversè, rem ſpiritualem pecuniâ obtineri poſſe; vel quia omnis Simoniacus ita operatur exteriùs, ac ſi judicaret, res ſpirituales pro temporalibus commutari poſſe, & ſic præſumptione Juris, vel operis, de hæreſi ſe reddit ſuſpectum. S. Gregor. *M. lib. 9. ep. 53. ad Theodoric. Reg.* Menoch. Sotus, Gonzal. *ad c. 1. h. t. n. 12.*

3 Dico 1. Simonia communiter cum Gloſſa *pr. cauſ. 1. q. 1.* & S. Thoma *in 4. d. 25.* definiri, quòd ſit *ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi aliquid ſpirituale vel ſpirituali annexum.* Dicitur 1. *ſtudioſa*, h. e. deliberata, & cum advertentia ad malitiam, quod eſt commune omni peccato formali. 2. *voluntas*, nimirum actualis, ſeu actus voluntatis, vel actio voluntaria ac deliberata; adeóque cauſa, nempe voluntas, hìc ſumitur pro effectu. 3 *emendi vel vendendi*, quibus verbis indicatur forma Simoniæ, ſcilicet pactum vel contractus, non tantùm emptionis vel venditionis propriè dictæ, ſed etiam quicunque alius oneroſus, ſeu non gratuitus, quo res ſpiritualis commutatur, datur, vel promittitur pro temporali, uti eſt permutatio, tranſactio, remiſſio delicti aut debiti pro ſpirituali &c. nam tota Simoniæ malitia in eo ſita eſt, quòd quis res ſacras vel ſpirituales vel ſpirituali annexas adeò vilipendat, ut eas pro temporalibus & profanis, quæ ab illis, utpote altioris ordinis, longè ſuperantur, comparari poſſe vel perversè exiſtimet, vel comparare malitioſè attentet. Unde in Simoniæ vitio parvitas materiæ locum non habet, ſed ſemper eſt graviſſimum peccatum; imò quò minus pretium temporale datur, vel offertur pro re ſpirituali, eò major eſt contemptus rei ſpiritualis, & ſic majus peccatum. 4. *ſpirituale vel ſpirituali annexum*, quibus denotatur materia Simoniæ, ſcilicet merx, ſeu res, quæ ſacrilegè emitur, vel venditur: quia verò nulla datur emptio vel venditio ſine pretio, ideo in omni Simonia rem temporalem tanquam pretium, quod pariter ad Simoniæ materiam pertinet, intervenire neceſſe eſt. Quapropter aliqui cum Leſſio in definitione apponunt verba, *pretio temporali*, ſed ſuperfluè, quia jam comprehenduntur ſatis in verbis *emendi vel vendendi*, quæ eſſentialiter involvunt pretium. Quid intelligatur per ſpirituale, vel ſpirituali annexum, uti & per pretium temporale, in Simonia interveniens, fuſiùs exponemus infrà §. 2. & 3. Interim nota, ad omnem Simoniam, ſaltem quæ eſt propriè talis, & Jure Divino prohibita, tria requiri, 1. pactum vel contractum emptionis, venditionis, vel alium quemcunque oneroſum commutationis, vel ſaltem actum voluntatis emendi, vendendi aut commutandi, poſitum ſive ab uno ſive à pluribus. 2. pretium, ſive rem temporalem. 3. mercem, ſive rem ſpiritualem vel ſpirituali annexam.

Oppones 1. Datur quoque, & longè frequentiùs, Simonia conventionalis & realis: ſed his non convenit noſtra definitio, utpote per tò *voluntas* denotans ſolam Simoniam mentalem; ergo Simonia, ut conveniat omni definito, non per tò *voluntas*, ſed potiùs per verba *emptio-venditio*, explicari debet. 2. Etiam homo liber, vita, fama tranſcendunt omne pretium temporale, utpote altioris ordinis, & tamen vendi poſſunt, aut commutari pro pretio, ſaltem quandoque: ergo etiam res ſpirituales, licèt ſint altioris ordinis, omnèque pretium temporale tranſcendant, tamen vendi poſſunt, ſaltem quandoque. 3. Dici non poteſt, ad quod genus vel ſpeciem peccati pertineat Simonia: ergo peccatum non eſt. R. ad 1. *N. Min.* Nam per tò *voluntas* intelligitur etiam actio & conventio voluntaria, qua datur vel promittitur temporale pro ſpirituali, adeóque involvitur etiam Simonia realis & conventionalis. Cùm autem res ſacræ & ſpirituales, utpote extra commercium humanum poſitæ & ſupra omne pretium temporale, nec licitè nec validè vendibiles ſint, & re ipſa non emantur, vel vendantur, ſed ſolùm attendetur emptio-venditio, ideò rectiùs adhibetur vox *voluntas* emendi vel vendendi, quam *emptio-venditio*. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* nam liber homo, vita, & fama, licèt tranſcendant omne pretium, & ſint altioris ordinis, ſunt tamen bona humana, temporalia, ac ordinis naturalis, humano Juri ac arbitrio ſubjecta: res verò ſpirituales ſunt ordinis ſupernaturalis, humano juri ac arbitrio non ſubjectæ, neque humanis naturæ viribus acquiſibiles. Ad 3. Eſt peccatum contra virtutem *Religionis* principaliter, & ad genus *Sacrilegii* pertinet, cujus eſt ſpecies, utpote violatio & profanatio rei ſacræ & ſpiritualis, ut colligitur ex *can. 1. cauſ. 1. q. 3.* & communiter probant DD. ex eo, quòd per Simoniam vilipendantur ac irreverenter tractentur res ſpirituales, atque ſupponit Sua-

4

rez. *to.* 1. *de Relig. l.* 4. *c.* 3. *n.* 5. Unde idem Suar. *c.* 1. *n.* 7. accuratiorem Simoniæ definitionem ponit hanc: *eſt ſacrilegium, quod committitur emptione, & venditione, vel quovis alio contractu, quo ſpirituale, ut tale eſt, commutatur pro temporali.* Per accidens tamen & ſecundariò poteſt etiam quandoque adverſari *Juſtitiæ* tum Commutativæ, ut ſiquis vendat rem ſpiritualem pro pretio, non ſimul ſe privans aliquo commodo temporali, quod pretio ſit æſtimabile, tum Diſtributivæ, ut ſi per Simoniam (quod facilè fit) ad Prælaturas & beneficia Eccleſiaſtica promoventur indigni: & hinc Simoniæ vitium non modò graviſſimè eſt DEO & rebus ſacris injurioſum, ſed etiam Eccleſiæ maximè perniciosum. Urgebis: Si Simonia eſt ſpecies ſacrilegii, tunc admittit parvitatem materiæ: ſic in violatione Voti & juramenti promiſſorii, quæ eſt ſpecies ſacrilegii, datur parvitas materiæ. Id quod confirmatur ex *c.* 18. *h. t.* ubi aliquis excuſatur à Simonia ex eo capite, quòd res modici pretii dederit pro Pallio Archiepiſcopali, vel ſi detur modicum pro ordinatione ſacra. R. *N. ſequelam:* quòd in una vel altera ſpecie Sacrilegii detur parvitas materiæ, ex eo malè infertur, in qualibet ſpecie dari: ſic utique peccabis mortaliter peccato ſacrilegii, ſi rem ſacram, etiam minimam, conculces pedibus: attendendum igitur eſt, an etiam in re parva detur gravis inhonoratio rei ſacræ vel ſpiritualis, cujusmodi utique datur in Simonia, ſi res levis detur pro ſpirituali. Ad *Confirm.* Ibi non ob modicitatem rei temporalis datæ excuſatur aliquis à Simonia, ſed quòd res tam modica ab opulento data præſumatur gratis & ex mera liberalitate, non verò per modum pretii data.

5 Dico 2. Simonia communiter & rectè dividitur in Mentalem, Conventionalem (ad quam etiam referri poteſt Confidentialis) & Realem. *Mentalis* non eſt illa, quæ conſiſtit in mente & interno propoſito dandi temporale pro ſpirituali, vel viciſſim, ſi illud propoſitum nullo modo prodiit in actum externum, quæ rectiùs vocatur *interna*, & à Canoniſtis non attenditur, utpote Simoniam non pro interno conſcientiæ foro, ſed pro externo conſiderantibus; ſed eſt illa, quæ absque pacto expreſſo vel tacito fit, & quidem tranſit in opus ſeu actum externum, ita tamen, ut animus Simoniacus nullo ſigno externo manifeſtetur, ſed lateat, ſive dein unus duntaxat (ut ordinariè contingit) ſive uterque (tam dans vel promittens rem temporalem, quàm dans ſpiritualem) ponat actum externum, animô Simoniacô exteriùs non manifeſtatô, & absque pacto tacito vel expreſſo. v. g. vacat, vel brevi vacaturum creditur beneficium Eccleſiaſticum, tu autem, ut illud obtineas, Patrono vel Collatori das poculum argenteum, vel eidem ſervitia præſtas temporalia: aut viciſſim Patronus te præſentat ad beneficium ea intentione, exteriùs tamen non manifeſtatâ, ut illius intuitu atque ex debito tu eidem des pecuniam in compenſationem: vel ſiquis tibi beneficium Eccleſiaſticum jam contulit, tu verò eidem propterea das pecunias tanquam ex obligatione & in compenſationem, non ex mera gratitudine. *Conventionalis* eſt, quando intervenit conventio, vel pactum, ſive expreſſum ſive tacitum, de dando temporali pro ſpirituali, vel viciſſim de dando ſpirituali pro temporali: ſi ex neutra parte ſecuta eſt executio vel traditio rei temporalis & ſpiritualis, eſt *purè* conventionalis; ſi verò ex alterutra tantùm parte facta tam eſt traditio, *mixta* dicitur. *Realis* verò quæ præter conventionem vel pactum involvit ſimul traditionem ex utraque parte, nimirum tam rei temporalis quàm ſpiritualis. v. g. tu 100. florenos pro beneficio promiſſos jam ſolviſti, & tibi beneficium jam eſt collatum.

Confidentialis denique Simonia eſt à Jure Canonico ſpecialiter notata ac punita, nempe in Conſtit. *Romanum Pontificem* Pii IV. 1564. & Conſt. *Intolerabilis* S. Pii V. 1569. editis, quam ultimam per extenſum recitat P. Reiffenſtuel *h. t. n.* 42. locúmque dumxat obtinet in Beneficiis Eccleſiaſticis, & tunc committitur, quando quis alteri procurat beneficium quocunque modo (nempe vel conferendo, vel eligendo, vel præſentando, vel in ejus favorem reſignando &c.) cum certa *confidentia* h. e. cum pacto vel expreſſo vel tacito, ut is, cui procuratur, idem beneficium poſt aliquod tempus reſignet, aut relinquat vel procuranti, vel alteri cuidam, aut certè penſionem vel fructus ex eodem præſtet. Contingit poſſimùm tribus modis. 1. Cum reſervatione *acceſſûs*, quando quis alteri procurat beneficium ſub pacto, ut is tertio, qui his & nunc propter defectum, v. g. ætatis, vel aliud impedimentum, illius capax nondum eſt, ceſſante impedimento illud beneficium relinquat, & ille tertius debitam ætatem v. g. conſecutus, habeat acceſſum, h. e. propria auctoritate illud apprehendere poſſit. 2. Cum reſervatione *ingreſſûs*, quando quis beneficium ſibi collatum, cujus tamen poſſeſſionem nunquam adiit, alteri cedit eo pacto, ut cedens, ſi per mortem ceſſionarii vel alio modo vacare contigerit hoc beneficium, illud ingredi & poſſeſſionem capere valeat. 3. Cum reſervatione *regreſſûs*, quando nimirum aliquis beneficium à ſe jam poſſeſſum, cedit vel reſignat alteri eo pacto, ut, ſi reſignatarius præmortuus fuerit, vel aliter beneficium dimiſerit, ipſe reſignans idem beneficium recuperet. Si his tribus modis committatur Simonia Confidentialis, ea tantùm eſt Juris Eccleſiaſtici, quia nihil temporale intervenit: ſi verò procurans alteri beneficium ſibi aut tertio reſervet penſionem temporalem aut fructus ex tali beneficio, committit inſuper Simoniam Juris Divini & Naturalis.

Simo-

Siquis autem ab eo, cui procurat beneficium, nec istud, nec fructus vel pensionem ex illo, sibi vel alteri reservet, aliquid tamen temporale pro beneficio procurato exigat vel accipiat, Simoniam *confidentialem* seu *qualificatam* non committit, bene tamen *simplicem* & Jure Communi, Divino & Humano, prohibitam. Porro cùm utraque Bulla Piana loquatur de *beneficio* procurato cum reservatione accessûs, vel ingressûs, vel regressûs, ideo, si tali modo procuretur Pensio, vel aliud jus, quod propriè & strictè beneficium non est, non committitur Simonia confidentialis; quia in materia odiosa non debet fieri extensio. Propter eandem rationem dictæ Constitutiones Pianæ non sunt extendendæ ad permutantes beneficia (licet se extendant ad Collatores propter admissam permutationem, vel factam collationem, sibi vel aliis pensionem reservantes) multò minùs ad illos, qui alteri quidem procurant beneficium cum *spe* & *fiducia*, quòd is, cui procuratur, procurantibus vel eorum consanguineis sit iterum resignaturus, at sine animo ad id obligandi. Nec obstat, quòd Bullæ dicant, Simoniam confidentialem committi etiam *sola dimittentis intentione*; quia per hanc secundùm Suar. & communem Interpetum non intelligitur sola spes, sed pactum, vel voluntas obligandi: quæ voluntas si adsit, exteriùs tamen non manifestata, committitur Simonia, nimirum Mentalis: si verò exteriùs manifestata, committitur vera Simonia confidentialis, etsi alter nihil repromittat, idque indicant dicta verba, *sola dimittentis intentione.*

7 Oppones. Juxta superiùs dicta ad omnem Simoniam requiritur pactum: ergo Simonia Mentalis, & Confidentialis, quæ sola dimittentis intentione perficitur, non est Simonia; eò quòd pactum ex essentia sua sit *duorum vel plurium in idem placitum consensus. l. 1. ff. de Pactis.* R. per *pactum*, quod ad Simoniam requisivimus, intelligimus vel completum & perfectum, quod duorum aut plurium dicit consensum, ac voluntatem se obligandi, vel imperfectum, ex una saltem parte inchoatum, & incompletum, quod consistit in voluntate unius, obligandi alterum ad dandum vel recipiendum temporale pro spirituali, ponentis insuper aliquem actum externum cum tali intentione; adeóque est conventio affectivè & mentaliter: quippe in tali animo ac voluntate jam residet tota malitia & turpitudo Simoniæ; cùm spirituale hoc pacto jam æquiparetur temporali. Sic Simon Magus utique verè commisit Simoniam, licèt ipse solus habuerit intentionem dandi temporale pro spirituali, & S. Petrus non consenserit. Quòd autem sufficiat tale pactum incompletum ac improprie dictum, & hujusmodi prava voluntas, etiam ex parte unius tantùm, ad constituendam Simoniam, scilicet Mentalem, patet non tantùm ex allato exemplo & communi sensu DD. sed etiam ex *citt. Constit.* Pii IV. & S. Pii V. item ex *c. 34. h. t.* ubi affertur exemplum Simoniæ Mentalis.

Dico 3. Rectè quoque dividitur Simonia in eam, quæ est Juris Divini, & in illam, quæ est Juris Ecclesiastici. Ita ferè omnes tam Theologi, quàm Canonistæ cum Panormit. Felin. Innoc. Host. Decio, Fagn. Barb. & Gloss. *in c. 1. de Offic. deleg. V. dimittere. & c. 4. de Pact. V. Illicita.* Hæc divisio, quamvis fortè univoca non sit, sed analoga, & superiùs posita definitio Simoniæ non in omni rigore conveniat Simoniæ Juris Ecclesiasti, uti colligetur ex dicendis, recepta tamen est inter Doctores, quorum plurimi cum Suar. *l. 4. c. 2. & 7.* eam quoque propriè dictam esse contendunt, & fundatam in ipso Jure; nam præter Simoniam Iuris Divini manifestè in eodem continetur Simonia Iuris Ecclesiastici, uti *c. 5. & 7. de rer. permut.* Dicitur autem *Simonia Juris Divini* illa, quæ prohibetur Iure Naturali mentibus nostris inscripto à DEO, adeòque hic Ius Divinum confunditur cum Naturali, atque committitur tunc, quando res in se & intrinsecè spiritualis vel sacra commutatur vel æquiparatur cum temporali; nam ipsa Natura & lumen Naturale dictat, DEO & rei spirituali vel sacræ injuriosum esse, si res à sola DEI liberalitate dependens, hominum commerciô propter suam excellentiam exempta, & altioris ac supernaturalis ordinis, hominum arbitrio ac æstimationi subjiciatur, reique temporali æquiparetur. Unde intrinsecè mala est, nec à Summo Pontifice dispensabilis. Simonia autem *Ecclesiastica* seu *Juris Ecclesiastici* vocatur, quæ tantùm Iure Ecclesiastico prohibita est, & ubi non spirituale pro temporali, sed spirituale pro spirituali, vel spirituali annexum, pro alio spirituali annexo, aut temporale pro temporali, aliter, quàm permittat Ecclesia, datur vel commutatur: ut si duo permutent beneficia Ecclesiastica, vel si transigant super lite beneficiali, si id faciant propria & non Episcopi auctoritate. *c. 5. 7. citt. c. 4. de transact.* Item si officia, ad rerum Ecclesiæ temporalium administrationem aut defensionem ordinata, uti sunt officia Oeconomi, Thesaurarii, Sacristæ &c. vendantur vel emantur. per *c. 38. h. t.* Ex quibus apparet, quàm imperitè simul & ineptè Gonet *in dissert. de probabil. n. 148.* apud P. Friderich scripserit, præsentem divisionem Simoniæ ineptam videri & chymericam, ac à recentioribus Casuistis (Iesuitas intelligit) excogitatam.

8

Quæres, utrùm Simonia Iuris Divini & Naturalis, vel Ecclesiastici tantùm sit, quando res tantùm extrinsecè spiritualis, seu in se quidem temporalis, at consequenter annexa rei spirituali, promittatur vel commutetur cum temporali, v. g. pecuniâ? cujusmodi res in se temporales, rei tamen vel officio spirituali annexæ, sunt beneficia Ecclesiastica, Ius decimandi &c. R. cum Abb. Covarruv. Suar. *c. 23. n. 8. & c. 24. n. 32.* Pirh. *h. t.*

9

h.t. n. 75. Est Juris Divini & Naturalis. Sumitur ex *can. siquis objecerit 7. & can. seq. caus. 1. q. 3.* in quo utroque habentur hæc formalia : *quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit :* ergo, quando duo, à vendente inseparabiliter, annexa sunt, & unum eorum venditur, etiam alterum venditur : sed jus percipiendi reditus temporales beneficii, decimas &c. est annexum officio spirituali auctoritate Ecclesiastica, & quidem inseparabiliter, ita ut vendens, & inferior Papâ hanc annexionem tollere nequeat : ergo, siquis vendat jus percipiendi reditus temporales, decimas &c. adhuc annexum officio spirituali & obligationi ac juri functiones spirituales exercendi, etiam vendit istud officium ac jus spirituale : atqui vendere jus vel rem spiritualem est Simonia Juris Divini : ergo. Contrarium tenent Jul. Clar. Less. *de I. & I. l. 2. c. 35. n. 26.* (quamvis iste *n. 18. præced.* videatur tenere nostram sententiam) Esparza *Curs. Theol. l. 8. q. 47. de Virt. Just. ad 4.* Carden. *in Crisi differt. 27. c. 1. n. 6.* Quorum objectiones facile solves, si diligenter distinguas inter sensum compositum & divisum, quòd scilicet stante compositione & annexione rei spiritualis cum temporali committatur Simonia Juris Divini, non verò, postquam divisio & separatio spiritualis à temporali legitimâ auctoritate jam facta est.

§. II.

De Materia Simoniæ, nimirum tam Merce, quàm Pretio Simoniaco.

10 Sciendum 1. loquendo de Simonia Juris Naturalis, de qua ferè sola & unicè agimus, ad illam necessariò requiri rem spiritualem vel spirituali annexam, quæ *Mercem* constituit in hac impia mercatura, & simul rem temporalem, quæ locum & rationem *Pretii* obtinet. Utraque res, tam spiritualis quàm temporalis, *materia* est, circa quam versatur animus & conventio Simoniaca, dum una æquiparatur vel commutatur cum altera.

11 Sc. 2. per *spirituale*, quod est merx Simoniaca, hic non intelligi omne id, quod est expers corporis, uti est DEus, Angeli, anima rationalis, fama, jus venandi &c. sed id, quod simul est aliquo modo supernaturale, vel ad DEI honorem, aut ad spiritualem animarum salutem ordinatum : cujusmodi sunt in triplici classe ; nam 1. aliqua sunt spiritualia *formaliter*, intrinsecè, & quoad essentiam suam, uti gratia sanctificans, gratiæ gratis datæ, dona Spiritûs S. virtutes tum Theologicæ tum Morales divinitus infusæ. 2. alia sunt spiritualia *causaliter*, quia sunt causa bonorum supernaturalium, & prioris generis spiritualium donorum, uti Sacramenta, potestas, jurisdictio, & officia Ecclesiastica, utpote ordinata ad producendum effectum supernaturalem & spiritualem, item consecrationes, benedictiones aquæ, numismatum, templorum &c. 3. quædam sunt spiritualia *effectivè*, ut ita loquar, seu sunt effectus causæ spiritualis, v. g. gratiæ vel alterius doni spiritualis, aut officii ac potestatis spiritualis, uti sunt actus virtutum & operationes sanctæ, functiones sacræ, item baptizare, officia Divina celebrare, verbum DEI prædicare, prophetare, miracula facere &c. Alia demum fiunt spiritualia vel sacra per annexionem. Et hinc per *spirituali annexum* intelligitur quidem aliquid in se temporale, & non spirituale, quod tamen rei, juri, vel officio spirituali vel DEI, vel Ecclesiæ ordinatione est annexum, vel sibi conjunctum habet aliquid spirituale; quod rursus triplicitet fieri potest 1. *antecedenter*, si nempe talis res in se non spiritualis tanquam causa vel aliquid præsuppositum ordinatur ad aliquid spirituale, seu sacratur vel benedicitur in ordine ad aliquid spirituale, uti Sacramentalia & ceremoniæ sacræ, res consecratæ vel benedictæ, v. g. templa, altaria, calices, patenæ, paramenta & vestes sacræ, quæ ordinantur ad sacrificium, rosaria, quæ ad preces, numismata, quæ ad devotionem, jus patronatûs, jus eligendi, imò ipsa electio, collatio &c. beneficii, quæ referuntur ad beneficium & officium Ecclesiasticum. 2. *concomitanter*, si spiritualibus intrinsecè est conjuncta, ut labor corporis, & omnis actio, quæ necessariò suscipitur & fit in Sacrificio Missæ, administratione Sacramentorum & divinorum officiorum, in prædicatione Verbi Divini &c. 3. *consequenter*, si nimirum velut effectus præsupponit causam spiritualem, uti sunt oblationes, decimæ, beneficia Ecclesiastica, quatenus sunt jus percipiendi res & fructus temporales; quia hoc jus præsupponit & respicit officium spirituale. De his rebus, quas inter spirituales vel spirituali annexas recensuimus, ponemus varias Assertiones, dilatis tamen quibusdam ad § 4. ubi referemus quasdam Simonias in specie.

Sc. 3. Nomine *pretii* Simoniaci non so- 12
lam venire pecuniam, uti tamen venit in emptione-venditione, sed quamcunque rem temporalem, pecuniâ æstimabilem, vel quæ affert utilitatem temporalem. Sæpe vocari solet *munus*, non prout hæc vox denotat vel donum gratuitum vel officium, sed prout significat onus, vel obligationem alicui impositam. Hoc pretium vel Munus est triplex, nempe *munus à manu*, per quod intelligitur pecunia, vel quæcunque res, corporea vel incorporea, pecuniâ æstimabilis, ut contradistincta à precibus, & aliis, quæ fiunt per officium linguæ, atque à servitiis; *munus à lingua*, per quod intelliguntur preces, intercessiones, laudes, recommendationes &c. factæ ex pacto vel intentione obligandi aliquem ad obtinendum per & propter illas aliquid spirituale : & *munus ab obsequio*, per quod intelliguntur servitia temporalia, uti famulatus, negotii gestio, rerum admi-

nistratio

nistratio &c. ordinata ad obtinendum ex pacto, vel obligatione, pro illis spirituale. Atque hinc notandum, ad constituendam Simoniam non sufficere, si quis alteri det aut promittat pecunias vel aliam rem temporalem, interponat preces, exhibeat servitia, nisi ista habeant *rationem pretii*, h. e. nisi id faciat eâ intentione vel pacto, ut alter illorum intuitu obligetur ad dandum spirituale, vel vicissim nisi detur spirituale cum pacto, vel saltem animo obligandi alterum, ut intuitu spiritualis det temporale, & non ex alio titulo: dare enim *temporale pro spirituali*, & *spirituale pro temporali*, pari passu ambulant, & eadem in utroque est turpitudo. Qua autem mente datum vel promissum sit temporale, an gratis, an verò ex pacto, vel intentione obligandi alterum ad reddendum spirituale, pro foro externo juxta *c. 18. h. t.* ex tribus maximè colligi potest, si dubium sit 1. ex qualitate dantis & accipientis; nam si sint consanguinei, vel speciales amici, vel valde honesti, præsumitur donatio gratuita. 2. ex quantitate rei temporalis; nam si hæc est modica vel absolutè vel respectu dantis, non censetur data tanquam pretium pro re tam præstanti, uti est res spiritualis, sed donata potiùs. 3. ex tempore largitionis; nam si munus antecedat, vel immediatè sequatur collationem rei spiritualis, non facile præsumitur ex liberalitate, sed ex pacto vel obligatione datum, adeóque per Simoniam: si verò ex intervallo sequatur, præsumitur ex liberalitate vel gratitudine datum. Ponemus hic etiam de quibusdam casibus circa pretium Simoniacum quasdam conclusiones, alias autem differemus ad §. *3. de Pacto Simoniaco.*

13 Dico 1. Simoniacum foret velle vendere vel emere res, quas diximus esse intrinsecè, vel causativè, vel effective Spirituales. Communis omnium Catholicorum, fundata tum in Jure Naturali, tum in Positivo *c. 1. 8. 9. 10. 14. & c. h. t.* cum concordantiis.

Oppones 1. In Sacramentis, quæ diximus esse res causativè spirituales, datur materia, v. g. panis & vinum in Eucharistia, quæ sine Simonia emi & vendi possunt: ergo pars Sacramentorum emitur & venditur sine Simonia. 2. Sacramenta consistunt in actionibus naturalibus: sed emere vel vendere actiones naturales non est Simoniacum. *Gl. in c. 9. cit. v. benedictionibus* asserit, licitum esse pro Matrimonio aliquid temporale dare vel recipere. 3. In Matrimonio sine vitio Simoniæ accipitur dos, donatio propter nuptias &c. quæ sunt aliquid temporale: sed Matrimonium est Sacramentum: ergo. R. ad 1. Materia remota Sacramentorum, si aliunde non sit benedicta, uti benedictum est chrysma pro Confirmatione, & oleum pro Extrema Unctione, nihil habet spiritualitatis, uti panis & vinum, & ideo venditionem non respuit: materia tamen proxima, seu actio, per quam applicatur materia remota, item pronuntiatio formæ seu verborum, per quas conficitur Sacramentum, pretium temporale non admittunt; quod proin peti vel dari pro ipsis sine Simonia nequit. Ad 2. Illæ actiones non sunt naturales, sed supernaturales; quia ex institutione Christi ordinatæ ad conferendam gratiam supernaturalem. Glossa erravit, dum credidit, in Matrimonio non conferri gratiam supernaturalem. Etiam benedictio nuptialis non admittit pretium, quia ordinatur ad conferenda dona spiritualia. Adde, quòd talis benedictio sit actus Ordinis Clericalis, item Sacramentale, transiens licèt, seu consistens in actione transeunte. Ad 3. Ejusmodi temporalia non dantur vel accipiuntur pro ipso Matrimonio, ut est Sacramentum, sed in ordine ad sustinenda Matrimonii onera, vel in ordine ad compensandum aliquem defectum, v. g. ignobilitatem ex parte unius; cùm enim Matrimonium sit etiam contractus civilis, non abhorret compensationem pecuniariam, etiam postquam ad rationem Sacramenti elevatum est, cùm retineat naturam contractûs.

Dico 2. Simoniacum pariter est tempo- 14
rale tanquam pretium dare vel accipere pro administratione Sacramentorum. 2. etiam pro labore, quem vocavimus intrinsecum. 3. imò pro collatione Ordinum Clericalium, etiam primæ Tonsuræ tantùm, pro litteris dimissorialibus, & pro examine Clericorum in Concursu pro beneficio Parochiali, nec sponte oblatum licet accipere. Pars 1. claret tum ex *c. 9. cit. & c. 42. eod.* tum ex natura Simoniæ. Aliud est, si non tanquam pretium, sed tanquam stipendium sustentationis, de quo infrà, exigatur vel detur. Pars 2. quam ut indubitatam tenet Suar. *l. 4. c. 21. n. 15. 18.* Guttierez, Wagnereck &c. indè colligitur, quòd talis labor vel sit ipsa functio sacra, & spiritualis, vel ab ea inseparabilis, & concomitanter spirituali annexus, nec habens ullam æstimationem, ab ipsa administratione Sacramentorum distinctam. Neque placet distinctio Laymanni *lib. 4. tr. 10. c. ult. n. 41.* ubi differentiam facit inter laborem secundùm rationem specificam, & quoad hunc nobiscum sentit, ac inter laborem secundùm rationem genericam spectatum, sub qua ratione admittit remunerationem temporalem. Hoc nos postea admittemus de labore extrinseco. Pars 3. quoad collationem Ordinum & litteras dimissoriales habetur in Trid. *s. 21. c. 1. de reform.* ubi quoad has correxit *c. 18. & c. 30. h. t.* permittentia accipi sponte oblata; Notariis tamen & litterarum expeditoribus, aliunde salarium non habentibus, indulsit decimam partem unius aurei accipere. Sed hæc Tridentini dispositio non ubique est recepta. Quoad examen habetur pariter in Trid. *s. 24. c. 18. de ref.* ubi vetat aliquid accipi sponte oblatum etiam post examen.

Quæres, utrùm hæc munerum sponte 15
oblatorum, & primùm post rem vel actionem jam datam, vel exhibitam, subsecuta acceptatio sit peccatum Simoniæ, vel tan-

tùm avaritiæ aut inobedientiæ ? R. cum communi contra Less. Palaum, Gibal. esse Simoniam ; quia ex una parte est sacrilegium, eò quòd Ecclesia hanc receptionem prohibuerit ex motivo Religionis, & ob reverentiam rerum sacrarum, sicut Sacrilegium committit, qui contra prohibitionem Ecclesiæ non jejunus sumit Eucharistiam : ex altera verò parte, ut ait Suar. *c. 49. n. 6.* hoc sacrilegium non pertinet ad aliam speciem, quàm ad Simoniam, cùm Ecclesia hanc munerum largitionem & acceptionem non quomodocunque intuitu Religionis prohibuerit, sed quia habet *speciem* commutationis rei spiritualis pro temporali. Quamvis non sit vera, sed tantùm apparens vel præsumpta venditio rei spiritualis, vera tamen est Simonia Juris Ecclesiastici tantùm, utpote hujus sacrilega transgressio. Neque dicas, nihil interesse, utrùm dicatur peccatum Simoniæ Juris Ecclesiastici, vel inobedientia &c. quia refert plurimùm; si enim est Simonia, incurritur privatio beneficiorum, obligatio restituendi, & aliæ pœnæ in Simoniacos constitutæ.

16 Dico 3. Simoniacum itidem est accipere vel dare pretium temporale pro officiis divinis, utì sunt Horæ Canonicæ, Litaniæ, & aliæ orationes publicæ vel in choro decantatæ, vel in Processionibus aut privatim recitatæ. Idem est de prædicatione Verbi Divini, & orationibus privatis. 2. pro jurisdictione Ecclesiastica, aut ejus concessione. 3. pro actibus ejusdem jurisdictionis tum fori interni, ut est audire confessiones, absolvere à peccatis, aut censuris, delegare potestatem audiendi Confessiones, vel absolvendi : tum externi, utì est dispensare in voto vel juramento pro foro externo, dare Indulgentias, dispensare in impedimentis Ordinum, Matrimoniorum, in Legibus, confirmare Electiones, instituere in beneficiis &c. qui sunt actus jurisdictionis voluntariæ, item ferre censuras, vel alias pœnas Ecclesiasticas infligere. Pars 1. clara est ex *c. 2. h. t.* & hac ratione, quia hæc ministeria & officia principaliter ordinata sunt, & tendunt ad supernaturales gratias ac dona spiritualia consequenda. Pars 2. ex *c. cit. & c. 8. c. 38. eod.* quippe jurisdictio Ecclesiastica tam ex parte principii, nempe DEI Authoris supernaturalium, quàm ex parte finis, qui est utilitas & salus supernaturalis animarum, spiritualis est. Pars 3. ex *c. 9. 14. 21. 24. 36. & c. h. t. c. 10. de Vit. & honest.* Siquidem jurisdictionis Ecclesiasticæ actus supponit principium spirituale, & tendit ad finem supernaturalem non minùs ac exercitium & actus Ordinis Sacramentalis.

17 Oppones 1. Canonici pro Officiis Divinis & frequentatione Chori accipiunt Distributiones quotidianas, Religiosi munera temporalia pro suis orationibus, Clerici pro concionibus pecunias &c. & nemo ipsos damnat Simoniæ. 2. Romæ venduntur officia, quibus annexa est jurisdictio Ecclesiastica, utì officium Præsidis Cameræ, Vice-Cancellariatûs &c. ergo & jurisdictio Ecclesiastica, utpote annexa, vendi potest licitè. 3. In Curia Romana stylus habet, ut pro dispensationibus forum externum spectantibus solvatur summa pecuniaria, & quandoque magna : ergo pro actu jurisdictionis Ecclesiasticæ fori externi rectè exigi potest munus temporale. 4. Si exercitium jurisdictionis Ecclesiasticæ est materia Simoniæ, tunc Judex Ecclesiasticus, coram quo agitatur causa merè temporalis, committet Simoniam, si aliquod munus temporale accepet : sed hoc est falsum : ergo. 5. Si pro actu jurisdictionis Ecclesiasticæ pretium accipere est Simoniacum, tunc erit quoque, si accipiatur pro omissione talis actûs : atqui hoc iterum est falsum. R. ad 1. Illi excusantur à Simonia; quia temporale non accipiunt tanquam pretium officii spiritualis, sed vel tanquam stipendium sustentationis suæ, vel tanquam eleemosynam. Ad 2. Illa officia venduntur solùm quoad emolumenta temporalia, & ad administrationem politicam, non quoad jurisdictionem spiritualem, quæ emolumenta à titulo spirituali & possunt & pro hoc casu solent separari authoritate Pontificis. Ad 3. Non exigitur nec solvitur summa pecuniaria pro ipsis dispensationibus, sed vel titulô sustentationis pro Officialibus Curiæ, vel titulô pœnitentiæ pro delicto injunctæ (si ob delictum inhabilitas est contracta, in qua petitur dispensatio) vel titulô eleemosynæ, in quam commutatur alia obligatio, à qua dispensandus liberari petit. Addi potest & hæc causa, ut dispensationes, quæ sunt vulnera legum, difficiliores reddantur, & rarius petantur. Ad 4. *N. Ma.* nam si causa mere temporalis, præsertim Laicorum, agitetur coram Judice Ecclesiastico, & is non ut Judex Ecclesiasticus procedat, sed ut dominus territorialis, non exercetur jurisdictio spiritualis, & propriè Ecclesiastica, quæ sit ordinata ad finem supernaturalem, sed temporalis à Judice, qui per accidens est persona Ecclesiastica. Ad 5. *N.* iterum *Ma.* vel *dist.* erit Simoniacum, si aliquid accipiatur pro omissione actûs Jurisdictionis spiritualis, si talis omissio in æstimatione morali æquivalet actui jurisdictionis *C. Ma.* sic in *c. 14. h. t.* pro Simoniaco habetur, qui pro pretio negat pœnitenti ritè dispositio absolutionem ; quia non absolvendo æquivalenter ligat & retinet peccata. Idem est de negatione approbationis pro cura animarum, administrationis Justitiæ in foro Ecclesiastico contentioso &c. Si verò talis omissio in æstimatione morali est pura omissio, vel negatio actûs. *N. Ma.* quod enim nihil est, nec spirituale est : sic utique spiritualis non est omissio Breviarii, Missæ, vel alterius à jurisdictione Ecclesiastica non dependentis sacræ functionis.

Dico 4. Simoniacum tamen non est pro 18 administratione Sacramentorum, Officiis Divinis, celebratione Missarum, sepultura Mor-

Mortuorum, prædicatione Verbi Divini, exercitio vel actu jurisdictionis Ecclesiasticæ &c. aliquid temporale accipere, vel dare titulô sustentationis eorum, qui dant spirituale, vel ministrant. 2. titulô laboris extrinseci, ut si minister Sacramentorum vel alterius rei spiritualis debeat conficere iter, adire certum locum, esse paratus ad certam horam vel nutum petentis, vel aliud incommodum à functione sacra distinctum subire, aut propria negotia negligere. 3. titulô gratitudinis. 4. titulô obligationis, quam aliunde non habuit, sed in aliorum gratiam in se suscipit minister rei sacræ. 5. titulô consuetudinis, sed suô modô. 6. titulô redimendæ vexæ iniquæ, ut si in gravi necessitate constjtutus non potes impetrare absolutionem Sacramentalem, vel pro alio Baptismum, nisi des pecunias. Ita communis quoad pleraque membra Assertionis, quorum omnium ratio est, quia temporale, quod exigitur vel accipitur, promittitur vel datur, non per modum pretii (id quod essentialiter requiritur ad Simoniam, saltem Juris Divini) accipitur vel datur, sed ex alia causa honesta. Explicanda tamen nonnihil adhuc sunt singula membra. Siquidem

19 Dixi 1. *Titulô sustentationis*, seu per modum *stipendii* ad congruam Ministri sustentationem; cùm ipse Christus *Luc. 10.* id permittat, & S. Paulus *1. Cor. 9.* dicat: *nescitis, quoniam qui altari deserviunt, cum altari participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere.* Et ipsa Natura permittit, ut, qui aliis servit, sive in temporalibus sive in spiritualibus, mercedem & alimenta ab his recipiat, unde sustentetur. per *can. fin. caus. 1. q. 2. c. 16. de Præb.* Procedit hoc, uti cum S. Thoma docent communiter contra Sylv. etiamsi Clericus Minister jam aliunde, v. g. ex bonis patrimonialibus, habeat sufficientia sustentationis media; cùm nemo teneatur in aliorum gratiam gratis laborare, juxta textum S. Pauli *lo. cit. nemo militat suis stipendiis.* Si tamen Clericus aliunde, v. g. ex officio parochiali, foret obligatus ad functiones sacras, Sacramentorum administrationem &c. & indè sufficientes reditus ad sustentationem haberet, nihil posset exigere, nisi vel legitima consuetudo, vel Jus, aut Superior Ecclesiasticus id permitteret in partem stipendii vel redituum, uti videmus fieri in praxi apud Parochos. Text. *in c. 42. §4. h. t.* P. Friderich. *in tract. de Simonia. c. 2. §. 5. an. 62.* Ubi adverte, quòd juxta declarationes Cardinalium præsertim eam, quæ data est 10. Maji anno 681. & aliam 9. Maji anno 1692. ab Innocent. XII. approbatas & missas ad Reverendiss. ac Illustriss. D. Vicarium Generalem Frisingensem, ut testis est Reiffenstuel *h. t. n. 212. 213.* Parochi teneantur Missas pro suis parochianis offerre singulis diebus, si reditus sint pingues, si verò tenues, singulis diebus festis, ita ut his diebus aliud stipendium non possint accipere. Puto tamen, has rigidas declarationes non esse ubique receptas, saltem plenè, imò propter Anniversaria, Exequias, & alias obligationes similes, quas habent Parochi, nec posse executioni dari omnimodè.

Dixi 2. *Titulô laboris extrinseci*: cùm ejus- 20
modi labor sit aliquid mere temporale, ac pretiô æstimabile. Si tamen iste labor extrinsecus aliunde esse debitus, v. g. ex officio, fundatione, contractu &c. uti v. g. apud Parochum, ex officio obligatum ad Parochiano præbendum S. Viaticum, licèt unâ vel duabus horis distantem, & is tali casu plus exigeret, quàm consuetudo vel taxatio Episcopi permittit, committeret Simoniam, uti & si quis plus exigeret, quàm talis labor in æstimatione morali valet; excessus enim non pro temporali, sed pro spirituali censeretur exigi; cùm alius titulus desit. 3. *Titulô gratitudinis*, ad quam, licèt indeterminatam, recipiens ab altero aliquid, sive spirituale, sive temporale, obligatur Jure Naturali: si igitur pro accepto beneficio spirituali velit esse gratus exhibendo temporale, vel vicissim, licitè agit. Sed, quod datur titulô gratitudinis, debet sublequi beneficium jam acceptum, non antecedere. 4. *Titulô obligationis*; sic enim contra Suar. & Zœs. *h. t. n. 38.* docet P. Schmier *de Simonia n. 45.* & alii; nam obligatio ad functionem sacram utique distinguitur à functione sacra, atque pretiô æstimabilis est, utpote privans hominem libertate morali, & varia pariens incommoda: modò, uti limitavi, non detur hæc obligatio aliunde, v. g. ex officio, sed in alterius gratiam libere suscipiatur. 5. *Titulô consuetudinis*, vi cujus videmus passim aliquid exigi, etiam à Parochis, pro sacra sepultura, assistentia Matrimoniali, administratione Sacramentorum, pro Missis &c. Sumitur ex *rubr. & text. c. 42. h. t.* sed addidi, *suô modô*: nam ut consuetudo excuset à Simonia, requirunt DD. ut temporale accipiatur vel exigatur primùm, postquam spirituale jam est datum, ut exigatur moderate & sine violentia, ut Clericus sit paratus ministrare Sacra, etsi forte postea nihil accipiat, non verò neget vel altercetur, donec securum se reddat de temporali postea dando; si enim hæ conditiones abessent, consuetudo esset irrationabilis, nec abesset animus Simoniacus in exigente vel accipiente, saltem non abesset species Simoniæ, imò nec in dante vel promittente temporale aforet; nisi hunc excusaret necessitas, cùm alias non posset consequi spirituale ob alterius avaritiam. Et hinc dixi 6. *Titulô redimendæ vexæ*, ut si in necessitate constituto, imò etiam, ut docet Schambogen *h. t. n. 56.* nullam necessitatem habenti, nisi promittat vel det pecunias, injustè negetur Sacramentum vel aliud bonum spirituale, quod justè petit; modò promittens vel dans præcisè intendat tollere vexam & impedimentum injustum; quia necessitas vel utilitas spiritualis, ad quam quis habet jus, præbet justam causam permittendi malitiam alterius, & ex parte dantis tollit

tollit irreverentiam erga rem spiritualem. Idem est, siquis ab altero petat hostiam consecratam, v. g. ab hæretico, eam injuriosè tractanti, nec tamen obtinere possit, nisi det pecunias &c. nam in his casibus non datur pecunia tanquam pretium pro re sacra, cùm ad eam jam aliunde detur jus, sed tantùm tanquam medium ad tollendam alterius malitiam, & ut cesset à vexa iniqua, molestiis, injuriis.

21 Oppones 1. Contra Jus Divinum ac Naturale non habet locum ulla consuetudo: sed exigere vel accipere aliquid temporale pro impetrando Sacramento vel alia utilitate spirituali à Ministro sacro est Simonia Juris Divini & Naturalis: ergo. 2. Fideles longo vel longissimo tempore solventes aliquid pro administrandis sibi Sacramentis &c. non volunt propterea sibi imponere obligationem, sed exercent actus meræ facultatis, per quos non inducitur sicut præscriptio, ita neque consuetudo, uti nullum jus acquiritur illi, qui diu singulis annis liberè invitatur ad convivium. 3. Consuetudo aliquid accipiendi pro conferendis Sacramentis, pro sepultura sacra &c. reprobatur in *c. 8. in fin. & c. 9. h. t.* ergo. 4. Licèt quis promittat vel det pecunias ad redimendam vexam immediatè, tamen mediatè & per remotionem vexæ aut impedimenti injusti per pecunias procuratam obtinetur spirituale: atqui Simonia committitur, licèt mediatè tantùm per pecunias procuretur spirituale, ut patet in eo, qui alterius preces emit, per quas postea obtinet v. g. beneficium Ecclesiasticum. R. ad 1. per talem consuetudinem non præjudicatur Juri Divino & Naturali, eò quòd non faciat, ut temporale accipiatur per modum pretii pro spirituali, sed ex alio justo titulo, maximè per modum stipendii ad honestam sustentationem illius, qui spirituale dat vel ministrat. Accedit, quòd *reditus stolæ*, ut vocant, seu ea, quæ à parochis exiguntur & accipiuntur pro administratione Sacramentorum, celebratione Missarum, sepulturis &c. vi consuetudinis successerint decimis personalibus, quæ parochis aliunde deberentur de jure ad eorum sustentationem, hodie autem in desuetudinem abierunt. Ad 2. Quisquis fuerit animus fidelium, quorum consensus non requiritur, ut contra ipsos præscribatur, consuetudo talis vim suam obtinet ab assistentia Juris, Fideles ex diuturno usu obligare volentis. *c. 42. cit.* adeóque Jus supplet consensum fidelium, si apud hos defuit voluntas se obligandi. Ad 3. Ibi reprobatur consuetudo, non legitimè præscripta, vel quæ non est rationabilis, eò quòd supponat vel exactionem nimis cupidam, violentam, excessivam consuetudinis aut statuti, vel animum perversum exigentis & Simoniacum, quia nempe aliàs & sine pecunia non vult ministrare sacra, vel ante aut simul cum ministratione sibi temporale petit exsolvi. Ad 4. *dist. min.* Simonia committitur, licèt tantùm mediatè per pecunias procuretur spirituale, si id, quod tanquam medium intenditur, directè & per se intendatur, vel illud medium per se ordinetur ad obtinendum spirituale, uti preces emptæ. *C. Min.* si illud medium intendatur tantùm per accidens, vel ad spirituale ordinetur tantùm per accidens, uti redemptio iniquæ vexæ vel remotio injusti impedimenti. *N. Min.*

Dico 5. Simoniacum est vendere in concreto res antecedenter spiritualibus annexas, seu quæ secundùm se præcedunt spiritualitatem, nempe consecrationem vel benedictionem, uti Sacramentalia permanentia, h. e. quæ habent effectum permanentem, & sunt res consecratæ vel benedictæ, quæ nimirum constant ex materia temporali, & subinde etiam ex forma artificiosa, ac superveniente forma spirituali, scilicet consecratione vel benedictione: cujusmodi sunt templa, altaria, calices, patenæ, campanæ, numismata, rosaria, chrysma, oleum sacrum &c. 2. Simoniacum tamen probabilius non est res prædictas in abstracto vendere, scilicet pretiò in solam materiam, & si habeant, in formam artificiosam constituto. Pars prior, quam tenet communis, probatur tum ex *can. siquis objecerit 7. & can. res Ecclesiæ 12. caus. 1. q. 3.* tum ex ratione, quia Sacramentalia permanentia, seu res consecratæ & benedictæ in concreto, involvant consecrationem & benedictionem, adeóque aliquid spirituale: sicut ergo Sacramentalia transeuntia, quæ nimirum consistunt in actione transeunte, prout est benedictio nuptialis, ceremoniæ sacræ, exorcismi Ecclesiæ &c. vendi absque Simonia nequeunt, ita & permanentia, & res antecedenter spirituali annexæ in concreto. Posterior, quam contra Panormit, Angel. Tabien. & antiquiores Canonistas defendunt communiter Theologi cum S. Th. *2. 2. q. 100. a. 4.* & Suar. *to. 1. de Relig. l. 4. cit. c. 14. n. 6.* item Recentiores Canonistæ cum Redoano *de Sim. p. 3. l. 17. à n. 6.* & Gonzal. *ad c. 12. h. t. n. 8.* sumitur ex *can. 10. 15. 16. caus. 12. q. 2. l. 21. & Auth. Præterea C. de SS. Eccl.* ac suadetur indè; quia, quæ antecedenter sunt annexa spiritualibus, per annexionem subsequentem non amittunt suam æstimabilitatem & valorem intrinsecum quoad materiam, & formam artificiosam, ex quibus constant, nec sanctitas per consecrationem vel benedictionem ipsis ita annectitur, ut separari nequeat in æstimatione morali per intentionem vendentium & ementium, sicut jus patronatûs, alicui rei temporali, v. g. castro annexum, taliter à venditore & emptore castri separari potest, & cum re vendita transit ad emptorem. *c. 7. de Jure Patr.* Hanc doctrinam confirmat etiam praxis, pro qua duo diligenter observanda notant DD. Primum est, ut propter consecrationem vel benedictionem non augeatur pretium; aliàs censerentur vendi in concreto, & ut sacra sunt, atque ipsum etiam spirituale; quod foret Simoniacum. Secundum, ut si calices, vasa, aut para-

paramenta sacra vendantur Laicis, qui capaces non sunt sacri, ad quem destinata sunt, usûs, priùs confringantur, vel dissuantur, ut sic amittant consecrationem vel benedictionem. Aliud est de Rosariis, Numismatis &c. quorum sacer usus etiam ad Laicos pertinet.

23 Oppones 1. Templa seu Ecclesiæ materiales, semel ad usum Divinum deputatæ, ne quidem secundùm materiam possunt vendi, uti nec aliæ res consecratæ; sic enim loquitur *can. siquis cit. Siquis objecerit, non consecrationes emi, sed res ipsas, quæ ex consecratione proveniunt, penitus despere probatur. Nam cùm corporalis Ecclesia, aut Episcopus, aut Abbas, aut tale aliquid sine rebus corporalibus in nullo proficiat* (utilis sit suum ad finem) *sicut nec anima sine corpore corporaliter vivit; siquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum invenditum derelinquit. Nullus igitur emat Ecclesiam, vel Præbendam, vel aliquid Ecclesiasticum.* Pariter *c. 15. h. t.* dicitur, Ecclesias nec emi nec redimi posse. Confirmatur: beneficium Ecclesiasticum neque secundùm id, quod est temporale, nempe quoad jus percipiendi reditus temporales vendi potest propter *can. cit.* quia nempe est annexum officio spirituali: ergo nec res consecratæ vel benedictæ possunt vendi secundùm id, quod est materiale, seu secundùm materiam, cui est annexa benedictio vel consecratio. 2. Licèt templum diruatur, tamen lapides & ligna ad usus profanos vendi nequeunt. *arg. c. 4. de Relig. dom.* ergo neque calices &c. licèt confringantur, ad usus profanos & laicis. 3. si calix & similia respectu materiæ possunt vendi, etiam chrysma & oleum sacrum, quia materia adhuc æstimabilis manet: atqui hoc est prohibitum tanquam Simoniacum *can. 102. 105. caus. 1. q. 1. c. 16. c. 36. h. t.* ergo. R. ad 1. Ille canon *siquis*, qui planè difficilis est, variè explicatur: aliqui dicunt, solùm prohiberi venditionem Ecclesiæ in concreto, quatenus simul consecratio in æstimationem trahitur: alii cum Suarez volunt, per *Ecclesiam* intelligi beneficium Ecclesiasticum, seu Ecclesiam in titulum alicui collatam, quod desumunt ex puriore lectione, quod habet Deus dedit, sic sonante, *cùm corporalis Ecclesiæ Episcopus, vel Abbas &c.* alii concedunt, templa specialiter excipi, & eorum venditionem prohiberi tanquam Simoniacam à Jure Ecclesiastico, cui tamen ajunt derogatum esse per consuetudinem contrariam. Quælibet responsio habet suam probabilitatem. In *c. 15. cit.* sermo est de Ecclesia præbente reditus, & eam, uti, & res Ecclesiasticas, sine consensu Capituli vendi, aut pro annuo censu locari posse negatur. Ad Confirm. *N. Conf. & parit.* disparitas est in eo, quòd beneficium seu jus percipiendi reditus temporales *consequenter*, & non *antecedenter*, sicut res sacratæ & benedictæ, spirituali sit annexum; nam jus ad reditus temporales consequitur, & tanquam accessorium adhæret officio vel dignitati spirituali tanquam suo principali, juxta illud, *beneficium datur propter officium. c. fin. de Reser. in 6.* atque ita annexum est, ut à nemine, nisi à Summo Pontifice, separari possit. Ad 2. Illud specialiter statutum est de materialibus Ecclesiarum destructarum, nec illis simile quid reperitur de materia calicis destructi &c. & communis sensus ac praxis quoad res alias contrariatur. Ad 3. Communior negat sequelam, quia de oleo & chrysmate specialis exstat prohibitio. Alii, uti & nos cum Suar. *c. 14. cit. n. 17.* concedimus sequelam propter paritatem cum calicibus &c. Ad *Min.* dicimus, Episcopis tantùm prohiberi ex motivo Religionis ab Ecclesia, ne pro oleo & chrysmate benedicto aliquid accipiant, & hinc isti, nisi consuetudine excusentur, committunt Simoniam aliquid accipiendò, at non nisi Juris Ecclesiastici, non verò alii.

Dico 6. Simoniacum non est regulariter, 24
dare spirituale pro spirituali, aut temporale pro temporali: v. g. si duo permutent diversi generis sacras Reliquias, modò temporale non interveniat, & hujus intuitu detur spirituale: aut rosarium habens indulgentias pro Reliquiario: aut si unus parochus promittat alteri suam operam in cura animarum eo pacto, ut alter vicissim alia vice similem sibi operam præstet. Quòd non committatur Simonia Juris Divini vel Naturalis, clarum est ex definitione Simoniæ: quòd non Juris Ecclesiastici, probatur negativè, quia nullibi hoc in jure prohibitum. Nec obstat, quòd Canones universaliter prohibeant omnem pactionem circa spiritualia; quia intelligendi sunt de illis pactionibus, in quibus datur temporale pro spirituali, vel contrà. Suar. *c. 31. n. 20.* Aliud est, si prohibeant pactionem in materia particulari, uti in re Beneficiaria: & hinc dixi, *regulariter*. Unde Simonia Juris Ecclesiastici est permutare beneficia sine auctoritate Episcopi. *c. 5. 7. de rer. permut.* ubi id specialiter prohibetur.

Dico 7. Ad Simoniam constituendam 25
sufficit etiam *munus à lingua*, v. g. Siquis pecunias vel aliud temporale promittat vel det non ipsi, v. g. Episcopo, à quo vult Ordines vel beneficium Ecclesiasticum consequi, sed cuidam tertio, multùm valenti apud Episcopum, ut suas preces, intercessionem, & commendationem interponat, & per has impetret, quod intendit, spirituale. Communis cum S. Thoma *2. 2. q. 100. a. 2. ad 7.* ubi ait, Simoniacum esse, si *per pecunias* (sive mediatè sive immediatè) *paretur via ad rem spiritualem*. Colligitur clarè ex *can. 3. caus. 1. q. 5.* ubi tanquam Simoniaca damnatur promotio ad Sacerdotium obtenta *per pecuniam non Episcopo, sed cuidam principum ejus datam*. Ratio est, quia intercessio & preces sint causa moralis ipsius Ordinationis vel collationis beneficii, & hanc virtute continent: qui ergo emit preces &c. virtualiter censetur emere ipsam promotionem; nam preces non æstimat, nec sibi

comparat, nisi ut virtute continent, vel moraliter causant promotionem. Nec obstat, quòd preces & commendationes vel laudes, quæ emuntur, de se sint aliquid temporale; quia evadunt aliquid virtualiter spirituale propter connexionem cum spirituali, ad quod obtinendum referuntur tanquam causa moralis. Advertunt tamen DD. communiter 1. à Simonia excusari eum, qui pecuniam dat tertio, v. g. familiari vel ministro Episcopi, non ut is intercessionem interponat, sed ut petentis merita proponat vel explicet, aut ut aditum impetret apud Episcopum, vel eum conveniendi commoditatem aperiat; aut si det illi, qui propter petentem subire debet aliquas molestias, v. g. eundo, redeundo ad Episcopum, scribendo litteras, negligendo aliud lucrum &c. Sed ne sub horum pallio involvatur Simonia, advertunt 2. largitiones hujusmodi tertio factas in praxi periculosas esse: nam facilè contingit, & prævideri potest, quòd proponens merita excedat officium informantis vel monentis, atque assumat personam intercedentis vel adhortantis, & quidem non gratis, sed intuitu mercedis, & pecuniæ, vel promissæ vel jam acceptæ: item facilè contingit, ut munera excedant æstimationem laboris, molestiæ &c. quam subire propter petentem spirituale debuit officialis Episcopi, aut ille tertius. Quæ si fierent, Simonia non evitaretur. Advertunt 3. licitum esse rogare alium, ut intercedat; si enim preces, quibus aliquis immediatè sollicitat per se, v. g. beneficium, non faciant Simoniam, multò minùs facient preces precum, ut arguit Suar. *c. 40. n. 9.*

26 Dico 8. Ad Simoniam pariter sufficit *munus ab obsequio*. v. g. aliquis servit Episcopo, vel Patrono habenti jus præsentandi ad beneficium, atque ut istud impetret, servit sine mercede, vel pro mercede servitia non exæquante, sed minori. Communis iterum ex *c. 11. c. 12. h. t.* & ratio est clara, quia verè exhibetur temporale, nimirum servitium pretiò æstimabile, pro spirituali. Aliud foret, siquis serviret gratis & sine intentione obligandi alterum ad reddendum spirituale, licèt hoc speret sibi ultro & gratis conferendum. Item aliud foret, si servitium vel obsequium spirituale promitteretur vel exhiberetur pro obtinenda re spirituali juxta assertionem 6. Excipe, nisi quis per obsequium spirituale, v. g. per orationes, peregrinationem piam &c. vellet alterum obligare ad dandum vel procurandum beneficium Ecclesiasticum; tunc enim committeretur Simonia Juris Ecclesiastici. *c. 11. cit.* eò quòd hoc Jus omnes pactiones in materia Beneficiali generaliter improbet tanquam Simoniacas.

§. III.

De Forma Simoniæ, nimirum de Pacto Simoniaco.

27 Sciendum 1. formam essentialem Simoniæ in pacto vel conventione onerosa consistere, qua imponitur, vel intenditur imponi alteri obligatio ad dandum vel conferendum aliquid spirituale pro temporali, aut vicissim temporale pro spirituali, si est Simonia Juris Divini; id enim indicant verba definitionis *emendi vel vendendi*. Notetur particula *pro*, per quam denotatur commutatio, compensatio, adæquatio, vel appretiatio spiritualis rei, cum temporali. per *c. 9. c. 39. h. t.* Si enim non *pro* temporali, sed ex alio motivo aut titulo detur vel promittatur spirituale, aut vicissim, Simonia non committitur: & in dubio, utrùm *pro* temporali, vel ex alio titulo, sit datum, præsumptio facienda est in benigniorem partem. *arg. c. 18. in fin. eod.* cùm delicta non sint præsumenda. Quale pactum sufficiat ad Simoniam Mentalem, diximus jam suprà *n. 7.* Ad *conventionem* requiritur vera conventio, contractus, vel pactum, sive sit tacitum, sive expressum, nec sufficit *nuda* promissio rei spiritualis pro temporali, quæ ab altero non sit acceptata; cùm non sit verum pactum vel conventio. *l. 1. ff. de Pactis.* Id quod ex Farinac. observat Reiffenstuel *h. t. n. 19.* Pactum *expressum* datur, quando disertis verbis dicunt contrahentes vel paciscentes, *promitto, do*, vel *dabo* tibi hoc temporale, hac tamen conditione, ut tu mihi *des*, vel *daturus sis &c.* hoc vel illud spirituale, v. g. beneficium; vel si idem litteris aut aliis signis exprimunt. *Tacitum* erit, si faciunt tale quid, in quo continetur, aut ex quo elicitur vel præsumitur consensus, & voluntas obligandi ad dandum spirituale pro temporali, aut vicissim, ut si des equum Sempronio, qui habet jus præsentandi ad beneficium, quod modò vacat, & tu præsentari cupis; facilè enim indè colligit Sempronius, quòd non gratis donet equum, sed per hunc obligare velis, ut te præsentet: si proin Sempronius accepet equum, & te præsentet, censetur complesse actum tacitum. Ubi autem nullum intervenit pactum, importans obligationem, licèt detur temporale, & accipiatur vel speretur spirituale, aut vicissim, nulla datur Simonia; eò quòd gratis & non pro pretio detur, promittatur, vel accipiatur spirituale. Quandonam autem in quibusdam casibus particularibus, qui videntur esse dubii, interveniat pactum Simoniacum, modò explanatum imus.

Dico 1. Pactum Simoniacum est dare vel promittere rem temporalem in compensationem gratuitam pro spirituali, aut econtra. Ita contra quosdam antiquos magni nominis DD. hodie decisum est ab Innocentio XI. inter alias propositiones etiam hanc, ordine 45tam damnante: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spirituale: vel etiam quando temporale sit solum gratuita compensatio pro spirituali, aut econtra.* Ut assertio, & damnata propositio, quæ materiam Simoniæ explicatu difficilem reddit, melius intelligatur, notandum

tandum est, per *gratuitam compensationem* denotari quidem aliquam obligationem, at, si attendatur epitheton, non Justitiæ, sed gratitudinis *determinatè* (quod bene notetur) exhibendæ per aliquid temporale pro spirituali: quamvis enim *compensatio* per se supponat debitum vel obligationem Justitiæ, ea tamen tolli videtur, quando est *gratuita*; hæc namque est datio, quæ supponat debitum seu obligationem gratitudinis tantùm, veram vel existimatam: differt tamen gratuita compensatio à *donatione antidorali* seu remuneratoria, quam aliquis facit sponte ad remuneranda beneficia sibi collata, modò, quò voluerit; quamvis enim habeat obligationem Jure Naturali, ut sit gratus; non tamen habet obligationem, ut sit gratus certò modò. Si igitur dans spirituale intendat alterum obligare ad gratitudinem determinatè exhibendam per aliquid temporale, imponit alteri obligationem gratitudinis novam, qua Jure Naturali, & aliunde non adstringitur, & hoc est exigere temporale *ut gratuitam compensationem*, quod utique Simoniacum est; quia temporale exigitur vel datur pro spirituali; neque gratis, sed ex obligatione per pactum onerosum, saltem ex una parte inchoatum, impositâ, quæ non est meræ gratitudinis, quia hæc adstringit ad se gratum exhibendum indeterminatè tantùm, sive per preces & aliquid spirituale, sive per aliquid temporale: consequenter erit vel obligatio Justitiæ, uti multis videtur, utpote orta ex pacto (vel saltem Fidelitatis, vel alia onerosa, utut vocare volueris) & temporale induit materiam pretii. Neque refert, quod hæc compensatio intenta vocetur *gratuita*, & sic videatur innui solius gratitudinis obligatio; id enim est nugari, & mera sunt verba; nam re ipsa talis sic dicit v. g. *do tibi ex liberalitate beneficium Ecclesiasticum, ita tamen, ut tu ex gratitudine obligeris mihi dare 100. aureos*, & est similis illi, qui dicit: *ego equum meum nolo vendere Cajo amico* (non enim decet vendere amico) *sed ipsi donare volo, eâ tamen lege, ut is vicissim mihi donet, vel ex gratitudine solvat 100. florenos:* qui utique inaniter ludit in vocabulo *gratitudinis*, & *liberalitatis*, re ipsa autem intendit contractum emptionis venditionis. Sic etiam, qui intendit pro spirituali temporale tanquam *gratuitam compensationem*, seu qui pro spirituali determinatè exigit temporale sibi ex gratitudine exhibendum, vel contrà, non agit liberaliter, neque exigit donum gratuitum, & antidoralem remunerationem, sed imponit, vel imponere intendit, specialem obligationem dandi temporale pro spirituali; quod utique Simoniacum est. Confirmatur: si hoc modo liceret pacisci, impunè vagaretur Simonia, & latenter omnia sacra contaminaret cum maximo animarum damno; quia quilibet posset dicere, se temporale pro spirituali (vel vicissim) exigere tanquam antidorum, & ex gratitudine, non tanquam pretium. Vid. Cardenas *in Crisi dissert. 27. c. 3. 4. &c.* P. Friderich. *de Sim. c. 2. a n. 35.*

Dico 2. Licitum tamen est promittere, 29
dare, vel exhibere aliquid temporale sub spe obtinendi spirituale, aut econtra. 2. vel sub spe, etiam exteriùs manifestata, gratitudinis, seu gratuitæ & antidoralis remunerationis per spirituale donum exhibendæ. 3. vel imposita etiam obligatione gratitudinis in genere, interveniente pacto expresso, saltem per se, & ad vitandam Simoniam Juris Divini. Membrum 1. quod teste Suar. *c. 45. n. 4.* tenent omnes, clarum est, quia qui sperat tantùm, sibi spirituale intuitu temporalis dandum, si ex gratitudine vel benevolentia &c. dandum speret, non obligat, nec intendit obligare alterum: ergo abest omne pactum Simoniacum, consequenter spirituale datur gratis, non tanquam merx pro temporali tanquam pretio. Sic Titius, v. g. qui extraordinariâ diligentiâ instruit filios alicujus Patroni, habentis jus præsentandi ad varia beneficia, & intuitu hujus industriæ sperat, Patronum sibi hoc pacto fore benevolum, & suo tempore præsentaturum ad beneficium, non committit Simoniam. Membrum 2. quod iterum tenet Suar. Valent. Covarruv. ac alii plurimi, inde eruitur, quòd sperans gratitudinem determinatè exhibendam per spirituale ad hoc non intendat obligare alterum, adeóque nullum faciat pactum, nec incompletum; item quòd non appareat, cur licitum non sit signis manifestare, quod licitum est sperare & optare. Membrum 3. quod rursus tradit Suar. *n. 3.* monens tamen, ut caveatur periculum & specimen pactionis, maximè quando spiritualia utilitatem temporalem habent annexam, scilicet, ne imponatur obligatio gratitudinis determinatè exhibendæ per temporale pro spirituali, aut vicissim, probatur ex eo, quia licitum est in pactum deducere, ad quod alter aliunde jam est obligatus: sed alter recipiens à me aliquod beneficium eo ipso obligatur Jure Naturali ad gratitudinem in genere: ergo dans temporale vel spirituale potest recipientem expressò pactò obligare ad gratitudinem in genere; quia sic non imponit ipsi novam obligationem, à gratitudine aliunde orta distinctam. Aliud foret, si intenderet alterum obligare ad gratitudinem determinatò modò, & non prout alteri libitum fuerit, exhibendam, nempe per temporale pro spirituali, vel per spirituale pro temporali, quod in priori assertione docuimus esse Simoniacum. Addidi, *per se, & ad vitandam Simoniam Juris Divini*; nam per accidens & Simonia Juris Ecclesiastici committeretur, si hujusmodi pactum fieret in materia Beneficiali; cùm enim beneficia Ecclesiastica valde magnam afferant utilitatem, & propterea homines valde proni sint ad hoc spirituale obtinendum per munera etiam temporalia, ideo Ecclesia in tali paciscente gratitudinem in genere cum eo, cujus est pro-

est promovere ad beneficia Ecclesiastica, præsumit intentionem Simoniacam, atque ideo omnia pacta circa hanc materiam damnat ut Simoniaca, uti suprà notavi: sicut propter similem rationem & speciem Simoniæ à Jure Ecclesiastico habetur & punitur tanquam Simoniacus, qui Patrono aut collatori beneficii Ecclesiastici antecedenter ad præsentationem vel collationem aliquid dederit, licet sine pacto vel animo obligandi dederit. *arg. c. 18. h. t. v. quòd autem;* quippe post illam gratuitò factam nec in beneficiis prohibet Ecclesia aliquid ex gratitudine dari, & accipi juxta textum *c. 30. h. t.* ibi: *illud tamen gratanter recipi poterit, quod fuerit sine taxatione gratis oblatum.* Sic sæpe videmus & audimus, pauperes probos, vel Religiosos, post acceptas eleemosynas promittere preces, sacrificia, & alia pia opera pro benefactoribus.

30 Oppones 1. Si non est Simonia dare, vel exhibere temporale ex spe obtinendi spirituale, vel vicissim, nec erit Simonia dare spirituale ex metu alicujus mali, v. g. eligere aliquem ad Prælaturam, ne noceat: sed hoc est falsum, quia datur spirituale pro aversione nocumenti, quæ est pretio æstimabilis. 2. Nec erit Simonia dare spirituale ex consanguinitate, amicitia, vel benevolentia; si Simonia non sit dare ex gratitudine. 3. Si liceat pacisci de gratitudine, licebit etiam de amicitia speciali erga illum colendâ, qui confert spirituale: atqui hoc est falsum; quia planè datur spirituale sub obligatione reddendi specialem amicitiam, pretio æstimabilem. 4. Si gratitudinem liceat in pactum deducere, licebit petenti spirituale dicere ad collatorem beneficii: *ero gratus:* vel: *certus esto, me fore gratum* &c. Sed hæ formulæ loquendi vel sunt Simoniacæ, vel saltem speciem Simoniæ præseferunt, quam speciem quoque SS. Canones damnant, & eliminatam volunt.

R. ad 1. *C. Ma.* cum Suar. & communi contra Durand. & fortè etiam S. Th. *N. Min.* quia qui operatur ex metu, æquè parùm obligat alterum ad remotionem nocumenti, quam parùm obligat ad collationem beneficii, qui operatur ex spe; adeóque conferens spirituale ex metu mali non intendit tanquam pretium remotionem mali; modò hanc remotionem non deducat in pactum; si enim hoc faceret, specialem obligationem alteri imponeret, & securitatem suam à malo, quod timet, utpote pretiò æstimabilem, emeret per spirituale; quod foret Simoniacum. Neque dicas, Simoniacum non esse alterum obligare per pactum ad id, ad quod jam aliunde tenetur: sed alter jam aliunde tenetur ad non nocendum. Quamvis enim aliunde teneatur, tamen, quia tu times, eum hac obligatione non sufficienter inhibendum à nocendo, novam per collationem rei spiritualis obligationem imponere intendis. Ad 2. faciendæ est distinctio: si tò *dare ex amicitia, benevolentia* &c. non procedat ex obligatione per pactum imposita, sed aliquis sua sponte moveatur ex amicitia, benevolentia erga alterum, vel ex consanguinitate, qua inductus nepoti suo confert v. g. beneficium Ecclesiasticum, non est Simonia; sicut siquis confert ex gratitudine, ad quam determinatè per spirituale exhibendam non obligatur ex pacto; quia quod sic datur ex amicitia, consanguinitate &c. datur gratis, non tanquam merx pro pretio, & illa amicitia, consanguinitas &c. jam prius exstitit, nec primùm quæritur, vel obtinetur per spirituale; adeóque non *pro*, sed *propter* amicitiam datur, quod Simoniacum non est, ut docent communiter cum S. Th. contra paucos; licet, si propter amicitiam, vel consanguinitatem beneficium detur indigno, aliundè peccetur gravissimè. Si verò *dare ex amicitia* &c. supponat obligationem per pactum impositam, eò quòd intuitu spiritualis obtinendi alter se obligârit ad amicitiam specialem colendam, Simonia in fortibus est, ut mox dicemus. Ad 3. Pacisci de amicitia speciali, ad quam alter aliunde non est obligatus, per collationem rei spiritualis obtinenda, vel spirituale exigere tanquam debitum ob amicitiam specialem, non minùs est Simoniacum, quam pacisci de gratitudine determinatè exhibenda per temporale pro spirituali, &, sicut hanc *gratuitam compensationem* cum Innoc. XI. damnavimus, ita damnamus *amicam compensationem*, vel *benevolam compensationem*: quamvis enim vocetur *amica, benevola*, talis tamen, & liberalis donatio rei ipsa non est, sed obligatoria, ex pacto procedens, ac ultra debitum amicitiæ, vel benevolentiæ aliunde ortum, involvens debitum vel Justitiæ, vel Fidelitatis, & sit vera commutatio rei temporalis pro spirituali. Nec audiendi sunt Serra *2. 2. q. 78. art. 2. dub. 1.* & Moya *p. 2. Select. qq. tr. 2. d. 1. q. 3. à n. 6.* & alii apud hunc citati, qui hujusmodi pactum amicitiæ à Simonia excusare nituntur. Ad 4. Illa verba, ut verum fatear, sunt periculosa, &, si antecedant collationem rei spiritualis, & ita proferantur, ut attentis circumstantiis significent, datum in temporale determinatè à petente spirituale & gratitudinem promittente (uti fit, si taliter promittentes non nisi pecunias dare soleant, vel si conferens spirituale nollet esse contentus, nisi daretur pecunia vel aliud temporale) utique Simonia patratur secundùm Assertionem 1. quia, licet verba per se non significent gratuitam compensationem, sed gratitudinem determinatè exhibendam pro spirituali, significant tamen quandoque ex circumstantiis. Si unus tantùm, nimirum vel sic promittens gratitudinem, vel conferens spirituale, ita est constitutus in mente, uti explicavimus paulò antè, ille solus committit Simoniam, nempe Mentalem: si uterque, neuter tamen prodat suam mentem, uterque committit eandem: si verò pravam suam mentem satis per circumstantias vel signa aliqua manifestet promittens, & taliter

taliter acceptet alter, ab utroque committitur Simonia, & quidem conventionalis. Quòdsi tamen, uti fieri potest, proferantur hæc verba, *ero gratus* &c. bonâ fide, syncerè, & absque intentione se obligandi ex gratitudine ad dandum determinatè temporale pro spirituali, solúmque ad exponendam suam obligationem antidoralem, quæ naturaliter oritur, & incumbit promittenti post acceptum beneficium, non est Simonia secundùm assertionem *2dam.* Si quis tamen prævideret, alterum hanc promissionem intellecturum determinatè de temporali, seu de gratitudine exhibenda per temporale, & indè permovendum ad dandum spirituale (quamvis ipse non ita sentiret, sed vellet sibi liberum, hoc vel illo modo, precibus, obsequiis &c. gratitudinem exhibere) peccaret peccatô scandali, alterum inducendo ad peccatum. Vid. P. Friderich *n. 40.*

31 Dico 3. Pactum Simoniacum virtualiter est dare temporale pro spirituali (aut vicissim) si temporale non detur, ut pretium, sed *ut motivum* conferendi spirituale. 2. aut si temporale intendatur *ut finis* ipsius rei spiritualis. Ita sentire ac loqui nos docet & cogit gemina propositio, nempe 45ta superiùs recitata, & 46. subsequens, ab Innoc. XI. damnata, quarum prior sic habet: *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale non datur tanquam pretium, sed duntaxat tanquam motivum conferendi temporale.* Posterior autem: *Et id quoq; locum habet, etiamsi temporale sit motivum principale; imo etiamsi sit finis ipsius rei spiritualis sic, ut illud pluris æstimetur, quàm res spiritualis.* Ut hæc subtilis doctrina meliùs capiatur, & solidiùs probetur, explico singula membra. *Membrum 1.* habet hunc sensum, quantùm ex Auctoribus conjicere potui, præsertim ex Cardenas *dissert. 27. cit. c. 2. à n. 16.* Reiffenstuel *h. t. n. 72. 73. &c.* Siquis non quidem expresè pacisceatur de re spirituali danda pro temporali, tanquam pro pretio, spirituale tamen det ea intentione, fine, & animo, ut indè alter moveatur ad dandum temporale: vel vicissim siquis det temporale, non ut pretium pro obtinendo spirituali, det tamen ea intentione, ut indè alter moveatur ad dandum spirituale, v. g. præsentationem ad beneficium, vel ad hujus collationem, ille committit Simoniam. v. g. Titius sine pacto expresso offert Cajo munus temporale, ut indè Cajus moveatur ad resignandum beneficium in favorem Titii. Vel: Sempronius scit vacare parochiam, ideo accedit Patronum, eique offert pingue honorarium, v. g. vas argenteum, pretiosam picturam, vel certam pecuniæ summam, ac simul supplicat pro parochia, absque ullo tamen pacto externo, quamvis intendat movere Patronum & obligare ad se præsentandum pro parochia. Uterque, tam Titius quàm Sempronius, in dictis casibus committit Simoniam, vel mentalem, si suam pravam intentionem non manifestavit, vel conventionalem, si manifestavit, & alter acceptavit. Sic explicata assertio, ab Innocentio XI. decisa, roboratur ulteriùs 1. ex *c. Tuanos 34. h. t.* ubi aliquis Clericus, qui sine ullo pacto expresso sua bona donat Ecclesiæ, humiliter rogans, ut in Canonicum recipiatur, Simoniæ reus esse dicitur, si ea intentione ac fine sua bona offerat, ut recipiatur in Canonicum; sic enim loquitur textus: *si tamen is, qui talem donationem facit, ex intentione ducatur, ut per temporalia bona, quæ offert, spiritualia valeat adipisci, & Clerici, qui eum in fratrem admittunt, non essent eum, nisi commoda temporalia perciperent, admissuri, sine dubio tam ille, quàm isti, apud districtum Judicem culpabiles judicantur,* utique non aliâ culpâ, quàm Simoniæ. 2. ex conceptu & natura Simoniæ: quando datur temporale tali modo, ut interveniat tacitum vel virtuale pactum, vi cujùs exigitur vel accipitur spirituale, aut vicissim, committitur Simonia, ut omnes fatentur: sed qui dat temporale eo animo, fine ac intentione, ut per id moveat alterum ad reciprocè dandum spirituale, dat tali modo, ut interveniat pactum tacitum vel virtuale, licèt expresse non paciscatur; non enim dat omnino gratis & liberaliter, sed alteri vult imponere tacitè obligationem, ut, si recipiat temporale, det vicissim spirituale; talis enim, qui vult movere alterum per suum donum, non foret contentus, sed conquereretur sibi illusum esse, si alter reciperet donum, & non reciprocè daret spirituale; sicut ille, qui dedit Judici munera ante sententiam, conqueritur, si ferat sententiam sibi non faventem; & sic manifestum est, quòd non gratis, & sine intentione obligandi dederit. 3. ex absurdo: si non esset Simonia dare temporale tanquam motivum & ex intentione movendi alterum ad dandum spirituale, aut econtra, sub hoc pallio omnis Simonia in foro externo tuta lateret, & eluderentur omnes Canones eam damnantes; quia quivis diceret, se temporale non dare tanquam pretium, sed ut motivum duntaxat. Lusus hic est vocabulorum, reipsa enim temporale dat ut pretium, qui illud dat ut motivum, cùm interveniat pactum virtuale vel tacitum, imponens obligationem, & sic fiat permutatio, vel emptio-venditio: nec est necesse ad rationem *pretii*, ut dans reflexè intendat dare temporale *ut pretium*, sed sufficit, si re ipsa sit pretium, vel æquivalens; quod contingit, si per temporale intendatur consecutio spiritualis ex obligatione, seu si per temporale paretur via ad obtinendum spirituale. S. Thom. 2. *2. q. 100. a. 2. ad 5.*

Membrum 2. Assertionis duplicem patitur expositionem. Cardenas *dissert. 27. cit. c. 5.* 32
à n. 88. & cum eo P. Schmier *de delict. p. 2. c. 1. à n. 183.* & alii dicunt, tunc committi Simoniam, si temporale, propter quod datur vel efficitur spirituale, sit finis extrinsecus dantis vel efficientis, aut finis quidem intrinsecus, sed principaliter intentus: seu si res spiritualis detur, vel actio spiritualis fiat, propter finem temporalem extrinsecum, aut

propter finem temporalem intrinsecum principaliter. *Finem extrinsecum* vocant, ad quem res ex natura sua non ordinatur, sed à persona operante liberè destinatur. v.g. si Confessarius absolutionem Sacramentalem ordinat ad munus vel mercedem temporalem, cùm tamen Absolutio ex natura sua ordinata sit ad finem & utilitatem supernaturalem. *Finem intrinsecum secundarium* appellant, ad quem res ex natura sua est destinata, at minùs principaliter: sic beneficium Ecclesiasticum ex prima constitutione ordinatur ad sustentationem, licèt minùs principaliter, & secundariò tantùm. *Finem* verò *intrinsecum principalem* nuncupant, ad quem res ex natura sua primò & primariè ordinata est, uti in Beneficio Ecclesiastico est servitium divinum. Hi proinde assertionem sic explicatam roborant 1. auctoritate S. Thomæ, qui *quodlibeto 8. art. 11.* ait, eum, qui ad Ecclesiam vadit propter distributiones, & *has respicit quasi finem sui operis principaliter intentum, Simoniam committere, non verò, si distributiones respicit secundariò, non quasi in finem, sed sicut in id, quod est necessarium ad sui sustentationem*; quia sic non vendit actum spiritualem. 2. ex ratione: qui dat rem spiritualem, vel facit actum spiritualem propter finem temporalem extrinsecum, intendit rem spiritualem commutare pro re temporali, & spiritualem deprimit, ac dehonorat, illam detorquendo ad finem temporalem & vilem contra ipsius naturam: idem facit, quando rem vel actum spiritualem principaliter ordinat ad finem temporalem, licèt intrinsecum; pluris enim facit rem temporalem, ad quam tanquam ad finem principalem ordinat spirituale, quàm ipsum spirituale: ergo uterque committit Simoniam: non verò, qui rem vel actum spiritualem dat vel facit propter finem temporalem intrinsecum minùs principalem, seu secundariò tantùm; tunc enim non vendit spirituale, sed dat vel facit juxta ipsius naturam, neque deprimit vel dehonorat, cùm pluris æstimet rem spiritualem quàm temporalem, ad quam ordinat spiritualem minùs principaliter juxta naturam illius, ut si secundariò propter distributiones interfit rei Divinæ.

33 Aliam expositionem, &, ut mihi videtur, clariorem ac universaliorem affert P. Friderich *de Sim. c. 2. §. 6. n. 7.* ubi dicit, tunc Simoniam committi ab eo, qui dat vel facit spirituale quid propter finem temporalem, seu propter temporale, tanquam finem, quando istud temporale intenditur tanquam *pretium*, vel si interveniat pactio aut intentio dandi spirituale *pro* temporali: non verò committi, quando temporale non intenditur tanquam pretium, sed ob aliam justam causam, v. g. ex gratitudine, vel titulo stipendii ad sustentationem operantis vel dantis spirituale, & non intervenit pactio, vel intentio dandi spirituale *pro* temporali; sive dein temporale intendatur tanquam finis principalis, sive tanquam minùs principalis. Rationem dat; quia potest aliquid principaliter intendi tanquam finis, quin tamen intendatur ut pretium: sic, qui petit eleemosynam, principaliter intendit pro fine suæ petitionis eleemosynam, hanc tamen non intendit tanquam pretium suæ petitionis; ac vice versa potest aliquid secundariò intendi, & tamen intendi ut pretium: sic miles rectè intendit principaliter defensionem patriæ, & stipendium secundariò, quod tamen intendit tanquam pretium vel mercedem suæ pugnæ. Igitur in ordine ad constituendam Simoniam non tam attendi debet, utrùm finis temporalis, à dante vel efficiente aliquid spirituale intentus, sit principalis vel secundarius, neque etiam an extrinsecus vel intrinsecus (nam finis ille duplex non procedit universaliter, v.g. in actibus virtutum) quàm utrùm finis temporalis intendatur ut pretium, vel non: si ut pretium, semper est Simonia; si ob aliam causam justam, ita ut spirituale non commutetur vel æquiparetur cum temporali, nunquam est Simonia. Atque hic explicata propositione damnatâ roboratur assertio 1. ex natura Simoniæ, quæ essentialiter involvit temporale tanquam pretium ex pacto dandum pro spirituali: ergo solùm tunc finis temporalis à dante vel operante spirituale intentus constituit Simoniam, quando intenditur *ut pretium*, sive dein fuerit finis primarius sive secundarius, intrinsecus vel extrinsecus. Quis enim Simoniæ arguit Concionatorem, qui pro fine principali suæ concionis habet vanam gloriam? quia intendit finem temporalem & quidem extrinsecum concionis? Unde roboratur 2. ex communi sensu Fidelium, qui ulteriùs etiam ex hoc patet, quòd nemo facilè damnet Simoniæ Beneficiatos, Canonicos &c. qui plerique non præstarent functiones sacras, nec beneficia reciperent, neque chorum frequentarent, nisi consequerentur indè emolumentum temporale: ergo emolumentum temporale est finis (licèt intrinsecus) & apud multos principalis: qui tam inordinate intendendo temporalia in ministerio spirituali, licèt utique peccent peccato avaritiæ vel alio, communiter tamen propterea non habentur pro Simoniacis. 3. ex S. Thoma, qui *quodlibeto 5. art. 23.* videtur insinuare, quòd in eo, qui intendit temporale tanquam finem, debeat attendi, utrùm intendat tanquam pretium; sic enim ait: *Si Prælatus intendit obligare eum, cui dat beneficium Ecclesiasticum ad aliquam recompensationem sibi vel suis consanguineis, intentio Simoniaca est; intendit enim quandam tacitam venditionem: si verò non intendat eum obligare, sed intendat, quòd ille sibi vel suis propria sponte temporaliter recompenset, est quidem prava intentio & carnalis, sed non Simoniaca*: quia nempe non fit *venditio*, & temporale non intenditur tanquam pretium ex pacto.

Oppones 1. Simoniacum non est dare 34 temporale ex spe obtinendi spirituale, & vi- cissim, uti docuimus: ergo neque Simo- niacum

niacum eſt dare temporale ex motivo, ſeu tanquam motivum ad obtinendum ſpirituale, & viciſſim; qui enim ſperat intuitu temporalis dati ſpirituale conſequi, vult movere alterum ad dandum ſpirituale per temporale, quod dat; ergo dat temporale tanquam motivum ad obtinendum ſpirituale. 2. Si citra Simoniam temporale non poſſit habere rationem motivi, vel finis, reſpectu dantis vel efficientis aliquid ſpirituale, tunc Simoniæ rei erunt liberi, qui diligenter orant, ut obtineant munuſcula à parentibus, ſacerdotes, qui offerunt & legunt ſacra, ut obtineant pecunias &c. R. ad 1. *N. Conſ. & paritatem* inter ſpem & motivum; nam nuda ſpes neque eſt pactum expreſſum neque tacitum, ſed intendit conſecutionem beneficii ex ſola gratitudine, vel liberalitate alterius: ſed motivum involvit intentionem obligandi alterum, ut alter oblatum temporale vel non acceptet, vel, ſi acceptet, beneficium, quod petitur, conferat; & ſic tacitum intervenit pactum. Ad 2. patebit ex aſſertione ſequente. Siquidem

35 Dico 4. Simoniacum non eſt, ſi ſacerdotes, vel alii Eccleſiæ Miniſtri reditus temporales, decimas, vel alia emolumenta temporalia accipiunt propter miniſterium ſacrum & functiones Eccleſiaſticas, ſpeciatim pro Miſſis legendis. 2. etiamſi exigant, & in pactum deducant. 3. ſi temporalia promittantur vel dentur aliis ſub conditione & modo, ut pia opera exerceant. v. g. ſi parentes munera promittant liberis, *ſi*, vel *ut* obeant Sacramenta & templa: ſi alatur ſtudioſus, ut ingrediatur Religionem: ſi hæretico promittatur officium ſæculare, ſi ſe convertat ad fidem Catholicam: ſi pauperibus conſtituatur pecunia, ut certas fundant preces, frequentent catecheſin &c. ſi legatum fiat Eccleſiæ, ut Anniverſarium pro defunctis celebret, & hujusmodi alia plura. Pars 1. quam nemo Catholicorum negat, ac univerſalis Eccleſiæ praxis & conſuetudo confirmat, quid enim aliud ſunt piæ fundationes Monaſteriorum, Beneficiorum &c. quàm deſignati reditus temporales, quos percipiunt Religioſi, Clerici, peregrini, pauperes &c. ut functiones ſacras, piáque opera exerceant? Pars, inquam 1. fundatur in SS. litteris. *Luc. 10. & 1. Tim. 5. dignus eſt operarius mercede ſua.* Item *Mat. 10. cibô ſuô:* ubi nota, Chriſtum Apoſtolis ad prædicandum Evangelium & ſacra miniſteria miſſis per nomen *mercedis* jus tribuiſſe ad temporalia, eorum ſuſtentationi neceſſaria, atque eos, quibus hæc miniſteria exhiberent, ex juſtitia obligâſſe ad ſubminiſtranda temporalia, quamquam non intellexerit *mercedem* proportionatam *operi ſpirituali* (tunc enim haberet rationem pretii) ſed proportionatam *conditioni perſonæ* operantis, quam ob labores ſuos ſpirituales ſtipendiô & ſuſtentatione dignam pronuntiavit, *& iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere ordinavit. 1. Cor. 9.* quo pacto, licèt temporalia ſacris Miniſtris debeantur, non tamen debentur ut *pretium*, vel ut *compenſatio*, ſed ut *ſtipendium* vel *medium ad ſuſtentationem*, & ſic *gratis* adhuc miniſtrantur ſpiritualia. Sed tamen diligenter caveant ſacri Miniſtri, qui pro Miſſis, & aliis functionibus recipiunt temporalia, ne taxationem Superioris Eccleſiaſtici vel conſuetudinem excedant, turpiter paciſcendo, aut importunè ac modo avaritiæ ſpeciem habente exigant. v. g. ſi nollent peragere ſpiritualia, niſi priùs pecunia ſit numerata, vel cautio pro illa præſtita; ſic enim proderent animum quodammodo Simoniacum. *arg. can. 2. 3. 4. cauſ. 1. q. 2. c. 36. 41. 42. h.t.* Pars 2. quam tenet communis cum Suar. *c. 36. n. 3. c. 46. n. 4.* contra Hoſt. Rich. Sylv. probatur ſic: quod eſt debitum alicui ex juſtitia & Jure Naturali, jure, & licitè exigitur, &, ſi nec lege, nec conſuetudine eſſet determinatum, etiam licitè deducitur in pactum, modò interim caveatur, ne ex pacto exigatur temporale tanquam compenſatio vel pretium pro ſpirituali, ſed tanquam medium vel ſtipendium ſuſtentationis &c. vel ſi tanquam compenſatio, hæc non exigatur pro labore functionibus ſacris intrinſeco, ſed pro extrinſeco, ut eſt adire certum locum, negligere propria negotia, obligatio exſpectandi nutum alienum vel certam horam &c. ſed ſacris Miniſtris ex juſtitia & Jure Naturali debetur ſtipendium ſuſtentationis, ut vidimus, & indicat Paulus, dicens *1. Cor. 9. quis enim militat ſuis ſtipendiis unquam? quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? - - ſi nos vobis ſpiritualia ſeminavimus, magnum eſt, ſi nos carnalia veſtra metamus?* ibid. cur ergo ſacri milites non recipiant ſtipendium? Confirmatur ex conſuetudine & praxi proborum ſacerdotum, pro Miſſis, adminiſtratione baptismi & aliorum Sacramentorum, ſepulturis, prædicatione Verbi Divini &c. pecunias exigentium. Pars 3. fundatur in communi ſenſu Doctorum, & praxi piorum fidelium approbata à SS. Canonibus. *c. fin. de Teſtam. c. 2. de Sepult. c. 2. 4. de condit. appoſ. c. 31. de V. S.* Ratio datur hæc, quia in hujusmodi promiſſionibus, legatis, donationibus ſub conditione vel modo nec intervenit contractus oneroſus, ita ut temporale munus detur vel promittatur ut motivum rei vel operis ſpiritualis, nec ut pretium vel compenſatio, ſed potiùs ut ſtipendium & in liberalem remunerationem laboris, vel obligationis in gratiam promittentis vel donantis vel legantis ſuſceptæ. Adde, quòd temporalia eum in finem ſint condita, ut per illa comparemus nobis bona æterna & dona cœleſtia: quis ergo credat, ea in hunc finem ſub tali conditione aut modo expendi Simoniacè? cùm non dentur ſtrictè *pro* ſpiritualibus rebus, ſed occaſione tantùm & intuitu illarum, ac ſint veræ donationes, licèt ſub conditione, vel modo; nam temporalia piè operantibus aliunde ſunt debita, & dantur tantùm per modum ſtipendii, vel invitationis. Imò ipſe DEus Hebræum populum

pulum sæpius provocavit ad observationem mandatorum, & actus virtutum, promissâ frumenti aliorúmque bonorum temporalium abundantiâ, utique non per modum pretii. Notat tamen Layman *l. 4. tr. 10. c. 8. n. 11.* Simoniacum fore, si res temporalis ea ratione promitteretur vel daretur, ut simpliciter & absolutè imponeretur obligatio præstandi opera spiritualia aliunde non debita, v. g. ingrediendi Religionem: quo modo intelligi debet *can. 2. caus. 1. q. 2.* Item si conditio vel onus adjectum respiceret utilitatem dantis temporale, ut si sic aliquis diceret: *do tibi 10. aureos, si mihi dederis sacras reliquias.* Laym. *lo. cit.*

36 Oppones 1. Apud multos Clericos cessat titulus stipendii ad sustentationem, qui nempe aliunde habent bona patrimonialia, vel pinguia beneficia, aut opulentas parochias: ergo saltem isti nihil possunt recipere pro Ministeriis sacris. 2. Stipendium sustentationis est motivum, propter quod Ministri peragunt functiones sacras: ergo est Simoniacum. 3. Stipendium istud debetur solùm in genere: ergo, si per pactum determinetur, obligationi naturali, quæ datur aliunde, superadditur obligatio specialis, quod est Simoniacum, sicut quando quis paciscitur de gratitudine modô determinatô exhibenda, cùm illa tantùm debeatur in genere, juxta superiùs dicta. 4. Christus *Mat. 10.* de prædicatione Verbi Divini ait: *gratis accepistis, gratis date:* ergo pacisci non licet de mercede vel stipendio; cùm pugnare videantur inter se, *gratis dare, & ex pacto dare.* 5. Jus Canonicum prohibet omnia pacta in spiritualibus. *can. 2. cit. c. fin. de pact.* 6. Et vult vitare omnem Simoniæ speciem. *c. 41. cit.* 7. Ac nominatim prohibet stipendium pro sacris exigere, licèt permittat accipere. *can. 100. seq. caus. 1. q. 1. c. 30. h. t.* &c. 8. Ac insuper *c. 36. 39. eod.* reprobat consuetudinem accipiendi (à fortiori exigendi) aliquid pro conferendis Sacramentis, pro sepultura sacra &c. ergo ex consuetudine & praxi nihil probatur. 9. S. Th. *2. 2. q. 100. a. 3. ad 2.* ait: *si autem hujusmodi pacto interveniente fiant, aut etiam cum intentione emptionis vel venditionis, Simoniacum esset:* ergo omne pactum circa res sacras constituit Simoniam.

R. ad 1. Nec Jus Divinum, quod operariis spiritualia ministrantibus mercedem statuit, nec Jus Humanum, inter divites & pauperes Clericos discrimen facit, neque Naturale, cùm utique non cesset in debitore solvendi obligatio, & in creditore jus accipiendi, si iste sit dives, & nemo teneatur gratis laborare aliis, ac in aliorum favorem, licèt sustentationem aliunde habeat: per accidens igitur est, si quibusdam Clericis de ea aliunde sit prospectum, nec propterea isti temporale stipendium recipient tanquam pretium pro functionibus spiritualibus; possunt enim & isti vivere ex hujusmodi stipendiis, & sic aliis suis bonis parcere, vel ea ad alios usus applicare. Ad 2. *N. Ant.* quòd sit motivum in eo sensu, in quo Simoniam constituit; cùm tale stipendium neque sit finis principalis operantium, utpote qui est gloria DEI & utilitas animarum, quem finem præsumendi sunt intendere juxta naturam actionum spiritualium, quamdiu non constat de oppositò: neque sit pretium functionum sacrarum. Ad 3. Cùm ex una parte aliquid sit debitum Jure Divino & Naturali, neque ex hoc Jure sit determinatum, ex altera verò, uti supponis, nec Superiores Ecclesiastici aut consuetudo determinaverit, tacitè concessa determinandi potestas intelligitur operantibus; nec enim determinatio relinqui debet iis duntaxat, quibus sacra ministrantur, ob avaritiam nimis parùm daturis, ut periculum foret, ne deessent, qui tam salutaria animabus media ministrare vellent. Neque imponitur dantibus nova obligatio justitiæ, sed solùm determinatur aliunde jam existens indeterminata; sicut tamen nova obligatio, nimirum Justitiæ, imponitur illis apud quos obligatio gratitudinis certo modo exhibendæ, nimirum determinatè per temporale pro spirituali, deducitur in pactum, utpote qui antecedenter tantùm habuerint, vel habuissent obligationem gratitudinis, quam potuissent explere, quocunque modo voluissent, etiam reddendo preces vel obsequium spirituale. Ad 4. *N. Conf.* nam ad donum gratuitum sufficit abesse obligationem justitiæ per pactum de novo impositæ: & gratis datur eleemosyna, quamvis fidelibus sub obligatione sit præcepta: quando intervenit pactum de stipendio, istud quidem non datur gratis ex parte dantis eatenus, quatenus habet obligationem justitiæ à DEO & Natura jam impositæ, ab hominibus autem determinatæ; gratis tamen datur, quatenus non datur ut pretium pro spirituali, sed titulô sustentationis aliunde debitæ, quod sufficit ad vitandam Simoniam. Ad 5. prohibet omnia pacta in Beneficiis Ecclesiasticis. *trans.* in & circa alias res spirituales. *subdist.* illa pacta omnia, quæ pugnant cum gratuita donatione spiritualium, & faciunt, ut temporale detur tanquam pretium pro spirituali, vel tanquam compensatio. *C.* quæ hoc absurdum non inferunt, uti est nostrum, de quo nobis est sermo. *N. fic* enim Glossa & DD. communiter explicant *c. fin. de Pactis.* Ad 6. Si non exigatur plus, quàm Superiores Ecclesiastici permittant, neque nimis importunè, vel anticipatò &c. abest omnis Simoniæ species. Ad 7. Prohibet exigere, quando temporale exigitur ut pretium vel compensatio rei spiritualis; vel nimis importunè, anticipatò, immoderate stipendium aliàs debitum: vel pro illis, quæ non nisi liberaliter dari aut conferri possunt, uti beneficia: vel pro quibus specialiter Jus Ecclesiasticum, per consuetudinem non abrogatum, aliquid exigere vetuit. Nihil autem ex his obstat exactioni stipendii ad sustentationem sacra ministrantium ordinati. Ad 8. Reprobat consuetudines vel non le-

gitimè

gitimè præſcriptas, vel irrationabiles, uti ſi conſuetum foret exigere aliquid tanquam pretium rei ſpiritualis, vel immoderatè aut anticipatò extorquere &c. non alias rationabiles; has enim poſitivè approbat *c. 42. h. t.* Ad 9. S. Thomas ſolùm ut Simoniacum damnat pactum, vel intentionem *emptionis & venditionis*, ubi temporale habet rationem pretii.

37 Quæres, an & quando interveniat pactum Simoniacum, quando ad obtinendum ſpirituale datur aliquid temporale, v. g. pecunia, *ad redimendam vexam*, ut ajunt, ſeu ut alter ceſſet ponere impedimentum, vel ut flectatur ejus prava voluntas negandi ſpirituale, & tollatur injuria? R. Subinde non intervenit, ſed licitè id fieri poteſt. Communis cum Suar. *c. 50.* P. Friderich *c. 2. cit. à n. 88.* P. Schmalzgrueber *h. à n. 134.* Probatur tum ex *c. 28. h. t.* tum ex eo, quòd in tali caſu temporale non detur pro ſpirituali, ſed ut medium ad tollendam alterius malitiam, injuriam, & injuſtam vexationem, vel pro remotione injuſti impedimenti, proinde dans per ſe & directè ſolùm intendit ablationem obicis, ad quam ablationem habet jus, & cum qua per accidens, non per ſe, connexa eſt conſecutio rei ſpiritualis. Tum à pari cum Uſura, quam ſolvere licitum eſt injuſtè exigenti, non obſtante, quòd hoc modo ſolvens cooperetur ejus peccato; cùm ex gravi cauſa iſtud permitti poſſit. Dixi, *ſubinde*, ſi nempe adſint debitæ conditiones. Unde §. 2. Ut licitè redimatur vexa, requiritur 1. ut jus ſpirituale, quod quis hoc modo tueri cupit, ſit *certum*, ſaltem, ut notat Redoanus, ex judicio Jurisperitorum, meum jus certò prævalere aſſerentium juri, quod prætendit alter; ſi enim jus non foret certum, ſed dubium, alterius impugnatio non poteſt *vexa* dici, ſeu injuſta vexatio, vel injuria. Si tamen alter malis artibus vellet me impedire à jure meo, etiam dubio tantùm, v. g. fraudibus, calumniis &c. etiam liceret hanc vexam redimere pecuniâ; quia verè eſt iniqua. 2. Ut jam ſit *quæſitum*, & aliunde jam habitum; ſi enim primùm eſſet quærendum per pecuniam, v. g. ſi agitur de mea electione vel præſentatione ad beneficium, & alius injuſtè me nititur impedire, tunc refert, an is ſit talis, qui obeſſe quidem poteſt, v. g. me infamando &c. non tamen prodeſſe, quia nempe nec Patronus eſt, nec elector, & ſic jus ſpirituale mihi dare nequit; vel an etiam prodeſſe dicto modo valeat: ſi primum, non eſt Simoniacum hanc vexam redimere pecuniâ, quia jam habeo jus quæſitum, ne mihi fiat vis vel injuria: ſi ſecundum, eſt Simoniacum, ſi alter me vexet *formaliter*, ſeu quà potens mihi prodeſſe ad conſequendum jus ſpirituale, v. g. negando præſentationem, vel ſuum ſuffragium. per *c. 23. h. t.* licèt enim immediate non detur pecunia pro jure ſpirituali, ſed pro vexatione injuſta tollenda, datur tamen mediatè, quatenus mediante pecunia vexationem removendo patatur via ad illud, conſequenter jus ſpirituale virtualiter emitur, ſicut quando emuntur preces alterius, per quas acquiritur ſpirituale, v. g. beneficium; cùm per ſe & directè intendatur, licèt mediante alio, ſpirituale, ſeu paretur via ad illud, & re ipſa idem ſit, ac petere, ut alter eligat, vel præſentet ad beneficium. Aliud foret, ſi ita potens prodeſſe vexaret tantùm *materialiter*, non ut Patronus vel Elector, v. g. me injuſtè diffamando, alios Electores injuſtè avertendo, ne mihi dent ſuffragium &c. quia talis ſe habet ut extraneus, ſeu non potens prodeſſe. 3. ut vexatio, quam quis vult removere, ſit injuſta, ſeu ut alter jus non habeat ponendi impedimentum. 4. ut detur *pecunia, vel aliud temporale*; nam ſi daretur res ſpiritualis vel promitteretur, v. g. præſentatio ad aliud beneficium, pro tollenda injuſta vexatione, committeretur Simonia; quia ſpirituale daretur vel promitteretur pro temporali; nam injuſta vexatio tollenda, item quies mea & immunitas à vexa, eſt aliquid temporale, pretiò æſtimabile. Probabiliùs tamen non requiritur 1. ut jus ſpirituale, & certum & jam quæſitum, ſit *plenum*, v. g. non tantùm perſonale, quod conſecutus ſum per Præſentationem vel Electionem ad beneficium, ſed etiam reale per Inſtitutionem vel Confirmationem, aut completum per adeptam poſſeſſionem; conſequenter licitè do temporale illi, qui nititur injuſtè me impedire à conſecutione Inſtitutionis, Confirmationis, Poſſeſſionis; quia jus ad beneficium jam plenè conſecutus ſum, & per redemptionem injuſtæ vexæ vel impeditionis tueor duntaxat illud: ſi verò illud tuear, de Jure & aliunde eſt debita Inſtitutio, Confirmatio, vel miſſio in Poſſeſſionem: ergo nihil ſpirituale emo, ſed tantùm facio per remotionem impedimenti pretiò æſtimabilem, ut jus meum tuear, &, quod mihi aliunde debetur, conſequar. 2. Ut alia via, quam pecunia ad tollendam vexam non ſuperſit, v. g. adeundo Judicem; quia id ex nullo Jure probatur: id verum eſt, quòd, ſi aliâ viâ commodè tolli poſſit injuſta vexatio, ego tamen pecuniâ redimam, peccem contra charitatem & peccatò ſcandali; quia dando pecuniam ſine neceſſitate vel gravi cauſa cooperor alterius peccato.

Oppones 1. In *c. 23. cit.* damnatur Simo- 38
niæ, qui electus à majori parte, paucis illis, qui obſtiterant, dedit munera, ut deſiſterent a contradicendo: ergo Simoniacum eſt redimere vexam, quam aliquis patitur in jure certo & jam quæſito. 2. Si licet redimere vexam, & pecuniâ removere impedimentum, quod obſtat conſecutioni rei ſpiritualis, tunc licebit Patrono habenti jus præſentandi, vel habentibus jus eligendi ad beneficium vel Prælaturam Eccleſiaſticam, dare pecunias, ne ille præſentet, vel iſti eligant indignum, vel minùs dignum, te præteritò & neglectò: vel dare pecuniam ire volenti

ad examen pro beneficio Parochiali in *Concursu*, ut non eat: sed hujusmodi sunt Simoniaca, uti passim docent Canonistæ; quia sic per pecuniam paratur via ad spirituale: ergo. &c. ad 1. Ibi vel est sermo de tali jure per electionem quæsito, quod nondum erat *certum*, sed justè impugnatum, ut ibi vult *gl. v. paucis*, adeóque vexatio non fuit injusta: vel de jure, quod nondum erat *quæsitum*, sed quærendum per Confirmationem: adeòque de casu, quo fuit impugnata Confirmatio directè, non verò jus certum per Electionem quæsitum, ac insuper impugnatus directè & per se dedit pecuniam ad impetrandam Confirmationem per remotionem impedimenti tanquam per medium, per quod sibi voluit parare viam ad spirituale, non verò ad tuendum jus jam quæsitum per electionem, quo defenso aliunde fuisset debita confirmatio. Ad 2. In primo casu est faciendum discrimen, & videndum, utrùm per pecuniam, quæ datur ad removendum indignum aut minùs dignum, directè intendatur electio certæ personæ, vel tantùm remotio indigni, aut minùs digni, & non electio certæ personæ: si tantùm remotio indigni aut minùs digni, periculosum id quidem est, sed probabiliùs non committitur Simonia; quia non datur temporale pro spirituali, sed ne spirituale conferatur indignè & cum detrimento Ecclesiæ, adeóque redimitur injusta vexatio Ecclesiæ, ut docent plurimi apud & cum P. Schmalzgrueber. *n. 147.* Si verò directè intendatur electio certæ personæ, videtur esse Simoniacum; quia directè per pecuniam paratur via ad promotionem certæ personæ, licet mediante remotione indigni per pecuniam procuratâ, utpote per se connexa cum promotione hujus personæ. Adeóque paritas non est cum illis casibus, in quibus nos admittimus redemptionem iniquæ vexæ, in quibus directè per pecuniam non intenditur procuratio rei vel juris spiritualis, nec mediatè, eò quòd remotio injuriæ & injusti impedimenti, quæ directè & per se intenditur, solùm per *accidens* conjuncta sit cum consecutione rei vel juris spiritualis. In secundo casu pariter videtur committi Simonia, quia talis nondum habet *jus quæsitum* ad spirituale, neque tali casu redimitur vexatio *injusta*, cùm alter habeat jus adeundi examen; consequenter negatur sequela, & paritas, ob defectum conditionum in casu objectionis, quas requisivimus ad licitam redemptionem vexæ.

39 Dico 5. Pactum Simoniacum involvit transactio, per quam jus spirituale pro aliquo temporali, vel vicissim temporale pro spirituali, remittitur, aut retinetur. v. g. habes jus patronatûs cum decimis, & istud cedis alteri, ut tibi remittat debitum 3000. florenorum. Vel movit tibi quis litem super beneficio Ecclesiastico, jure præsentandi, aut jurisdictione spirituali, tu autem offers illi pecuniam, ut à lite desistat. Ita *c. 4. de pact. c. 9. c. 10. de transact.* Ratio est clara: quia permutatio est contractus onerosus: sed in transactione, quæ definitur esse *rei dubiæ, & litis incertæ, neque finitæ, conventa & non gratuita decisio*, fit permutatio, qua nempe unum datur pro altero. Aliud foret de transactione impropria, seu compositione gratuita, per quam aliquis lite cedit gratis nulla re sibi promissa vel reddita, & sic rem vel jus spirituale controversum alteri relinquit. Item aliud est, si unum spirituale cedatur pro alio spirituali; id enim non prohibitum reperitur, imò clare permissum in *c. 6. de rer. permut.* Excipitur tamen transactio in materia beneficiali, quæ, si fiat sine auctoritate Superioris Ecclesiastici, etiamsi spirituale detur pro spirituali, & nihil temporale interveniat, est Simonia Juris Ecclesiastici, cùm sit prohibita intuitu Religionis in *c. 7. de transact.* imò omnis pactio in materia & jure Beneficiali reperitur specialiter prohibita. *c. 5. de rer. permut.*

Dico 6. Probabiliùs videtur esse pactum Simoniacum, seu Simoniæ reum constituens, pœnisque obnoxium reddens, quod ex una parte est fictum, si per fictam promissionem rei temporalis re ipsa obtineatur spirituale, vel vicissim. v. g. si Cajus promisit fictè, h. e. sine animo se obligandi & solvendi, Titio 100. aureos, si se præsentet ad beneficium, & Titius hac pecunia illectus revera præsentavit Cajum, & Cajus & Titius commisit Simoniam. Ita P. Friderich *de Sim. c. 2. n. 24.* cum Navar. & Gonetto contra multos & præclaros DD. Cajet. Sot. Emman. Rodriq. Escobar, Suar. Less. Tann. Palao, Pirhing, Wiestner, Schmalzgrueber &c. Prob. 1. Si per fictam promissionem rei temporalis in effectu obtineatur spirituale, & via paretur ad consequendum spirituale, quam per seriam, videtur per fictam promissionem æquè committi Simonia ac per seriam; ideo enim DD. communiter cum S. Thoma sufficere ad Simoniam ajunt solam promissionem, & non requiri actualem solutionem pecuniæ, quia per illam æquè obtinetur spirituale, atque paratur via ad obtinendum spirituale, quàm per illam; sed per fictam promissionem pecuniæ vel rei temporalis non minùs in effectu obtinetur spirituale, & via ad hoc obtinendum paratur, ac per seriam, uti patet; cùm ponamus, promissarium indè moveri ad dandum spirituale actu: ergo. 2. à pari: docuimus ad *tit. de Sponsal. I. in lib. IV.* probabilius esse, quòd fictè promittens Matrimonium puellæ, quam per hanc promissionem fictam induxit ad scelus, alias non consensuram, teneatur in conscientia eam ducere in conjugem non minùs, ac si serio promisisset, si puella non potuit facilè fictionem advertere, quia ficta promissio in effectu idem operatur, ac seria; ergo etiam fictè promittens pecuniam pro beneficio, & sic inducens alterum ad collationem beneficii, æquè committit Simoniam in conscientia.

scientia, ac seriò promittens; quia ficta promissio idem operatur ac seria. 3. iterum à pari: quod in Judiciis est corruptio, in beneficiis Ecclesiasticis est Simonia, uti notant DD. sed corruptio Judicis est & fit non modò per seriam, sed etiam per fictam pecuniæ promissionem, cùm hic & nunc æquè movere possit Judicem, ac moveat ad injustam sententiam: ergo etiam Simonia est, & fit per fictam promissionem pecuniæ, quia æquè movet, ac seria, ad conferendum beneficium. Dixi autem 1. *quod ex una parte est fictum*; si enim utraque pars promitteret fictè, non committeretur vera Simonia, quia ex neutra parte adesset voluntas emendi aut vendendi spirituale, vel animus parandi viam ad spirituale: unde nec actus exterior ita fictè promittentium esset vera Simonia conventionalis, sed tantùm apparens, cùm Simonia conventionalis exterior vera sine vero consensu consistere nequeat. Dixi 2. *si obtineatur spirituale*; nisi enim ficta promissio sortiatur effectum, attentata potiùs est quàm consummata Simonia; cùm per solam fictam promissionem sine effectu non paretur via ad spirituale: neque ex parte fictè promittentis committitur Simonia mentalis; cùm abesse ponatur in eo mens emendi, hoc ipso, quòd non seriò promittat. Interim tamen etiam talis gravissimè peccat sacrilegè mentiendo, &, quantùm est in se, alterum inducendo ad Simoniam mentalem, atque in foro externo, nisi probet fictionem, pro Simoniaco habetur, & ut talis puniendus est.

41 Oppones 1. Fictè promittens caret animô dandi temporale pro spirituali: ergo non committit Simoniam. 2. In taliter fictè promittente nihil adest, quod habeat rationem pretii: ergo abest Simonia: vel enim rationem pretii haberet temporale fictè promissum? & hoc non, quia fictè promittens non habet animum illud dandi pro spirituali: vel ipsa promissio? at ista, licèt aliquo modo sit pretiô æstimabilis, non tamen offertur in pretium, sed est mera conditio, qua pretium offertur fictè. &. ad 1. Licèt careat animô dandi temporale pro spirituali, non tamen caret animô per temporale, & per pecuniam obtinendi spirituale, & ad hoc parandi viam, quod jam est Simoniacum, cùm in effectu idem obtineatur, quòd per seriam promissionem. Ad 2. Rationem pretii & motivi habet temporale fictè promissum, cùm pecunia fictè promissa idem operetur, quod seriò promissa: sicut idem operatur pecunia merè promissa, quod actu soluta, movendo nimirum ad actualem consecutionem rei spiritualis: & sicut Matrimonium fictè promissum puellæ, cùm æquè moveat ad scelus, ac seriò promissum, stringit æquè in conscientia fictè promittentem, ac seriò promittentem: item sicut pecunia fictè promissa, æquè corrumpit Judicem, ac seriò promissa.

§. IV.

De Quibusdam Simoniæ speciebus in particulari, maximè circa Beneficia Ecclesiastica.

Sciendum 1. postquam de *materia* Simoniæ tum in genere, tum in specie, nimirum de re spirituali tanquam merce, ac de temporali tanquam pretio, atque de *forma* illius, seu pacto Simoniaco, in præcedentibus §§. tractatum est, haud inutiliter subjungi quasdam adhuc materias in particulari, circa quas frequentiùs Simoniam committi valde pronum est, maximè circa Beneficia Ecclesiastica, quæ magnam afferunt utilitatem, atque ideo valde alliciunt hominum avaritiam ad ea injuriosè emenda vel vendenda, & circa alia jura spiritualia, ac demum circa ingressum Religionis. 42

Sc. 2. Beneficii Ecclesiastici nomine intelligi *jus percipiendi reditus temporales Ecclesiæ ratione officii spiritualis auctoritate Ecclesiastica constitutum*; adeóque tria in eo comprehenduntur, nempe jus vel obligatio obeundi functiones spirituales: jus indè ortum percipiendi reditus temporales, dictisque functionibus annexum, & à nemine, nisi Conditore Juris Ecclesiastici, Summo Pontifice, ab officio spirituali separabile: ac demum ipsi fructus & reditus temporales ex Ecclesiæ bonis provenientes. Inter alia autem Jura spiritualia vel spiritualibus annexa fere de Jure decimandi tantùm aliquid adhuc dicemus; quia de Jure Patronatûs ad hunc *Titulum in lib. III. n. 24.* de Jure sepulturæ ad *Tit. de Sepulturis n. ult.* uti & beneficiorum permutatione ad *Tit. de rerum permut. à n. 7.* in eodem libro III. in quantum in iis Simonia committi potest, jam explanavimus, & ideo plura hic addere superfedebimus. De Jure autem eligendi, postulandi ad prælaturas, conferendi Benefacia Ecclesiastica, & instituendi in iisdem præsentatos eadem cùm sit ratio, quæ de Jure Patronatûs, ideo nec de his juribus speciatim differere necesse est. Demum *ingressus Religionis* potest dupliciter considerari, prout est ingressus in Novitiatum duntaxat, & prout est ingressus per Professionem, vel Emissionem Votorum. 43

Dico 1. Aliquid temporale, v. g. pecunias, promittere vel dare, exigere vel accipere, pro consecutione vel collatione Beneficii propriè dicti ex pacto tacito vel expresso, vel intentione obligandi, Simonia est. 2. & quidem Juris Divini. 3. nulla tamen committitur, si præcisè fructus beneficiales, sive pendentes adhuc, vel futuri, sive à solo jam separati, vendantur, permutentur, locentur pro pensione temporali, vel alio contractu oneroso distrahantur. Pars 1. indubitata apud omnes videtur propter claros textus *can. 2. 8. 9. caus. 1. q. 3. 6. 34. h. t. cap. 4. 6. fin. de Pact. c. 4. cap. 7. de transact.* cùm beneficium detur propter officium. *c. ult. de Resir. in 6.* adeóque emitur & vendatur jus 44

spiri-

ſpirituali annexum. Pars 2. quam contra Felin. Decium, Garc. Leſſ. & Zœſ. *h. t. n. 42.* defendit communior & longè verior cum Suar. Covarruv. Gonzal. & ipſo S. Thoma 2. *2. q. 100. à. 4. in C.* ſuadetur indè; quia tanta eſt inter jus percipiendi reditus temporales & jus officii ſpiritualis connexio, ut cenſeatur eſſe unum. per *c. 25. de Præb.* & unum ſine altero vendi nequeat, quamdiu à Summo Pontifice, qui ſolus id poteſt, unum non fuerit ſeparatum ab altero. *can. ſiquis objecerit 7. cauſ. 1. q. 3.* Vendere autem jus ſacri officii, vel ipſum officium ſpirituale, eſt utique Simonia Juris Divini. Et hinc in *can. 8. cit.* Urbanus II. interprete gloſſa, venditionem beneficii Simoniacam eſſe colligit ex verbis D. Petri *Act. 8. pecunia tua tecum ſit in perditionem*, quibus utique damnavit S. Petrus Simoniam Juris Divini & Naturalis. Unde, ut rectè infert P. Pirhing *h. n. 38.* nulla conſuetudine excuſantur promittentes vel dantes, exigentes vel recipientes aliquid temporale pro beneficio. Pars 3. per ſe patet, quia fructus beneficiales ſunt aliquid merè temporale, nec ex natura ſua, nec ex diſpoſitione Eccleſiæ (utì tamen jus illos percipiendi) ſunt annexi rei vel juri ſpirituali.

Dixi tamen 1. *promittere* &c. ſi enim temporale offeratur ſponte, & quidem ex aliquo intervallo poſt collationem vel adeptionem beneficii, nec ſpecies Simoniæ datur: ſi tamen ſponte & absque pacto detur temporale ante adeptionem beneficii, vel dum iſtud confertur, vel immediatè pòſt, Simonia Juris Eccleſiaſtici tantùm committitur propter prohibitionem Eccleſiæ damnantis omnem Simoniæ ſpeciem in materia beneficiali. 2. *Pro conſecutione vel collatione beneficii*, quibus verbis ad mentem omnium DD. intelligi volo omnes modos, quibus obtinentur beneficia, ſcilicet Præſentationem, & huic reſpondentem Inſtitutionem, Electionem & hujus Confirmationem, Poſtulationem & hujus Admiſſionem, Collationem liberam, Permutationem, & Reſignationem, ſi interveniat temporale ex pacto, vel intentione obligandi ad providendum de beneficio. 3. *Beneficii propriè dicti*, utì ſunt, quæ conferuntur in titulum perpetuum, ſive ſint Curata, ſive Simplicia, Dignitates, vel Prælaturæ &c. Idem quoque ſentiendum eſt de beneficiis minùs propriè dictis, & quæ ex parte beneficiati perpetuitatem non habent, modò ſint jus ſpirituali annexum, ſeu jus percipiendi reditus propter aliquod officium ſpirituale, utì eſt *Vicaria* & *Commenda* ſpiritualis, tam temporalis quàm perpetua, *Capellania* Epiſcopi authoritate erecta, *Coadjutoria* ſive cum ſive ſine jure ſuccedendi detur, *Præſtimonia* auctoritate Epiſcopi conſtituta, ſi cum ſpiritualis obſequii obligatione conjungantur, *Hoſpitalia* auctoritate Epiſcopi erecta, & ſpiritualem adminiſtrationem vel functionem ſibi adjunctam habentia, *Beneficia Manualia*, quibus accenſentur etiam Commendæ ſeu *Præceptoriæ* Ordinis Equitum Teutonicorum S. Mariæ, & Melitenſium S. Joannis Jeroſolymitani, denique *Penſiones ſpirituales*, ſeu quæ tantùm Clericis conferuntur propter Miniſterium aliquod ſpirituale, v. g. propter cantum in Choro, recitationem Officii B. V. Mariæ &c. Sumuntur hæc ex *c. 1. c. 21. h. t.* & ratione, quia etiam in his venderetur ſpirituale propter connexionem. Si tamen Penſionatius retenta hac obligatione peragendi officium ſpirituale tranſigat cum beneficiato, ad penſionem ſibi dandam obligato, ut datâ ſibi certâ pecuniæ ſummâ liberetur beneficiatus à penſione deinceps ſolvenda, non committitur Simonia; quia hæc immunitas à ſolvendis penſionibus, per pecuniam redempta, eſt aliquid merè temporale. Aliud foret, ſi Penſionarius id ageret, ut receptâ pecuniæ ſummâ ſe liberaret ab obligatione ſacri Miniſterii, ad quod vi penſionis fuit obligatus.

Oppones 1. Beneficia ſunt erecta ab Eccleſia, & ab hac annexum eſt jus percipiendi fructus temporales officio ſpirituali: ergo Simonia, quæ committitur circa beneficia, tantùm eſt Juris Eccleſiaſtici. 2. Si committeretur Simonia Juris Divini, tunc ideo, quia datur connexio temporalis cum ſpirituali: ſed hæc ratio nulla eſt, quia ſine omni Simonia etiam juxta nos vendi poſſunt res ſpirituali annexæ, ſi pretium non petatur vel detur pro re ſpirituali, vel propter hanc non augeatur; ſic vendi poſſunt calices conſecrati, roſaria & numismata benedicta, caſtrum habens annexum jus patronatûs &c. Sicut ergo in his ſpirituale dicitur tranſire tantùm cum temporali, quod emitur vel venditur, ita dici poterit, cum jure percipiendi fructus temporales, quod emitur vel venditur, tranſire jus officii ſpiritualis, cui pretium non taxatur. 3. Paſſim datur conſuetudo, & quidem tolerata ab Epiſcopis, vi cujus pro admiſſione ad poſſeſſionem Canonicatûs &c. exiguntur & dantur ſportulæ, conſiſtentes in pecuniis, honorariis, convivis: ergo Simonia Juris Divini non eſt aliquid exigere, & dare pro conſecutione beneficii; cùm nulla valeat conſuetudo contra jus Divinum & Naturale. Ad 1. *N. Conſ.* Suppoſitâ enim & durante connexione etiam ſpirituale venditur, quod eſt Simonia Juris Naturalis: ſicut reſidentia in loco beneficii Curati eſt Juris Divini, licèt beneficium curatum ſit erectum ab Eccleſia, & locus ſeu diſtrictus deſignatus ab Epiſcopo v. g. Ad 2. *N. Min. & part.* nam in beneficiis ſpirituali conſequenter eſt annexum temporale, & ſpirituale (ſcilicet functiones ſacræ, & poteſtas ſpiritualis) eſt principale, temporale autem jus eſt ei acceſſorium: econtra in jure patronatûs reali, & calice, aliisque rebus conſecratis vel benedictis ſpirituali antecedenter eſt annexum temporale, ſeu ſpirituale primùm conſequitur & eſt acceſſorium ad rem temporalem velut præſuppoſitam, v. g. ad caſtrum, calicem, res alias, quæ conſecrationem vel benedi-

nedictionem habent, & ſunt principale, nec amittunt per annexionem ſuum pretium. Verbo: in beneficiis ſpirituali præſuppoſito tanquam principali annectitur temporale tanquam acceſſorium: in reliquis temporali præſuppoſito tanquam principali annectitur ſpirituale tanquam acceſſorium. Ad 3. Talis conſuetudo reprobatur quidem in *c. 44. h.t.* & in Trid. *ſ. 24. c. 14. de reform.* in multis tamen locis ita invaluit, ut DD. cum P. Pirhing *h. t. n. 91.* non audeant eam damnare tanquam Simoniacam, etiam de Jure Eccleſiaſtico tantùm (nam Juris Divini Simonia non eſt, ſi tales ſportulæ exigantur vel dentur non pro jure ad vel in beneficio, ſed poſt illud jam plenè quæſitum) eò quòd toleretur ab Epiſcopis, imò & à Papa, qui ignorare non præſumitur tam generalem integræ Nationis conſuetudinem. Verùm quia Innoc. XII. *in Conſtit.* quæ incipit *Eccleſia Catholica*, edita 22. Sept. anno 1695. illam reprobat, licèt immemorialis ſit, innovando Conſtit. Pii V. quæ incipit *Durum nimis*; non video, quomodo defendi poſſit deinceps, niſi dicatur hæc conſtitutio non eſſe ſufficienter promulgata, vel non recepta. Neque dicas, per has ſportulas committi Simoniam Juris Naturalis; nam ſi dentur poſt adeptum jus per præſentationem vel collationem pro quieta tantùm poſſeſſione conſequenda, potiùs dantur ad redimendam vexam in aliquo in ſe non ſpirituali; nam, licèt poſſeſſio beneficii ſpirituali ſit annexa eatenus, quatenus dependet ex jure & titulo ſpirituali, tamen, poſtquam jus & titulus ſpiritualis jam plenè eſt acquiſitus, attenditur, prout eſt in ſe, tanquam aliquid facti, & in ſe temporale vel corporale, aliunde & per ſe jam debitum: ſicut Simonia Juris Naturalis non eſſet, ſi fructus beneficiales deberent ſic redimi pecuniâ, convivio, vel aliis ſportulis. Idem fortaſſis dici poſſet cum Vallenſ. & Rebuffo *in Prax. benef. tit. Quot modis benef. acquir. n. 13.* nempe Simoniacos non eſſe, qui pro præſentatione, collatione &c. coacti, non voluntariè, dant ſportulas, quia, cùm reſiſtere non valeant, cenſendi ſunt dare ad redimendam vexam. Sed vehementer ſubſiſto.

46 Dubitabis adhuc 1. an ſit Simonia, ſiquis ſua bona temporalia offerat Eccleſiæ ad fundationem novi beneficii, & paciſcatur, ut hoc beneficium conferatur ſibi? 2. ſi detur pecunia vel accipiatur pro electione certæ perſonæ, licèt digniſſima ſit? 3. ſi pro ſuffragio dando in electione danti promittatur beneficium? 4. ſi detur pecunia alicui, ne conſentiat in electionem alicujus digni? nam de dante, ne eligatur indignus, jam diximus *n. 38. ſuprà* 5. ſiquis conferat beneficium alteri, ut dimittat vel cedat beneficium cum novo compatibile, jam priùs habitum? &c. ad omnia affirmative. *Primum* probatur ex *c. 34. h.t.* Neque dicas, ſi hoc liceat, major naſcitur promptitudo hominum ad fundanda beneficia; & ob ſimilem cauſam licitum eſt fundatori beneficii hanc conditionem addere, ut nullus, niſi ſit ex familia fundatoris (ſiquis adſit) ad illud promoveatur: item aliæ conditiones honeſtæ, licèt oneroſæ, fundatoribus Eccleſiarum permittuntur *c. 4. de condit. appoſ.* Nam contrà eſt, quòd conditio, ut aliquis promoveatur ex familia fundatoris, non ſit rejecta in Jure, nec talis cenſeatur emere beneficium, ſed liberè ſua bona offerre Eccleſiæ, licèt ſub aliquo onere: neque aliæ conditiones, quas ponunt fundatores, ſi honeſtæ ſunt, reprobantur à Jure, imò poſitivè approbantur: econtra pactum, ut ſibi pro bonis, quæ quis obtulit ad fundandum beneficium, illud conferatur, eſt expreſsè rejectum à Jure *c. 34. cit.* & offerens cenſetur illud emere. Argumentum à pari parùm vel nihil probat, quando contrarium pro uno caſu expreſsè in Jure eſt ſtatutum. *Secundum* ſuadetur indè, quòd ematur hoc modo ſpiritualis actio, nempe electio. *Tertium* ex *c. 10. h.t.* Pirhing *eod. n. 87.* cum Azor, qui duo cum Sylv. *v. Simonia q. 13.* etiam pro Simonia habent, ſi duo electores inter ſe ita conveniant: ego dabo tibi meum ſuffragium in hac electione, & tu mihi dabis tuum in alia: ſed in his ſolùm eſt Simonia Juris Eccleſiaſtici. *Quartum* probat Pirhing *lo. cit.* exinde, quòd Simonia committatur non ſolùm, ſi detur ſpirituale pro temporali, ſed etiam, ſi omittatur pro comodo temporali, ſi nempe omiſſio in æſtimatione morali non ſit pura omiſſio, uti hic. *Quintum* tradit communis apud & cum Palao *tr. 17. d. 3. pu. 3. n. 5.* ex ea ratione, quia per tale pactum ceſſionarius ſubiret onus indebitum, & obligationem aliunde non exiſtentem, adeóque ceſſio & dimiſſio beneficii haberet rationem pretii Simoniaci, ſaltem ex diſpoſitione Juris Eccleſiaſtici. Hinc aliud foret, ſi beneficium obtinendum eſſet incompatibile cum priore, & conferens non exigeret, ut primum dimitteretur ante obtentionem pacificam ſecundi; quia ſecundò pacificè obtentò jam aliunde datur obligatio dimittendi primum, conſequenter in pactum absque Simonia deduci poteſt. Quando autem committatur Simonia *Confidentialis*, dictum eſt ſuprà *n. 6.* Item quando committatur imponendo novum onus beneficiato, ſpirituale, vel temporale, in collatione, traditum *tit. XII. n. 9. lib. III.*

Dico 2. Reſignare beneficium in favorem 47
alterius, ſeu ſub conditione vel modo, ut certo cuidam, quem reſignans nominat, conferatur, in manibus Prælati Papâ inferioris. 2. Vel ſub ſpe exteriùs manifeſtata, ut alicui certo conferatur, eſt Simonia Juris Eccleſiaſtici. 3. Divini autem, ſi reſignetur cum reſervatione penſionis ex beneficio liberè & non in favorem reſignato ſibi ſolvendæ. 4. uti &, ſi reſignetur cum pacto, ut reſignatarius ſolvat expenſas reſignanti, quas iſte facere debuit in obtinendo beneficio, vel in litem, quam ſuſtinere debuit, ut conſequeretur beneficium. 5. Simonia tamen probabiliùs nulla eſt, ſi reſignans Eccle-

siam vel Prælaturam pacisçatur, ut resignatarius solvat debita, Ecclesiæ vel Prælaturæ nomine contracta. Pars 1. probatur ex *c. fin. de Pact. & Constit. Quanta Ecclesia.* Pii V. & illis Canonibus, in quibus prohibetur omnis pactio & onerosa conventio in beneficiis Ecclesiasticis, etiamsi temporale pretiô æstimabile non interveniat. Specialiter item prohibetur in Jure Ecclesiastico resignatio in favorem, ut tenet communis ex *c. un. de rer. permut. in 6. Clem. un. eod.* In Germania tamen à quibusdam Ordinariis admittuntur resignationes in favorem, sive ex privilegio, sive ex consuetudine immemoriali: nisi velis dicere, non fieri coram ipsis propriè resignationem in favorem, seu cum intentione obligandi ad certo alicui conferendum beneficium, sed cum commendatione tantùm certæ personæ, & precibus, ut illi conferatur præ aliis. Id quod licitè fit. Pars 2. desumitur ex *cit. constit.* Pii V. si est recepta; de Jure enim Communi non reperitur prohibitum resignare sub spe tantùm, etiam manifestata, & non sub pacto, ut conferatur beneficium resignandum certæ personæ. Pars 3. eruitur inde, quòd pensio retervata sit merè temporalis, consequenter ita resignans coram Prælato, qui est Papâ inferior, in cujus potestate non est separare jus percipiendi reditus à titulo spirituali in beneficio, det spirituali annexum pro temporali. Pars 4. exinde, quòd tali casu beneficium non detur gratis sed titulô onerosô, & sub obligatione nova solvendi expensas, quæ per se beneficio annexa non est, impositâ resignatario. Pars 5. quam tenet Flamin. Paris. *l. 14. de Resign. q. 7. n. 65.* contra Joan. Andr. &c. colligitur ex eo, quòd liceat in pactum deducere, quæ de Jure insunt: atqui resignationi de Jure inest obligatio solvendi debita, ratione Ecclesiæ vel Prælaturæ contracta. *c. 1. de solut.*

48 Dico 3. Vendere Decimas, prout sunt jus directum decimandi, est Simonia Juris Divini, sicut vendere beneficium Ecclesiasticum, seu jus percipiendi fructus, fundatum in officio & titulo spirituali, & nondum separatum. Communis; quia Decimæ, prout sunt jus directum decimandi, sunt annexæ juri spirituali, seu officio & functionibus spiritualibus, quas præsupponunt tanquam principale, sicut beneficium est annexum officio & titulo spirituali. Simoniacum tamen non est vendere Decimas, prout præcisè sunt fructus temporales, vel prout sunt jus *utile*, non *directum*, decimandi, quod olim frequenter fuit ab Ecclesia datum in feudum, vel emphyteusim, jure directo remanente penes Ecclesiam: & hinc consuetudo multis in locis habet, ut Laici hoc jus vendant aliis, utpote jus abstractum jam à titulo spirituali, & de novo creatum per contractum feudalem.

49 Dico 4. Promittere vel dare, exigere vel accipere aliquid temporale pro Ingressu Religionis, scilicet interveniente pacto, Simoniacum est Jure Divino & Naturali, sive dein ingressus sumatur latè pro ingressu in Novitiatum, sive strictè pro ipsa Professione, sive pro admissione in Novitiatum, vel ad Professionem, aut votorum emissionem. 2. Iure autem Ecclesiastico tantùm, si titulô sustentationis ingressi, vel ingressuri, aliquid ex pacto detur vel recipiatur, promittatur vel exigatur, casu quo Monasterium est dives, & satis à fundatoribus vel aliunde instructum mediis ad sustentandas personas. Partem 1. evincunt text. *in c. 8. 19. 25. 40. 41. & Extrav. Sanè 1. int. comm. h.t.* uti & ratio, quia uterque ingressus ordinatur ad finem supernaturalem, nempe salutem animæ & perfectionem charitatis; adeóque aliquid spirituale est: admissio autem eódem tendit, & insuper est actus jurisdictionis vel potestatis spiritualis. Partem 2. probat *c. 40. cit.* ubi prohibetur quævis exactio sub prætextu necessitatis vel paupertatis: ergo & illa, qua petitur aliquid pro sustentatione, ad quam prabendam sufficientia jam aliunde habet media Monasterium; sic enim potiùs fingitur, quàm revera datur titulus necessariæ sustentationis, & est merus *prætextus*. Quòd autem hæc Simonia non sit Juris Divini vel Naturalis, docent Palao, Schambogen *h.t. n. 67. 69.* & alii Recentiores multi contra P. Reiffenstuel *eod. n. 170. seqq.* ac liquet inde, quia non datur vel exigitur temporale pro spirituali, cùm sumptus in sustentationem personæ necessarii nihil spiritualitatis habeant. Interim huic prohibitioni Juris Ecclesiastici potest prævalere consuetudo, & fortè prævaluit in quibusdam locis, ubi passim, etiam à Monasteriis opulentis, maximè Monialium, titulô sustentationis exiguntur sat magnæ pecuniæ; quæ consuetudo redditi vel inde potest rationabilis, ut plures, quam alioquin deberent, possint recipi, vel ne fundationes & bona Monasteriorum, utpote variis casibus & periculis exposita, exhauriantur facilè, & necessaria cum tempore etiam aliorum deficiat sustentatio; maximè id procedit in Monasteriis Monialium, quibus haud convenit extra Monasterii septa victum sibi quærere, neque facultas quærendi suppetit per sua ministeria, sicut viris.

Dico 5. Licitum tamen, & non Simoniacum est, ab ingressis vel ingressuris Religionem aliquid temporale, non tantùm accipere sponte oblatum. 2. sed etiam de eo pacisci titulô sustentationis, si Monasterium sit inops, modò id permittat Regula Ordinis. 3. & titulô dotis, licèt sit dives, & probè fundatum vel dotatum. 4. aut titulô Donationis propter nuptias, vel Legitimæ, in Monasteriis virorum. 5. sub conditione, ut persona Religionem ingressa, & Monasterium, sive pauper sive dives, ea portione contentum renuntiet hæreditati parentum, aut alteri cuicunque justæ prætentioni. Pars 1. est clarè decisa in *c. 30. & Extrav. cit.* Pars 2. quam tenet communis cum S. Thom. 2. 2. 9. 100. a. 3. ad 4. & Suar. *l. 4. de*

lemm.

Simon. c. 17. n. 18. erùitur tùm ex Trid. *ſ. 25. c. 16. de Regular.* ubi permittitur pro victu & veſtitu Novitii aliquid accipere; cur non & pro reliquo poſt Profeſſionem tempore? tùm ex conſuetudine; tùm ex ratione, quòd in tali caſu temporale pro temporali exigatur & accipiatur juſta de cauſa. Pars 3. tùm ex privilegio Innocentii VIII. Monialibus expreſsè indulgentis, ut ab ingreſſis vel ingreſſuris accipiant vel exigant dotem congruam, ut teſtis eſt Aſcan. Tambur. *de Jure Abbatiſſar. d. 5. q. 2. & 3.* modò nihil exigant vel recipiant pro ipſo ingreſſu, vel inhabilem non admittant ex ſola ſpe & intentione recipiendi temporalia; nam talis intentio pro fine principali vel unico habens temporalia non facilè excuſaretur à Simonia; tùm ex generali conſuetudine; tùm à pari: ſi enim Marito, ſive dives ſive pauper ſit, omni Jure permiſſum eſt à ſponſa ſua exigere dotem ad ſuſtinenda Matrimonii onera, & quidem pro ſtatu ſuo congruam. *l. fin. C. de dot. promiſſ.* cur non liceat à ſponſa Chriſti, quæ cum Chriſto & Religione per hujus ingreſſum ac Profeſſionem ſpirituale celebrat Matrimonium, dotem congruam exigere, ſive dein Religio vel Monaſterium ſit inops ſive dives? cùm Matrimonium ſpirituale & carnale pari paſſu ambulent, & ab uno ad alterum aliàs frequenter & ſecundùm Jura ducatur argumentum. *arg. c. 2. ſeqq. de translat. Epiſc.* Neque hoc pacto exigitur temporale pro ſpirituali; ſicut enim in Matrimonio carnali conſiderantur duo, ut Sacramentum eſt, & contractus Civilis, cui contractui annexum eſt onus ſuſtinendi onera conjugii & alendi conjugem, propter quæ onera, & non pro Sacramento, exigitur dos, ita Matrimonium ſpirituale, quod eſt Profeſſio Religioſa, conſiderari poteſt dupliciter, ut ſtatus ſpiritualis, & ut quidam contractus humanus perſonam inter Religioſam & Religionem, ex quo hæc obligatur ad onera hujus ſtatùs & ad alendam perſonam, ac propter hæc onera, non verò pro ſtatu ſpirituali & Religioſo, exigitur & accipitur dos, ſeu bona temporalia inſtar dotis. Rectè tamen monent DD. ne Monaſteria (præſertim Monialium, ubi eſt majus periculum) dotem exigant ſine diſcrimine; quia aliàs perſonæ pauperes, non rarò magis dignæ, excluderentur, & divites, quà tales, tantùm reciperentur; quod utique indignum eſt in Monaſterio aliàs bene dotato. Pars 4. quam in terminis & explicitè tradit ferè ſolus P. Schmier *de delictis p. 2. c. 1. à n. 112.* habet eadem fundamenta; quia donatio propter nuptias pari paſſu procedit cum dote, & ſicut hæc filiabus, ita illa debetur filiis. per *l. fin. cit.* & non minùs viri, quàm fœminæ, Matrimonium ſpirituale contrahunt per Profeſſionem & Vota Religioſa. De *Legitima* videtur eſſe par ratio, quia & hanc parentes vel in Teſtamento vel ab inteſtato tenentur liberis relinquere: ergo liberi, ſicut manentes in Sæculo jus habent eam petendi, ita & Religionem bonorum ſtabilium capacem ingreſſi vel ingreſſuri, vel horum loco Religio petendi jus habet. per *Auth. ingreſſi. & Auth. ſiqua mulier C. de SS. Eccleſ.* Pars 5. quam cum eodem P. Schmier & P. Reiffenſtuel defendit P. Schmalzgrueber *h. t. n. 198.* ſuſtinetur ex eo, quia tali caſu temporale exigitur tantùm pro temporali, nimirum certa pecuniæ quantitas, vel etiam Legitima anticipatò ſolvenda, pro jure hæreditatis, vel alia prætenſione rerum temporalium, quod jus vel prætenſionem ingrediens, ſicut alia ſua bona, & jura, de quibus aliter priùs non diſpoſuit, transfert in Religionem ſucceſſionis & bonorum temporalium capacem.

Oppones 1. Omnis pactio circa ingreſſum Religionis eſt prohibita in SS. Canonibus, & quidem 2. in ſpecie apud Monaſteria ſatis dotata, de paſtu, victu, veſtitu, pecuniis &c. *Extrav. cit.* item ſub ſpecie vel prætextu paupertatis, nimirum neceſſariæ ſuſtentationis. *c. 40. cit.* 3. atque hæc ſunt prohibita tanquam Simoniaca Jure Divino & Naturali, ut evidens eſſe putat P. Reiffenſtuel *h. n. 169. ſeqq.* allegans S. Thomam *2. 2. q. 100. a. 3. ad 4.* Marchant. communiſſimámque aſſerens hanc eſſe ſententiam, cùm tali caſu exigatur temporale pro ipſo ingreſſu, eò quòd titulus ſuſtentationis falsò allegetur, & Monaſteria ideo ſint tam liberaliter fundata, ut indè alantur perſonæ Religioſæ, conſequenter nullus ſuperſit titulus exigendi aliquid: ergo conſuetudo non poteſt efficere, ut titulò ſuſtentationis aliquid exigant opulenta Monaſteria, etiam Monialium, quæ in *Extrav. cit.* vocatur corruptela. 4. prohibitum eſt *c. un. §. ſanè de ſtatu Regular. in 6.* atque in Trid. *ſ. 25. c. 3. de Regular.* & à Clem. VIII. *Conſtit: Nullum omnino.* ne in Monaſteriis recipiantur plures, quàm ex eorum reditibus, vel conſuetis eleemoſynis commodè ſuſtentari valeant: ergo nemo poteſt recipi ſub exactione ſuſtentationis, licèt Monaſterium ſit inops, & ad dandam ſuſtentationem inſufficiens; cùm tali abſolutè ſit prohibitum admittere quemquam. 5. ex eo, quòd ſponſus opulentus poſſit petere dotem, ſequeretur, quòd etiam Monaſterium opulentum poſſet per modum dotis ad ſuſtentationem perſonarum aliquid exigere ipſo Jure Communi, & non tantùm per Conſuetudinem. 6. licitum eſt ingreſſis ante editam Profeſſionem ita liberè de bonis ſuis diſponere, ut de iis nihil teneantur relinquere Monaſteriis. *arg. Nov. 5. c. 5.* & Trid. *ſ. 25. c. 16. de Regular.* ergo per pactum adigi non poſſunt, ut pro jure hæreditatis futuræ, Legitimâ ſibi obventurâ &c. renuntiatâ, hic & nunc aliquid anticipatò ſolvant, vel dotem dent. 7. Legitima non debetur liberis, quamdiu vivunt parentes, quia primùm computatur poſt mortem. *l. 1. §. 21. ff. de Collat. bonor.* & viventis non eſt hæreditas. *l. 1. ff. de hared. & act. vend.* ergo. 51

R. ad 1. Est quidem prohibita omnis pactio, qua temporale exigitur vel accipitur tanquam pretium Religionis, non verò si ex alio justo titulo, v. g. dotis, aut in Monasterio inopi, sustentationis personæ &c. Ad 2. & 3. prohibentur quidem hæc, sed tantùm Jure Ecclesiastico, cui prævalere potest consuetudo rationabilis & legitimè præscripta. Non exigitur sub prætextu paupertatis falso, quando Monasteria opulenta non allegant titulum paupertatis, sed sustentationis. P. Reiffenstuel nimis abundat in suo sensu, nec bene allegatur S. Thomas, qui ibi pro Simonia Juris Divini solùm habet receptionem alicujus rei temporalis ex pacto datæ tanquam pretii pro ipso ingressu. Si alii Auctores inspiciantur, communissima fortè non deprehendetur, præsertim Recentiorum; quia plurimi eorum loquuntur de casu, quo aliquid exigitur sub *colore indigentiæ*, vel in sensu S. Thomæ. Neque pro ipso ingressu aliquid exigitur, quando à divitibus aliquid exigitur titulò sustentationis, ut patet in Sacerdotibus, etiam Religiosis, qui vi consuetudinis vel permissionis Ecclesiæ, aliquid titulò stipendii pro sustentatione exigunt pro ministeriis sacris, vel Missis, licet aliunde vel ex patrimonio, vel ex fundatione beneficii aut Monasterii, sustentationem abunde habeant, uti fatetur ipse P. Reiffenstuel. *n. 198. 201. seqq.* in quibus proin contra ipsum retorquetur argumentum, uti & in casu, quo Regulares, etiam divites, cum parentibus, juxta ipsum quoque *n. 182.* licite paciscuntur de certa quantitate pecuniarum sub conditione, ut ingredientes renuntient juri hæreditatis, vel alteri justæ prætensioni. Quando in *Extrav. cit.* reprobatur consuetudo tanquam corruptela, id intelligendum venit de consuetudine irrationabili, qua temporale exigitur pro spirituali, vel nimis importunè, ut quasi extorquetur temporale, uti de Sacerdotibus de stipendio paciscentibus dictum. *n. 35. 36.* Unde Regulares utriusque sexûs sufficienti fundatione ad sustendandas personas instructi diligenter caveant, ne nimis sordidè ac sollicitè petant, vel quærant temporalia ab ingressis, aut ingressuris Religionem; magisque fidant in DEI providentia, quàm temporalium corratione, qui reditus præsentes religiosè viventium, publicæque ædificationi in moderandis cupiditatibus studentium speciali benedictione, aliisque viis honestioribus, v. g. legatis, hæreditatibus sponte oblatis, donationibus &c. augebit, & satis locupletabit Monasteria, ut nunquam egendi periculum habeant. Ad 4. quod importunè oggerit Bernard. Van-Espen Belga, & neotericus Rigorista, *N. Conf.* quia Clemens VIII. ad mentem *c. un. & Trid. citt.* ponit hæc notatu digna verba, *qui* (Conventus) *de consuetis, sive communibus, sive singulorum, eleemosynis, aliisve quibuscunque obventionibus in commune conferendis commodè sustentari possit:* ergo respectu inopis Monasterii dos considerari potest, ut consueta eleemosyna, quia est *pia* largitio, & *consueta*: respectu opulenti autem ut *obventio in commune conferenda.* Ad 5. Si id sequi existimes, accepto jubens; consequenter consuetudo erit secundùm jus, vel hujus interpres, aut confirmatio. Ad 6. *trans. antec.* quod adhuc dubium est, ut colligere licet ex iis, quæ tradit Covarruv. *de Testam. c. 2. n. 8. & 9.* Sed *consequentia* est falsa; quia liberum est Monasteriis recipere vel non recipere: ergo licitè repellunt eos, qui, cùm possint, tamen nolunt quidquam dare vel assignare Monasteriis. Ad 7. Quamquam liberis non debeatur Legitima vivis parentibus, iisdem tamen debetur jus ad Legitimam suo tempore consequendam, uti & ad hæreditatem: & super hujus juris remissione licitum est pacisci, si non Jure Civili, saltem Jure Canonico *c. 2. de Pactis in 6.* præsertim consuetudine explicatò & confirmatò.

§. V.

De Pœnis Simoniæ. Ubi & de Judice, & dispensatione in hac materia.

Sciendum, per *pœnas* hìc non intelligi illas, quas justò Judicio DEus infligit peccatoribus, sed quibus Ecclesia in foro externo vindicat atrox Simoniæ crimen, vel ipso Jure statutis, vel per sententiam irrogandis. Unde videndum, an & quomodo puniantur rei *Simoniæ*, præsertim *realis*. Et quia inter alias pœnas referri quoque potest nullitas actûs, & obligatio restituendi Simoniacè accepta, etiam de his instruendi sumus. Cùm verò Judicis sit vel condemnare ad pœnas à Jure non statutas, vel statutas infligere, de isto quoque pauca dabimus. 12

Dico 1. Pœnam à Jure Ecclesiastico statutam non habet Simonia Mentalis. 2. neque merè Conventionalis, in quacumque materia. 3. probabiliter neque Conventionalis Mixta, exceptâ tamen Simoniâ Confidentiali. 4. quamvis possint punìri arbitrariè, ac ferè debeant à judice, si ad hunc deferantur. Pars 1. constat ex *c. 33. c. 34. c. fin. h. t.* Accedit, quòd in Simonia Mentali prava intentio non prodatur signò externo, adeòque tanquam occulta, ad cujusmodi delicta se non extendit Ecclesiæ potestas coercitiva, ab eadem punibilis esse non videatur. Pars 2. quando nempe ex neutra parte actualiter datum est temporale, vel spirituale, sed præcisè conventum, pariter est recepta inter Auctores, & in Jure fundata; quia SS. Canones, ubi pœnas statuunt in Simoniacos, mentionem faciunt dationis, & acceptionis, uti *can. 1. 2. seqq. caus. 1. q. 3. c. 1. c. 34. h. t. Extrav. 1. & 2. int. Comm. eod.* Pars 3. ubi valde multi faciunt discrimen inter casum, quo solùm temporale est traditum, non verò spirituale, & inter casum, quo spirituale tantùm, non verò temporale, est datum: in priori cum communi aliorum admittunt, nullam incurri pœnam, in posteriori verò volunt incurri, uti Va- 13

Valent. Guttierez, & alii cum P. Friderich. *de Sim. c. 5. n. 204.* allegantes Stylum Curiæ Romanæ, & Deciſiones Rotæ. Sed nec in poſteriori caſu pœnis à Jure ſtatutis obnoxios eſſe Simoniacos, propugnant æquè multi, imò plures, cum Navarr. Covarruv. Laym. Zœſ. *hic n. 87. 92. ſeqq.* Reiffenſtuel *n. 239.* allegantes & ipſi Stylum Curiæ, & *Extrav. 2. cit.* ubi *dantes & accipientes* pœnis ſubjiciuntur: quibus accedo & ego, cùm verſemur in materia pœnali, in qua benignior pars tenenda eſt. *c. 49. de R. I. in 6.* & aliàs odia ſunt reſtringenda. *c. 15. eod.* Pars 4. patet ex *Conſtit. Intolerabilis* Pii V. & indè, quòd Simonia ſit crimen graviſſimum, quod ordinariè non debet relinqui ſine pœna.

54 Oppones 1. In *c. 37. & 45. h. t.* videntur pœnæ infligi, etſi tantùm ſit promiſſum aliquid temporale pro ſpirituali tradito: ergo non requiritur executio, ſeu traditio actualis, ex utraque parte. 2. In *can. 5. cauſ. 1. q. 3.* decernitur irritum, ſiquid ſpirituale eſt datum datâ *vel promiſſâ* pecuniâ: ergo ad pœnas incurrendas ſufficit promiſſio, & non requiritur datio rei temporalis. R. ad 1. in *d. c.* utroque eſt ſermo de remiſſione alicujus obligationis temporalis pro dato ſpirituali: remittere verò idem eſt, ac dare. Ad 2. id intelligendum eſt vel de caſu, quo poſt intervallum re ipſa datur, quod priùs tantùm fuit promiſſum: ſi enim hoc contingit, completur Simonia Realis, pœnæque incurruntur, & retrotrahuntur ad tempus pactionis præteritæ, ut docet Navar. Suar. Leſſ. vel de irritatione per ſententiam decernenda, ut ait idem Navar. in *Man. c. 23. n. 104.* Ex quibus colliges, Titium, qui Sempronio promiſit ſummam pecuniæ pro beneficio, ac iſtud obtinuit, ipſe verò nunquam ſolvit pecuniam, non incurrere pœnas Simoniæ decretas.

55 Dico 2. Quamvis ſola Simonia Realis puniatur certis ac determinatis à Jure pœnis, ut patet ex dictis; non tamen ſic punitur omnis Simonia Realis, ſed triplex tantùm ejus claſſis. 1. Quæ circa Ordinationem ſeu collationem Ordinum. 2. Quæ circa ingreſſum Religionis. 3. Quæ circa proviſionem Beneficiorum Eccleſiaſticorum committitur. Ratio, quia in has, & non in alias Simoniæ ſpecies, reperiuntur pœnæ certæ ab ipſo Jure determinatæ, & ipſo facto incurrendæ. Aliis tamen pœnis ad arbitrium & per ſententiam Judicis plecti poſſunt aliæ Simoniæ, in quas quidem aliquæ nonnunquam ſtatutæ ſunt pœnæ, non tamen ut ipſo jure vel facto incurrendæ, ſed primùm per ſententiam. De his tribus claſſibus jam inſpecie.

56 Dico 3. Quando Simonia committitur circa Ordinum Clericalium ſuſceptionem & collationem, ſequentes pœnæ ipſo facto incurruntur. 1. Tam ordinans Simoniacè, quàm ordinatus, eſt excommunicatus excommunicatione reſervata Pontifici. 2. Ordinans eſt ſuſpenſus à collatione quorumcunque Ordinum, etiam primæ Tonſuræ, & ab exercitio munerum Pontificalium, ordinatus verò ab Ordinibus ſuſcipiendis, & ſuſceptorum exercitio. *c. 37. c. 45. & Extrav. 2. citt.* Non tamen incurruntur ab iis, qui citra ſuam culpam propriam ordinant vel ordinantur interveniente Simonia, neque ab Epiſcopo, poſt collatum gratis Ordinem accipiente aliquid ſponte oblatum, licèt juxta Trid. *ſ. 21. c. 1. de Ref.* Simoniam Juris Eccleſiaſtici committat. Alias adhuc pœnas in Simoniace ordinantes & ordinatos ſtatuit Sixt. V. *in Conſtit. Sanctum,* quam tamen Navar. & Leſſ. putant in pleriſque locis ignotam, & non receptam eſſe.

Dico 4. Quando Simonia committitur 57
circa Religionis ingreſſum, hæ pœnæ habent locum. 1. Tam dans temporale pro ingreſſu Religionis per Profeſſionem completo, & admittens ad eam, ſi ſit perſona ſingularis, excommunicationem, ſi verò admittens ſit communitas vel Conventus, ſuſpenſionem ab officio (non ab Ordine) h. e. ab executione juris Capitularis, conſiſtentis in adminiſtratione jurisdictionis & Eccleſiæ, incurrit ipſo facto, utramque reſervatam Pontifici. 2. tam dans quàm admittens ſit infamis infamia juris, ſi nempe crimen ſit notorium, conſequenter irregularis. 3. Simoniacè profeſſus (tenet enim Profeſſio) de Simonia condemnatus absque diſpenſatione Epiſcopi permanere non poteſt in illo Monaſterio, ſed transferri debet in aliud arctius; licèt ipſe, donec per ſententiam jubeatur, diſcedere non teneatur. *Extrav. 1. cit. c. 19. c. 25. c. 40. h. t.* Sed ex ſupra dictis patet, quòd rarò aliquid temporale detur pro ipſo ingreſſu in Religionem, adeóque rarò committatur hæc Simonia: imò *Extrav. cit.* quoad excommunicationem à laudatis Nav. & Leſſ. dicitur non eſſe recepta, ſuſpenſio autem, ſi occulta ſit, diſpenſabilis eſt ab Epiſcopo (& Mendicantibus) per Trid. *ſ. 24. c. 6. de ref.*

Dico 5. Quando Simonia Realis com- 58
mittitur circa Proviſionem Beneficiorum, Officiorum, Dignitatum, & Prælaturarum Eccleſiaſticarum, uti (prò dolor!) nimis frequenter contingit, inducuntur hæ pœnæ. 1. præſentatio, nominatio, inſtitutio, electio, poſtulatio, confirmatio, admiſſio, & quælibet proviſio eſt ipſo jure nulla, datúrque obligatio in conſcientia dimittendi beneficium &c. fructúsque beneficiales (nam induſtriales probabiliùs retineri poſſunt) reſtituendi ante omnem ſententiam. 2. omnes, quicunque ad talem Simoniam concurrerunt, ſunt excommunicati excommunicatione reſervata Summo Pontifici. 3. & proviſus ad idem beneficium de novo obtinendum fit ipſo Jure inhabilis. 4. item ad alia; imò privatur quoque aliis beneficiis priùs habitis, ac perpetuò deponendus eſt ab Altaris miniſterio: ſed hæc ultima non incurruntur ante ſententiam. Pars 1. & 2. clarè habetur in *Extrav. Cùm deteſtabile 2. h. t. int. com.* Pars 3. in *c. penult. de Elect.* Pars 4.

sumitur ex *Const. Cùm primùm* Pii V. non in majori rigore recepta, quæ non quòd per sententiam primùm inducatur Inhabilitas ad alia beneficia, privatio aliorum, & depositio, uti notant Navar. Suar. Laym, & Pirhing *h.t. n. 170.* Consonat *c. 2. de Confess. & c. 11. h. t.*

59 Circa has pœnas Simoniæ in provisione beneficiorum &c. commissa notanda sunt sequentia. 1. eas extendi communiter à DD. etiam ad Simoniam Juris Ecclesiastici in materia beneficiali commissam, uti si duo permutent sua beneficia sine Superioris authoritate. per *c. 5. & 7. de rer. permut.* quia Jus, præfatas pœnas circa provisionem Simoniacam in Beneficiis, generaliter & sine discrimine inter Simoniam juris Divini ac Ecclesiastici, uti in *Extrav. 2. cit. &c.* statuit. 2. non tamen extendi ad beneficia minùs strictè sumpta, uti si committatur Simonia circa Pensiones, Vicarias temporales, Capellanias &c. quia *d. Extrav.* loquitur tantùm de dignitatibus, officiis personalibus, & beneficiis: in odiosis autem non debet fieri extensio, sed verba strictè accipi. *c. 15. de R. J. in 6.* 3. ab excommunicatione, si delictum sit occultum, posse absolvere Episcopum, & Regulares Mendicantes, illum quidem propter Trid. *lo. cit.* istos autem propter speciale privilegium. Suar. *c. 61. n. 4.* Less. Palao &c. 4. fructus beneficiales perceptos omnes, etiam consumptos, restitui debere à Simoniacè promoto, & quidem ante sententiam; quia injustè percepit vel percipit & absque titulo, imò & percipiendos, seu quos malè promotus percipere potuisset, at non percepit ex negligentia vel insciția: uti alibi docuimus de prædone *lib. II. tit. II. num. XI.* quia habetur ut invasor. Gonz. *ad c. 12. h. t. num. 6.* Si verò aliquis esset bonæ fidei possessor, puta quia Simoniace quidem fuit promotus, at sine sua culpa, eò quòd alii ipso inscio dederint temporale pro beneficio, fructus tantùm existantes teneretur restituere, quos durante bona fide percepit, licet postea resciat Simoniacum ingressum, ac bona fides solvatur. per ea, quæ tradidimus de bonæ fidei possessore *lib. II. Tit. XII. n. 13.* neque illos, quos bona fide jam consumpsit, vel percepit tanquam condignum sui ministerii stipendium, bona fide præstiti; quia dignus est operarius mercede sua. Vid. Suar. *l. 4. c. 57. n. 36.* Quin etiam ipsum beneficium, & fructus omnes, etiam formaliter existantes retinendi jus acquirit per Regulam Cancellar. *de triennali possessore,* si illud quietè possedit per triennium: quæ regula nihil prodest illi, qui scienter per Simoniam est promotus. Sed hinc

60 Quæres, an prædictas pœnas incurrat Simoniacè promotus, sed ignoranter, puta, quia pretium est datum à parentibus, amico, vel ex nequitia à quodam tertio? Rs. non incurrit aliam, quam nullitatem provisionis; quia non deliquit, si ipso inscio commissa est Simonia: nullitas autem provisionis (& indè pendens privatio ac necessaria dimissio beneficii in conscientia ante sententiam, nisi per triennium bona fide ac Simoniæ commissæ ignarus possedisset) incurritur, cum non tam in pœnam sit statura, quam in abominandæ Simoniæ detestationem; uti & inhabilitas ad idem beneficium; cùm hæc in pœnam non ipsius sine propria culpa promoti, sed aliorum Simoniace promovere volentium, decreta sit. *c. 27. c. 33. junct. gl. h. t. & c. penult. cit.* Communis cum S. Thoma contra Navar. Ugolin. qui putant, provisionem tali casu non irritam esse ipso jure, sed irritandam tantùm per sententiam. Si tamen promotus, metuens vel suspicans ab aliis aliquid dandum pro sui promotione, expresè fuisset protestatus & contradixisset; item si tertius quidam ex nequitia ac fraudulenter, ut hoc modo redderet provisionem invalidam, ipsumque Candidatum ad hoc beneficium inhabilem, pecuniam vel pretium dedisset, in utroque casu nec promotio esset invalida, nec inhabilitas incurreretur. *c. 27. c. 33. citt.* Aliud foret, si à tertio fuisset datum pretium, sciente beneficii Candidato, & non protestante, imò protestante quidem, at nihilominus sciente, quòd alter non obstante protestatione in Simonia perrexisset; tunc enim provisio foret nulla. *c. 33. cit.* Neque obstat, quòd ibi dicatur, *electionem ignorante electo Simoniacè factam penitus esse reprobandam,* & sic intimulari videatur, eam non ipso jure nullam, sed accedente sententia tantùm annullandam esse; quia propter alios textus, quibus clare inducitur nullitas ipso jure & facto, hæc verba habent hunc sensum, quòd electio, tanquam nulla per se, sit declaranda tanquam nulla; qui modus loquendi in Jure non est infrequens, ut, quod in uno loco dicitur *irritum,* in alio dicatur irritandum, nempe declarandum ut nullum. Denique notandum, provisionis valori obstare, licèt in electione major pars libere & sine pretio accepto sua suffragia dederit, modò pars, vel etiam unicus tantùm sit pretiò conductus, & Simoniace elegerit, uti &, propter paritatem rationis, si unus tantùm ex pluribus patronis fuerit pretiò corruptus, ut habet communis & melior sententia ex textu satis claro *c. Matthæus 23. h. t.* contra Panorm. Garc. Palao. Idem est, licet non tota pretii summa, prius promissa, postmodum data sit, sed tantùm pars, v. g. ex 100. promissis tantùm 5. vel 10. &c.

Dubitabis, quas pœnas, & an speciales ista- 61
tuerit jus in Simoniam *Confidentialem?* Rs. præter excommunicationem reservatam, nullitatem resignationis & collationis, inhabilitatem ad idem beneficium, quæ sunt pœnæ communes omnium Simoniarum Realium circa promotionem beneficialem commissarum, habet speciales istas, in Bulla *Romanum* Pii IV. & Bulla *Intolerabilis* Pii V. proditas. 1. si reus sit Episcopus, vel Prælatus Episcopô superior, loco excommunicationis interdicitur ab ingressu in Ecclesiam. 2. resignans per confidentiam, uti & resignatarius, reddi-

tur

cur inhabilis non tantùm ad idem, ſed etiam ad alia beneficia obtinenda. 3. privatur non modò beneficiis aliis priùs obtentis, ſed etiam penſionibus: ſed hæc privatio, licèt ipſo Jure ſit inducta, tamen requirit ſententiam declaratoriam criminis; quia externam executionem requirit, & privatio eſt juris jam quæſiti. 4. fructus ex tali beneficio matè percepti applicari debent Cameræ Apoſtolicæ. 5. Beneficium ita nulliter acquiſitum reſervatur collationi Sedis Apoſtolicæ. Sed hæc reſervatio in Germania non habet locum propter Concordata Germaniæ, quibus Pontifices non cenſentur derogare ſine expreſſa illorum mentione. Notandum tamen eſt adhuc 1. quòd dictæ pœnæ, ſicut ipſa Simonia Confidentialis, in penſionibus ſub confidentia, ſcilicet ingreſsûs, acceſsûs, regreſsûs explicatâ *n. 6.* ceſſent; quia in odioſis non debet fieri extenſio ſed verba ſtrictè ſumi. 2. quòd ad illas incurrendas ob Simoniam Confidentialem non requiratur, ut contractus ex utraque parte per traditionem & intentionem ſit completus, modò ex una parte ſit completus v. g. per collationem beneficii, licèt primùm poſt aliquot annos urgeat obligatio reſignandi tertio, qui procuravit; quia hæc Simonia ex natura ſua reſpicit diverſa tempora. Atque ita docent omnes, etiam illi, qui nobiſcum univerſaliter negant, pœnas contrahi ex Simonia non completa ex utraque parte per executionem.

62 Dico 6. Quamvis omne pactum & contractus Simoniacus in ratione contractûs ſit nullus. 2. traditio tamen facta rei vel temporalis vel ſpiritualis valida eſt, adeóque talis contractus in ratione traditionis liberè factæ ſubſiſtit, oritúrque jus retinendi ſpiritualia Simoniacè accepta, donec per ſententiam iisdem privetur accipiens. 3. exceptis tamen beneficiis & officiis Eccleſiaſticis, & actionibus quibuscumque ad ea conferenda ordinatis, utpote quæ actiones & collationes proviſionésque ſunt ipſo Jure irritæ. 4. ſed Eccleſiaſtico tantùm, non Naturali. Pars 1. ſumitur ex *can. 8. cauſ. 1. q. 1. l. 6. pr. ff. de contrab. empt.* nam res ſacræ & ſpirituales in commercium & contractum humanarum venire non poſſunt. *l. 83. §. 5. ff. de V. O.* Adde, quòd utique nemo obligari validè poſſit ad faciendum illicitum: ſed dare temporale pro ſpirituali, vel viciſſim, eſt illicitum: ergo. Adeóque Jus Naturale irritat turpiter facienda, non item turpiter jam facta. Pars 2. ex *c. 39. in f. h. t.* ibi: *qui receperit, & qui dederit hujusmodi pretium omnino damnatum, cum Giezi & Simone condemnetur:* ergo traditio tenet, ita ut res ſpiritualis retineri poſſit, pretium verò temporale reſtitui debeat, ſi ſimul injuſtè acceptum eſt. Sed de reſtitutione Simoniacè acceptorum poſtea. Quòd teneat traditio, probatur etiam negativè; quia nullo jure reperitur irritata extra materiam beneficialem. Unde ſubſiſtit collatio Simoniaca Sacramentorum, Baptiſmi, Pœnitentiæ, Ordinis &c. conſecratio Eccleſiæ, Profeſſio Religioſa, emptiò juris Patronatûs, aliarúmque rerum & jurium ſpiritualium, vel ſpirituali annexorum. Pœnæ tamen variæ a Judice Eccleſiaſtico etiam in aliis Simoniis extra beneficialem materiam infligendæ ſtatuuntur *can. 7. 8. ſeqq. q. cit. c. 11. 19. h. t.* Nec obſtat, quòd *Extrav. 2. eit.* innovans Cenſuras & pœnas Juris antiqui addat: *quas ipſo facto eos incurrere volumus;* nam hæc verba juxta communem interpretationem intelligenda ſunt de beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis Simoniacè collatis; quia de his ſermonem præmiſit Papa. Pars 3. quòd nempe proviſio beneficiorum & collatio officiorum Eccleſiaſticorum ſit irrita, atque beneficia ante ſententiam omnem dimittenda, probata eſt ſatis *n. 58. ſeqq.* Pars 4. ex ratione; quia Jus Naturale ad validam translationem & collationem rei ſpiritualis nihil aliud requirit, quam dominium vel quaſi-dominium & poteſtatem in dante, in recipiente autem capacitatem, quas ſuppono adeſſe, & adeſſe ſpectato Jure Naturali poſſunt, licèt peccètur contra Religionem æquiparando rem ſpiritualem temporali, & licèt Jus Eccleſiaſticum reddat incapacem, qui pretium accipit.

Dico 7. Quamvis merx ſeu res ſpiritualis 63
Simoniacè accepta, extra materiam beneficialem, reſtitui non debeat ante ſententiam. 2. Pretium tamen temporale reſtitui debet Jure Naturali & ante omnem ſententiam caſu, quo non tantùm Simoniacè, ſed etiam injuſtè acceptum eſt, ſeu quando pretium acceptum eſt pro re ſpirituali, ex qua alteri nullum commodum temporale provénit, vel non tantum, quantum eſt pretium. 3. Non verò ante ſententiam condemnatoriam, ſi acceptum eſt pretium Simoniacè tantùm & ſine peccato contra Juſtitiam commutativam; eò quòd nempe commodum temporale pretio æquivalens cum re ſpirituali translatum ſit in eum, qui dedit ſpirituale. 4. Exceptò tamen pretiò, quod pro beneficio vel officio Eccleſiaſtico acceptum eſt, quod Jure Eccleſiaſtico debet reſtitui, ubi injuſtitia intervénit, & recipiens pretium non ſe privavit commodo temporali, uti ſit apud eligentes, commendantes, præſentantes, conferentes beneficium: ſi verò injuſtitia interveniſſet, obligaret etiam Jus Naturale. Pars 1. conſtat ex aſſertione præcedente; quia translatio valet, & reſtitutio ante ſententiam nec Jure Poſitivo, minùs Jure Naturali, eſt impoſita: ſi tamen alter reſtituat pretium & repetat rem ſpiritualem, reddi hæc debet, imò & in pœnam redditio rei ſpiritualis injungi à Judice poteſt. Pars 2. patet ex natura juſtitiæ commutativæ, quæ exigit, ut pars læſa reparetur ad æqualitatem, & tantum reddatur, quantum injuſtè acceptum, vel quantum fuit damnum alteri injuſtè illatum: nec retineri juſte poteſt, cujus retinendi nullus eſt titulus. Unde pretium Simoniacum reſtituere debet, qui aliquòd

quod accepit pro re merè ſpirituali, non connexa cum temporali commodo, quod ſit pretio æſtimabile, v. g. pro Reliquiis, Sacramentis &c. vel qui accepit pro re ſpirituali, commodum temporale quidem afferente, ſed aliunde debita ex juſtitia v. g. ex officio Parochi: vel pro re commodum temporale quidem pariente, at cujus non fuit dominus, ſed tantùm adminiſtrator, qui contulit, ut ſi Epiſcopus vendat beneficium, cujus collatio ad ipſum non pertinet: vel pro re ſpirituali, ex qua quidem perciperetur commodum temporale, at promiſſâ tantùm, non verò datâ. Pars 3. exinde; quia violatio virtutis Religionis tantùm non parit obligationem reſtituendi, ut habet communis cum P. Friderich *de Simon. n. 222.* Unde reſtituere (præſcindendo à Jure Poſitivo id præcipiente) non tenetur pretium acceptum, qui alteri pro pecunia reſignavit ſuum beneficium vel dignitatem; quia fructu beneficii vel honore ſe privavit, & alteri conceſſit: aut qui Reliquias aurô vel argentô ornatas, vaſa ſacra, chryſma, caſtrum jus patronatûs habens annexum &c. quà talia & conjunctivè vendidit pretio non excedente commodum temporale, quod inde in alterum redundat; neque Monaſterium, quod pecuniam accepit pro admiſſione alicujus ad Religionem, ut deſumunt DD. ex *Extrav. 1. h. t. int. com.* Pars 4. ex *c. 11. eod.* quod jubet pretium reſtitui, uti tenent communiter DD. ſicut *Extrav. 2. cit.* & alia Jura jubent dimitti beneficium in conſcientia ante omnem ſententiam. Sed notandum adhuc, quòd dicta de obligatione reſtituendi pretii ante ſententiam etiam procedant in Simonia Mentali, ſi ſit conjuncta cum injuſtitia. Ita verior cum Suar. & Gonz. *in 6. fin. h. t. n. 3.*

64 Oppones 1. Non eſt ratio, cur ſpirituale Simoniacè acceptum, non debeat reſtitui, bene tamen temporale, ſeu pretium: ergo utrumque vel neutrum debet reſtitui ante ſententiam. 2. Qui dedit rem ſpiritualem, non voluit dare, niſi ut per hanc dationem acquireret pecuniæ dominium: ergo, ſi non acquiſivit dominium, nec rei ſpiritualis dominium transtulit: ergo æquè debet reſtitui merx ſpiritualis ante ſententiam, quàm pretium, vel ſi illa non debet reſtitui, nec iſtud debet. 3. dans pretium pro re ſpirituali voluntariè dat: ergo ſine injuria & injuſtitia ſemper retineri poteſt ab illud accipiente. R. ad 1. *N. Ant.* ratio enim eſt, quòd accipiens rem ſpiritualem non committat injuſtitiam, cùm habeat jus accipiendi; accipiens verò pretium pro ſpirituali nullum afferente commodum temporale, vel aliunde debitum afferente &c. committit injuſtitiam; quia nullum habet jus vel titulum accipiendi pretium pro re, cujus dominus non eſt, ſed tantùm adminiſtrator, & quidem talis, cui dictum eſt: *gratis accepiſtis, gratis date. Mat. 10.* ſicut diſpenſator eleemoſynam gratis elargiri juſſus facit pauperi injuriam, & injuſtè agit, propterea obligatus ad reſtituendum, ſi pro eleemoſyna pauperi data ab eodem recipit pecuniam. Ad 2. *trans. Ant. N. conſ.* quia volens accipere dominium pretii pro re ſpirituali, nullum commodum temporale annexum habente &c. vult illud injuſtè & absque titulo, adeóque invalidè: at verò accipiens rem ſpiritualem non agit injuſtè: ergo, cùm alter non potuerit alligare translationem rei ſpiritualis conditioni injuſtæ de acquirendo pretii dominio, quæ habetur pro non adjecta, accipiens verò capacitatem & jus habet acquirendi rem ſpiritualem, iſte retinere poteſt rem ſpiritualem, non ille pretium. Ad 3. Licet voluntariè dederit, tamen donare non voluit, ſed dare, quantum juſtitia permittit, & ut aliquid pretio æſtimabile & æquivalens recipiat: ergo, ſi hoc non datur ab accipiente pretium, illud reſtitui debet. 66

Quæres, cuinam reſtituendum ſit pretium acceptum, caſu quo reſtitui debet? R. 1. per ſe reſtituendum foret danti, ſeu illi, à quo acceptum eſt, tam in materia Beneficiali, quam in alia. Communis cum P. Suar. *c. 59. n. 23.* & P. Friderich. *n. 224.* Ratio, quia per ſe facienda eſt reſtitutio injuſtè læſo, ita exigente Juſtitia commutativa. Neque dans pretium, in beneficialibus etiam, aliter intendit ſe abdicare dominio pretii, niſi quatenus alter, à quo recepit ſpirituale, illius capax eſt; cùm ergo in caſu, quo alter non tantùm Simoniacè, ſed etiam injuſte reciperet pretium, aut pro beneficio, dominii pretii capax non ſit, manet hoc dominium penes eum, qui dedit pretium; ergo per ſe huic reſtituendum foret, quamdiu nimirum neque Judex per ſententiam, neque Jus aliud præcipit. Unde R. 2. Cùm Simoniacè dans pretium, ſive injuſtitiâ interveniente, ſive non, præſertim in beneficialibus, per ſuum delictum ſe pretiô reddat indignum, ideo per ſententiam Judicis poteſt pretium applicari Eccleſiæ vel pauperibus, & in beneficialibus debet applicari Eccleſiæ, in qua beneficium exiſtit, vel vi conſuetudinis etiam pauperibus, ut docent plerique ex *c. 11. & c. 41. h. t.* cum S. Thoma, licèt ante ſententiam, etiam in beneficialibus, reſtitui valeat danti pretium; quia jus non privat dantem ipſo facto, imò etiri diceret, eum amittere pretium ipſo jure, uti in beneficialibus, tamen requireretur ſententia declaratoria criminis. *arg. c. 19. de haret. in 6.* 67

Oppones 1. In *c. 11. cit.* dicitur, quòd accepta pecunia *ſine gravi ſalutis periculo retineri non poſſit*, quæ nempe pro beneficio data eſt; ergo ante ſententiam Judicis illa debet reſtitui Eccleſiæ. 2. Turpiter acceptum non eſt reſtituendum danti, ſi turpitudo ſe teneat tam ex parte dantis quàm accipientis, cùm in pari turpitudinis cauſa melior ſit conditio poſſidentis: ergo pretium Simoniacum retinere poteſt accipiens. R. ad 1. *diſt. Conſ.* ergo in beneficialibus ante ſententiam Judicis condemnatoriam, utpote quam Jus tam

tulit, debet restitui Ecclesiæ. *C. Cons.* ante omnem sententiam, etiam criminis declaratoriam. *N. Cons.* Ad 2. Illa regula procedit solùm de foro externo, in quo Judex in pœnam delicti bene præcipit, ut pretium injustè acceptum non danti, uti accipiens de Jure Naturali facere deberet, restituatur; neque relinquatur accipienti injustè, cùm id prohibeat Jus naturale, sed detur Ecclesiæ vel pauperibus. Nec est melior conditio possidentis, qui injustè & sine titulo accepit.

66 Dico 7. Judex competens in delicto Simoniæ est solus Ecclesiasticus privativè, etiamsi delinquens sit Laicus. Adeóque hoc crimen non mixti est fori, sed Ecclesiastici tantùm, utpote versans circa res & objecta spiritualia. Ita Glossa quoad hoc crimen communiter recepta *in c. 8. de for. comp. v. Malefactores.* Sumitur etiam ex *c. 2. de Judic.* ubi omnes causæ spirituales & Ecclesiasticæ tribuuntur foro Ecclesiastico. Idque procedit, etiamsi moveatur quæstio *facti*; quia ordinariè involvitur quæstio *Juris*, ut in crimine hæreseos. Ad accusandum de gravissimo hoc crimine non modò admittuntur omnes, etiam criminosi & complices delicti, modò non sint capitales inimici, & non Acatholici. *c. 3. 7. h. t.* Verùm etiam in virtute S. obedientiæ jubentur revelare quantocyus Summo Pontifici, vel cui is duxerit hoc committendum, quos Simoniæ reos esse sciverint. *Extrav. 2. cit.* Ad condemnandum verò de hoc crimine sufficiunt etiam probationes ex conjecturis & signis evidentibus haustæ. *c. 6. h. t.* tum quia crimen est valde atrox & pernicioſum Ecclesiæ, tum quia solet occulte committi, adeóque difficilis est probationis. Neque testes debent esse omni exceptione majores, saltem si agatur civiliter, vel judicio Inquisitionis, modò non sint capitales inimici. *c. 31. h. t.* Sed vide limitationes in *c. 32. sequente* positas, & *c. 10. de testib.*

67 Dico 8. Absolvere à Censuris, & dispensare in pœnis Simoniæ, per se solus potest Pontifex; quia inferior in Jure Communi nihil potest: nec tamen ipse Pontifex facilè dispensat, sed rarissimè, maximè in beneficiis, ut difficultate dispensationis obtinendæ absterreantur fideles ab hoc gravi crimine. Dispensat tamen, maximè ob causam scandali, quod oriretur ex dimissione beneficii Simoniacè obtenti, item ob paupertatem beneficiati, tum per *Datariam*, quando delictum est notorium, tum per *Pœnitentiariam* pro foro interno tantùm, si est occultum; sed semper debent exprimi fructus ex beneficio Simoniacè obtento percepti, de quibus fit transactio vel compositio, per quam ex justa causa aliqui, v. g. tertia eorum pars remittitur, vel injungitur pro foro interno, ut, quamprimum per paupertatem licuerit, omnes percepti restituantur Ecclesiæ: quare tenor dispensationis diligenter inspiciendus est. Vid. Pyrrh. Corrad. *in Prax. dispens. l. 5. c. 9. c. 10.* Reiffenstuel *h. t. à n. 341.* Dixi, *per se*; nam si delictum sit occultum, & ad forum contentioſum non deductum, à Censuris absolvit Episcopus, vi Trid. *s. 24. c. 6. de refor.* & Religiosi Mendicantes vi privilegii, exceptâ tamen Simoniâ in collatione & susceptione Ordinum commissâ, ubi est recepta *Constit. Sanctum* Sixti V. Pariter Episcopus dispensare certò potest cum eo, qui per alienam Simoniam se inscio commissam impetravit beneficium simplex, & probabiliùs etiamsi Curatum, ad idem beneficium, postquam resignavit, uti debet, rursus obtinendum. *l. penult. de Elect.* Item cum eo, qui per propriam Simoniam obtentum beneficium sponte dimisit ante sententiam condemnatoriam. per *can. 1. caus. 1. q. 5.* An verò Episcopus vi Trid. *lo. cit.* dispensare possit ad obtinendum rursus idem beneficium priùs Simoniacè obtentum, vel potiùs retinendum, si delictum mansit occultum, nec ad forum contentioſum deductum, disputant DD. Negat cum communiori Reiffenstuel *n. 339. seq.* Affirmant probabiliter Henriq. Less. Palao. *p. 3. tr. 17. d. 3. pu. ult. n. 4.* Inclinat P. Krimer *h. t. n. 593.*

Quæres, an ignorans pœnas, à Jure in Simoniacos statutas, incurrat illas, & an nihil ipsi prosit ignorantia, nempe invincibilis? 68
Rz. 1. Censuras non incurrit; quia hæ requirunt contumaciam, ut fatentur plerique omnes. Rz. 2. Reliquas in foro interno forte etiam non incurrit juxta nostra principia, ad *tit. de eo, qui duxit, quam polluit. in lib. IV.* tradita, quamvis communis apud & cum P. Reiffenstuel *n. 321. seq.* dissentiat. Rz. 3. Ignorantia invincibilis, quamquam non excuset eum, qui postea rescit ante completam præscriptionem, à restitutione pretii Simoniacè & injustè accepti, vel fructuum ex beneficio Simoniacè obtento perceptorum, tamen prodesse potest ad pretium, vel fructus retinendos post completum tempus ad Præscriptionem requisitum, quod respectu rerum mobilium est triennium. Si nempe v. g. ignoravit, illicitum esse accipere pretium, vel scivit quidem, esse illicitum, ignoravit tamen injustè illud accipi, & tanquam rem alienam restitutioni esse obnoxium. Imò sine sua culpa obtinens beneficium per Simoniam alienam, & hujus ignarus, ipsum titulum & dominium beneficii post lapsum triennii, si interea non rescivit, præscribit. per *regulam Cancellariæ de triennali possessore.* à fortiori ipsorum fructuum.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas, vel Ecclesias, sub annuo censu concedant.

SUMMARIUM.

1. Explicatur Rubrica.
2. 3. Exercitium jurisdictionis & potestatis Ecclesiastica pro annua pensione elocare, est Simonia, certis pœnis subjecta.

4. Sic elocare ipsas Ecclesias est quidem Simonia, at sine pœnis.

1 SCiendum, præsentem *Titulum*, uti & sequentem, esse per modum Appendicis adjectos præcedenti; quia in iis elocari vices spiritualis ministerii, aut Ecclesias pro annua pensione pecuniaria; & pro licentia docendi, aliquid temporale exigi prohibetur tanquam Simoniacum, adeóque in his duobus *titulis* duas Simoniæ species specialiter reprobari, quarum una est vera, altera verò tantùm quoad speciem Simonia est. Per *vices*, vi hujus *Rubricæ*, non concedendas pro pecunia intelligitur jurisdictio vel potestas spiritualis, cura animarum, regimen Ecclesiasticum, aut alia administratio, Prælaturis, Dignitatibus, Officiis, vel Beneficiis Ecclesiasticis annexa: per *annuum censum* verò pensio temporalis, maximè pecuniaria, singulis annis propterea solvenda.

2 Dico 1. Prælati & officiales Ecclesiastici, aut alii beneficiati, qui vices suas, seu exercitium jurisdictionis vel potestatis aut administrationis Ecclesiasticæ, uti est dispensatio, consecratio Ecclesiæ &c. Vicariatum, Decanatum &c. pro annua pensione elocant, committunt Simoniam, ut clarum est, & habetur *c. 1. 2. 3. h. t.* atque sic puniendi sunt per sententiam: tam dans quàm accipiens excludatur ab Ecclesia, in cujus contumeliam res data & accepta est: dans pecuniam pro officio &c. illud sic obtentum amittat, conferens autem conferendi potestatem: dans pecuniam removeatur ab Clero, conferens autem, licèt Episcopus sit, districtione Canonica percellatur, h. e. vel deponatur, vel suspendatur ad tempus pro qualitate delicti. *c. 38. de Sim. c. 1. c. 2. h. t.*

3 Oppones 1. Solent defacto Episcopi Vicariis Generalibus, qui illorum vices obeunt in administranda jurisdictione spirituali, constituere annuum salarium in pecuniis consistens: ergo 2. In materia Simoniæ æquiparantur *dare* & *remittere* aliquid spirituale pro temporali & vicissim *c. 15. de Sim.* Sed licitum est Episcopo remittere exercitium jurisdictionis spiritualis pro annua pensione, scilicet eximendo Ecclesiam vel Monasterium aliàs suæ jurisdictioni subjectum *c. 6. de Relig. Dom.* &. ad 1. Constituunt salarium non per modum pretii pro administranda jurisdictione spirituali, sed per modum stipendii ad sustentationem Vicariorum, conformiter *c. 30. § qui verò. de præb.* Ad 2. Pensio illa non accipitur vel datur tanquam pretium vel æstimatio jurisdictionis remissæ, vel exemptionis concessæ, sed in recognitionem præteritæ subjectionis & in signum concessæ libertatis.

Dico 2. Ecclesias ipsas concedere sub annuo censu vel pensione, ut v. g. alii pro libitu ibi celebrare possint, prohibitum quidem est tanquam Simoniacum, at sine pœna in Jure statuta. 2. elocare autem fructus Ecclesiarum pro annua pensione ad breve tempus non est prohibitum. Pars 1. sumitur ex *Rubrica hujus Tituli.* Pars 2. ex textu *c. 4. seu fin. eod.* quia fructus sunt tantùm temporale quid. Nihilominus tamen & horum, qui pertinent ad Ecclesias, elocatio pro pensione ultra triennium prohibita est in *Extrav. Ambitiosæ int. comm. de Reb. Eccl. alien.* vi autem Juris Antiqui, & modernæ consuetudinis ultra novennium. Clericis autem beneficiatis ad dies vitæ ejusmodi elocationem fructuum suorum beneficialium permissam esse, alibi dixisse me memini, videlicet ad *Tit. 18. lib. 3. n. 8.*

TITULUS V.

De Magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid veniat per Magistros, Doctores, Licentiatos, Baccalaureos. Quæ sint insignia Doctoralia.
3. Doctores alii Academici, alii Bullati. A quibus creentur.
4. De qua re hic potissimùm quæratur.
5. Promovendi ad Doctoratum ad quid obligentur.
6. Quæ sint privilegia Doctorum.
7. An iis gaudeant etiam Bullati, & Licentiati?
8. Præbendæ Theologalis capax est etiam Canonista.
9. Illicitum, at non Simoniacum est, aliquid exigere pro licentia docendi.
10. 11. Pro actuali tamen doctione, Consilio &c. etiam ex Theologia, per se & regulariter nec illicitum est.

1 SCiendum 1. *Magistros*, sic dictos, ut ait glossa, quòd sint *majores* in statione, sicut Minister, quòd *minor*, denominatur, in genere salutari omnes cujuscunque disciplinæ Præceptores. *l. 57. ff. de V. S.* Hujusmodi Magistros, quibus incumbat onus docendi tum Clericos tum alios Scholares & Juvenes, non solùm in Theologia, Sacra Pagina, & Cura animarum, sed etiam in Jure Canonico, Philosophia, & Liberalibus Artibus, imò & Grammatica Facultate, per quam veniunt Studia Humaniora cum Dialectica, & quidem gratis, constitui voluêre Summi Pontifices & Concilia. Sic ordinavit Concilium Lateran. sub Alexandro III. anno 1102. & sub Innoc. III. anno 1216. uti refertur in *c. 1. & 4. h. t.* ut in qualibet Ecclesia Cathedrali (&, si facultates permitterent, etiam in Collegiata) Magister, seu Professor idoneus, à Prælato cum Capituli saltem consilio eligendus, constituatur, qui Clericos, ac alios pro posse erudiret Grammaticæ præceptis, in Metropolitana verò præter hunc etiam Theologus, seu Lector aut Professor Theologiæ, qui Sacerdotes & alios in Sacra Pagina doceret, ac in iis præsertim informaret, quæ ad Curam animarum spectant. Tridentinum verò *S. 5. c. 1. de ref.* insuper addidit, ut non solùm in qualibet Ecclesia Metropolitana,

tana, sed etiam in Cathedrali, imò & Collegiata existente in aliquo insigni oppido, ubi numerosus fuerit Clericus, dicto modo constituatur Theologus, qui simul sit Canonicus talis Ecclesiæ (& alias *Scholasticus* vel *Scholæ Magister* nuncupatur) vel saltem Grammaticus, si reddituum tenuitas Theologum non permitteret. Ne autem his Magistris, si gratis docere jubeantur, deessent alimenta, voluerunt dicta Concilia, ut ipsis provideatur de Præbenda integra proximè vacatura, vel alio modo. Præterea Trid. *s. 23. c. 18. de Ref.* pro instruendis Adolescentibus voluit in qualibet Metropolitana & Cathedrali Ecclesia erigi Seminarium &c. Verùm defacto, sicut in plerisque Ecclesiis mansit quidem adhuc titulus & Præbenda *Scholastici*, munus verò docendi exercetur ab aliis in Academiis & Gymnasiis, quæ magnô numerô tum à Sæcularibus, tum Ecclesiasticis Principibus sunt erecta, ita Episcopos non videtur ampliùs stringere dispositio Tridentini circa erectionem Seminariorum; eò quòd ipsius intentioni, quæ fuit, ne Ecclesiis desint idonei ad sacras functiones ritè obeundas Ministri, per dictas publicas scholas abundè satisfiat.

2 Sc. 2. *Magistros* pressiùs acceptos idem sonare, atque *Doctores*, qui nempe in aliqua scientia supremam lauream vel ultimum gradum consecuti sunt per insignium Doctoralium præsentationem, quæ sunt *liber, epómis, birretum, annulus, torques, amplexus, cathedra*, & apud Theologos etiam *fax* ardens; quæ suis non carent mysteriis. Olim soli supremo Theologiæ gradu insignes vocabantur Magistri, hodie verò Philosophi tantùm, quamvis & isti quandoque *Doctores* appellentur ac sint, sicut hoc nomine omnes alii, nempe tam ex Theologica, quàm Juridica & Medica Facultate laureati, honorantur & gloriantur. Doctoribus proximi sunt *Licentiati*, quibus nimirum prævio examine rigoroso velut dignis repertis *licentia* seu potestas petendi atque capessendi, si velint, supremam in aliqua scientia lauream & Doctoratûs insignia attributa est. Licentiatis inferiores sunt *Baccalaurei* (sic dicti vel à bacca lauri, seu frondibus lauri baccatis & frugiferis, eò quòd tales spem fructûs præbeant, & quòd aliquando promerituri sint lauream coronam, quæ olim in promotione Magistrorum vel Doctorum solebat imponi, ut testis est Mendo; vel à Gallica voce *Bachelier*, ut vult Besold. & Dufresne, quæ militem tyronem, aut inferioris ordinis nobilem denotat) quo nomine appellantur illi, qui primum sui profectûs in aliqua scientia testimonium publicum, publicè vel privatim datum, atque hoc ipso primum ac infimum gradum consecuti sunt. In Universitatibus Germaniæ apud Juristas & Medicos non solet conferri, saltem hodie, Baccalaureatus, licèt antehac fuerit in usu in nostra Facultate Juridica Ingolstadiensi.

Sc. 3. Magistros seu Doctores creari vel 3
in Universitate aliqua, & isti appellantur *Academici*, vel Rescripto Principis, aut à Comite Palatino, vel alio ad conferendam dignitatem Doctoralem specialiter privilegiato à summa Majestate per aliquod diploma vel bullam, atque isti dicuntur *Bullati*, & à multis contemnuntur, velut bullæ doctrinâ vacuæ, meróque vento inflatæ. Sed & inter hos aliqui laudem suam & æstimationem promerentur, qui nimirum non sine rigoroso, id est, serio examine de ipsorum moribus & doctrina priùs exantlato, dignique reperti, titulum & gradum Doctoralem adepti sunt: alii, qui sine ullo, vel saltem serio scientiæ, quæ fundamentum est omnis Gradûs litterarii, experimento promoti sunt, non immeritò parvi vel nihili æstimantur cum S. Pio V. qui in *Constit. Quamvis.* eosdem noluit gaudere ullâ prærogativâ in ordine ad Dignitates & Beneficia Ecclesiastica, qua gaudent alii Doctores, idque conformiter Tridentino *sess. 22. c. 2. de Ref.* Summis Principibus, Superiorem in territorio suo non recognoscentibus, competere facultatem creandi Doctores, &, quibus volunt, decernendi vel conferendi honores litterarios, sicut honores alios & privilegia, pro suo tamen foro, extra controversiam est. Sic Papa potest creare Doctores ex SS. Theologia & Jure Canonico, sive per se ipsum hos honores decernendo vel conferendo, uti Pius IV. Fridericum Staphilum, illustre decus Universitatis Ingolstadiensis (quod hæc & aliæ Universitates, eò quòd uxoratus fuerit, facere recusabant) Doctorem ex S. Theologia & Jure Canonico renuntiavit, impositô per Archiepiscopum Salisburgensem ejus capiti rubrô pileô: sive per Comites sacri Palatii, vel alios, quibus hoc privilegium indulget, uti indulsit Rectori Collegii Romani Soc. JESU, & Rectori Collegii Germanici Romæ, ac aliis. Imperator autem ex Jurisprudentia Civili & Arte Medica honores Doctorales conferre potest vel per se ipsum, uti compluribus solenni ritu contulit Lotharius II. Civilium studiorum restaurator, teste Mendo de *Jure Acad. lib. 1. n. 360.* vel per Comites Palatinos aut alios, quibus id indulget. Certum quoque est, nec illos, qui nomine Principum ex speciali privilegio, nec eos, qui in Universitatibus conferunt gradus Doctorales, vel alios inferiores, iisdem gradibus insignes esse debere & præditos, ut partim demonstrat praxis Universitatum, Bononiensis, Parisiensis, Salmanticensis, ubi Promotores ferè sunt tantùm SS. Theologiæ, aut SS. Canonum Doctores, & nostræ Ingolstadiensis, ubi nuper ex utroque Jure creavit Doctores P. Professor SS. Canonum, qui non utriusque, sed Sacri duntaxat Juris Doctor est, & omnes Licentiatos, etiam Facultatis Juridicæ ac Medicæ renuntiat Pro-Cancellarius, qui tantùm ex S. Theologia Gradum habet Doctoralem; partim evincit ratio; quia Candidatis, à sua Facultate communi

mum Doctorum ſuffragio jam antecedenter approbatis, à Promotore ſolùm traduntur inſignia Doctoralia nomine Facultatis, penes quam eſt poteſtas promovendi. Quisquis autem promoverit aut ad promotionem concurrerit, videat, ne indignos promoveat, & tales, quos ex malè feriatis Jurium ſtudioſis perſtrinxit Satyricus apud Mendo *de Jure Acad. q. 15.* in hunc modum:

In Inſtitutis comparo vos brutis;
In Digeſtis nihil poteſtis;
In Codice ſcitis modicè;
In Novellis comparamini aſellis.
Et tamen creamini Doctores:
O tempora! ô mores!

4 Sc. 4. Veniendo propiùs ad principale punctum præſentis *Rubricæ*, dubium moveri poſſe, an Simoniacum ſit, vel ſaltem illicitum, petere aliquid temporale aut pecuniam pro licentia docendi alicui conceſſa vel concedenda, præſertim pro licentia docendi Theologiam aut Jus Canonicum, quæ ſtudia ſunt ordinata ad augendum DEI cultum, Fidem Catholicam ſtabiliendam, moresque fidelium bene formandos, adeóque ad finem ſupernaturalem & ſalutem æternam: aut pro actuali traditione ſcientiarum, maximè Theologicæ, & Jurisprudentiæ ſacræ, vel inſtructione Aſcetica, Concionibus, Catecheſi &c. aut pro Conſilio, præſertim Theologico vel Canonico.

5 Dico 1. Promovendi ad Doctoratum debent priùs examinari de ſua ſcientia & eruditione, quæ ſaltem ſit ſufficiens, ſi non eminens, ſi de ea non aliunde ſatis conſtet. 2. edere Profeſſionem fidei apud Catholicos juxta formam Concilii Trident. & Conſtit. Pii IV. quæ, incipit *Injunctum*, & poſt Concil. Trid. ponitur: aliàs promotio eſt nulla. 3. jurare, quòd quoad ſumptus nolint excedere taxam trium millium Turonenſium argenteorum, ſeu, ut gloſſam in *Clem. 2. h. t.* explicat P. Schmalzgrueber, ducentorum & quinquaginta aureorum (niſi conſuetudo aliud habeat) ſicut obſervatur in noſtra Univerſitate apud Facultatem Theologicam, Juridicam, & Medicam, quando creantur Licentiati ex his Facultatibus. Pars 1. habetur *l. 7. C. de Profeſſ. & Medic. lib. 10.* & Bulla *In Eminenti.* Sixti IV. qua anno 1477. confirmavit noſtram Univerſitatem. Pars 2. ex *declaratt. Cardd.* apud Galemart ad Concil. Trid. *ſeſſ. 25. c. 2. de ref.* Pars 3. ex *Clem. ſit.* Ubi tamen Doctores excipiunt caſum, quo eſſet promovendus vir valde excellentis conditionis & ſtatûs ſublimioris. Requiruntur præterea in plerisque Academiis juſti natales; quamvis cum ſpuriis & illegitimis, ſi honeſtè vivant, facilè diſpenſetur.

6 Dico 2. Doctoribus Theologiæ, Juris, & Medicinæ varia competunt privilegia. Videlicet 1. fiunt verè Nobiles, ac Nobilium gaudent privilegiis, & inſignibus. per *l. 7. C. de poſtul. c. 28. de Prab. Receſſ. Imper. de anno 1577. tit. 11. & 12.* ita ut poſſint geſtare catenas aureas, annulos, & uti caſſide apertâ in inſignibus, Wappen mit offenem Helm: item eligi in Capitulares cum Nobilibus in Eccleſiis Cathedralibus, niſi per conſuetudinem vel ſtatutum excludantur. Utrùm verò Doctoralis Nobilitas Militari & ex ſanguine traduce congenitæ præferenda ſit, antiqua eſt controverſia, quam in multis locis pro poſteriore decidit uſus. 2. Conſtituuntur in dignitate, exempti à conditione plebeja. per *Clem. cit. & c. 3. h.t.* 3. Speciali præ cæteris honore & reverentiâ ſunt colendi. per *l. 2. & 3. C. de offic. diverſ. Jud.* Unde propter æs alienum in carcerem mitti non poſſunt, ut inferunt Doctores, & injuria ipſis illata cenſetur eſſe atrox. Neque teſtimonii vel juramenti causâ ad tribunal evocari debent, ſed examinari & jurare domi ſuæ coram Actuario. per *l. 15. ff. de Jurejur.* 4. Eximuntur à muneribus tam realibus quàm perſonalibus. *l. 6. & fin. C. de Profeſſ. & Med.* ſcilicet ab onere hoſpitandi milites, & collectarum tempore belli, niſi nempe neceſſitas publica, quæ legem non habet, aliud poſtulet: neque tenentur ad vectigalia & gabellas, quando libros vel res alias transferunt ad locum Studiorum vel habitationis ſuæ. *Auth. Habita C. ne filius pro patre.* 5. Habent pro ſe præſumptionem non tantùm inſignis ſcientiæ, ſed etiam virtutis & innocentiæ ſpecialem, ac propterea præ aliis promovendi ad officia & dignitates, per *c. 7. de Elect. c. 28. de Prab.* quare, ſi Doctor agat teſtem, prævalet alteri teſti non-Doctori. per *c. 23. de Teſtib.* ut obſervant multi. 7. Si delinquant, mitiùs puniendi ſunt, quàm plebeji, neque pœnâ, quæ habetur pro magna ignominioſa, uti ſunt triremes, fuſtigatio, ſuſpendium &c. afficiendi, ſed gladio, ſi delictum mereatur ultimum ſupplicium, truncandi capite. per *c. fin. de pœn. l. 9. §. 11. ff. eod. & l. 5. C. Ex quib. cauſ. infam. irrog.* Præterea, uti communiter notant ex *l. 1. ff. de cuſtod. reor.* ſi ſint ſuſpecti de capitali crimine, potiùs conſtringi arreſtô domi ſuæ vel in alio loco privato, quam in publico carcere detineri debent, neque, uti inferunt ex *l. 4. C. ad Jul. Majeſt.* torturæ ſubjici, niſi in criminibus exceptis. Hæc & ſimilia privilegia à fortiori competunt Doctoribus, qui ſimul in Univerſitate aliqua ſunt Profeſſores publici, imò adhuc alia, quæ ex Mendo & aliis refert P. Schmalzgrueber *h. t. à n. 10.* Quæ inter Profeſſori Theologiæ &c. *c. 4. h. t. in fine* & Trid. *ſ. 5. c. 1. de reform. in fine* conceſſum eſt, ut docendi causâ abſens integros fructus Præbendarum & Beneficiorum ſuorum percipere poſſit; imò & Diſtributiones quotidianas pro illis diebus, quibus actu docet in loco Eccleſiæ, ubi habet præbendam. *gl. v. integrè ad c. 32. de Prab.*

Quæres, an privilegiis Doctorum etiam gaudeant Doctores Bullati? 2. & Licentiati? R. ad 1. gaudent illi, qui prævio examine ab Academicis vel aliis Doctoribus priùs

priùs fuerunt approbati tanquam digni, non verò alii, sic non approbati: sumitur ex Trid. *s. 22. c. 2. de Ref.* & *Constit. Quamvis.* S. Pii V. ac ex *Ord. Cam. p. 1. tit. 3. & 18.* Ubi etiam nota, quoad præcedentiam, seclusâ consuetudine, statutô aut privilegiô contrariô, vel excellentiori munere unius, aut meritis, primum locum deberi Doctoribus Theologiæ, tum Juris, & ultimos ex his esse Medicos. Item Doctoribus competere præcedentiam præ Licentiatis: Doctoribus in eadem Facultate, qui priùs sunt promoti: qui simul in duplici Facultate habent gradum Doctoralem, v. g. ex Theologia & Jure Canonico, præ aliis, qui tantùm ex sola Theologia: item Doctoribus utriusque Juris præ aliis, qui sunt Juris Canonici tantùm. Ita communis. ℟. ad 2. cum P. Wiestner *h. n. 18.* & aliis multis: Licentiati regulariter gaudent in favorabilibus; quia ratio concessorum privilegiorum fuit excellentia doctrinæ (cujus publicum testimonium æquè habent Licentiati, post prævium examen declarati digni pro consequendis Doctoralibus insignibus, nec pro Doctoratu ulteriùs examinandi, saltem ex necessitate) non verò solennitas inaugurationis: in odiosis autem non veniunt nomine Doctorum, sicubi fortè isti ab aliquo officio v. g. excluderentur. Dixi, *regulariter*, nisi nempe consuetudo aliud habeat, vel Jus aut statutum expressè requirat Doctoratum, utì Jus Canonicum requirit ad aperiendas & exequendas litteras Apostolicas, & aliqui Canonicatus vi statuti Capitularis. Ordinariè autem ad beneficia, Canonicatus, officia, & dignitates, quæ conferuntur Doctoribus, etiam apti sunt Licentiati.

8 Dico 3. Præbendæ Theologalis, seu Canonicatûs (quem Concilia Lateranense & Tridentinum conferri volunt *Theologo*, seu Clerico docenti Theologiam, S. Scripturam, & ad curam animarum pertinentia) etiam Canonista capax est. Pignatelli *to. 1. consult. 147.* cum communi ex repetitis S. Congreg. Cardinalium responsis, & ex ratione, quia SS. Canones DEO inspirante editi & ex Scripturis sacris, quas interpretantur, desumpti non minùs, ac Theologia, serviunt ad mores tum Clericorum tum fidelium bene formandos, curámque animarum tam in interno quàm externo foro ritè instituendam, qui fuit finis dictorum Conciliorum, ut ostendunt Pign. *lo. cit.* & Melchior Canus *in locis Theol. lib. 8. c. 6. 7.* qui propterea cum Sylvestro Jus Canonicum partem esse Theologiæ dicunt, imò Theologiam Practicam appellant.

9 Dico 4. Illicitum 2. Non tamen Simoniacum est, pro licentia docendi, seu tradendi scientias, etiam sacras Theologiæ & Juris Canonici, exigere vel accipere pecuniam. Communissima quoad utramque partem. Prior sumitur ex *Rubrica* hujus *Tituli*, & subjuncto textu in *c. 1. 2. & 3.* Sapit enim sorditiem exigere pretium pro munere & licentia docendi, quam utilitas publica gratis dari, & idoneos viros ad docendum potiùs invitari muneribus postulat, quàm arceri exactionibus. Imò juxta Schambogen *h. t. n. 1.* & alios hujusmodi exactio continet etiam injustitiam, eò quòd tendat in gravamen iniquum tam docentium quàm discentium. Certè *c. 2. cit.* pretium pro licentia docendi promissum remitti, solutum verò restitui poscit. Posterior ex hoc argumento; quia docere scientias, etiam sacras (uti statim ostendemus) nihil est spirituale, consequenter nec licentia docendi easdem; neque pro illa pretium exigere prohibetur à Jure Canonico intuitu Religionis, & ut Simoniacum, sed tantùm intuitu decentiæ naturalis, vel forte etiam Justitiæ.

Oppones 1. Licentia docendi scientias sacras, Theologiam nempe & Jus Canonicum, supponit & próvenit à potestate jurisdictionis spiritualis: sed vendere actum jurisdictionis spiritualis, vel aliquid ab ea dependens, est Simoniacum: ergo. 2. In Universitatibus passim aliquid exigitur & datur pro licentia docendi, nempe pro Gradibus *Licentiæ* seu *Licentiatûs*, & *Doctoratûs*, per quos confertur licentia docendi, vel illi saltem ordinantur ad hanc; ergo nec illicitum est, saltem vi consuetudinis, quæ tamen *c. 3. cit.* reprobatur, aliquid exigere & accipere pro licentia docendi. ℟. ad 1. *N. Ma.* Si tamen Prælatus Ecclesiasticus, cui ex officio incumbit, Professuram seu licentiam docendi, beneficio Ecclesiastico annexam, conferret pro pecunia, utique committeret Simoniam, quia venderet actum jurisdictionis spiritualis, quam supponeret, & à qua proveniret licentiæ talis concessio. Ordinariè autem, cùm Prælati Ecclesiastici non qua tales conferant Professuras, ista collatio, utpote non actus jurisdictionis Ecclesiasticæ, non est quid spirituale, vel spirituali annexum; ideo pro hac concessione, aliquid temporale exigens ordinariè non committeret Simoniam. Ad 2. In ejusmodi promotionibus portulæ à Professoribus non accipiuntur ut pretium & *pro* licentia docendi concessa, sed ut stipendium sustentationis, vel ut merces pro labore, quem subeunt in examinandis Candidatis, & assistentia in solemnitate inaugurationis. Dein cùm per hujusmodi gradus non tantùm conferatur licentia docendi, sed etiam honor, privilegia, & emolumenta temporalia, pro his etiam pecunia *ut pretium* licitè accipitur. 10

Dico 5. Nec illicitum, nec Simoniacum, est aliquid accipere vel exigere pro actu docendi, seu pro actuali traditione scientiarum. 2. etiam Theologiæ & Juris Canonici, si per hanc traditionem & explicationem solùm intendatur instructio intellectûs, vel mera informatio. 3. aut pro Consilio seu Responso Medico, Juridico, vel etiam Theologico. Simoniacum tamen est, si pro instructione, traditione scientiæ sacræ, responso, in quantum hæc ordinantur ad cognitionem 11

tionem rerum spiritualium, DEIque amorem supernaturalem, rerum fluxarum contemptum, virtutis studium, animæ æternam salutem uti (apud Concionatores, Catechistas, & Confessarios fieri solet ordinariè, vel saltem fieri deberet) aliquid temporale ut pretium exigatur vel accipiatur. 5. Item illicitum, imò injustum foret, si Professor quicunque, condignô stipendiô conductus ad gratis docendum, aliquid ultrà exigeret à Discipulis pro labore, quem impendit in iis docendis, nisi Lectiones, aut Repetitiones vel privatas vel publicas, quas vocamus *Collegia*, quæ pactô & stipendiô conventô non comprehenduntur, instituat. Rursus communis quoad omnia membra cum S. Thoma *2. 2. q. 100. a. 3.* præcipuè *ad 3.* contra paucos, qui cum Sylv. & Palud. eos Simoniæ arguunt, qui pro traditione Theologiæ vel juris Canonici pretium accipiunt. Membrum 1. quod intelligendum est de scientiis naturalibus & politicis, claret per se. 2. probatur: quando per doctrinam & explicationem Theologiæ, etiam versantis circa DEum ut Auctorem supernaturalium, & veritates Fidei, aut Juris Canonici, solùm intenditur instructio intellectûs discipulorum, ut isti præcisè cognoscant veritates, & ex iis cognitis discant deducere conclusiones Theologicas vel Canonicas, talis explicatio & doctrinæ traditio est actus merè naturalis, modo naturali positus, ad finem naturalem ordinatus, & ab hæretico etiam ponibilis, nec ex ullo capite supernaturalis: ergo nihil obest, quo minùs pro labore & industria talem actum exercens, vel pro ipso actu, aliquid tanquam pretium exigere vel accipere possit; cùm Simoniacum hoc pacto non fit, nec aliunde prohibitum. 3. si Consilium præcisè ordinetur ad illuminandum intellectum petentium, sicut traditio Theologiæ & Juris Canonici ad eundem informandum, disponendum, exercendum, suadetur ex primùm allata ratione. 4. ex eo fit manifestum, quòd, si tales actus ordinentur ad unum ex dictis finibus, vel ad convertendos peccatores, reducendos hæreticos, consciențias à scrupulis liberandas, voluntatem ad DEI mandata observanda inclinandam &c. fiant supernaturales ratione finis, adeóque pro pretio non æstimabiles. Interim tamen etiam Concionatoribus, Catechistis, Confessariis, & Theologis, doctrinam suam ad hujusmodi finem ordinantibus, salarium & stipendium pro sustentatione licitum est accipere, non minùs ac Missam pro alio legentibus. 5. pugnaret cum Justitia, si fieret, adeóque illicitum foret, licèt non Simoniacum.

12 Oppones 1. Scientia est donum DEI. *arg. can. 65. §. siquis doctus. caus. 16. q. 1.* Et Jus Civile dicit: *est res sanctissima Civilis sapientia, quæ pretio non sit æstimanda. l. 1. §. 5. ff. de Extraord. cognit.* ergo vendi non potest sine Simonia, præsertim quia dictum est à Christo, *gratis accepistis, gratis date. c. 2. h. t.* 2. Scientiæ sunt aliquid spirituale: ergo citra Simoniam non vendibiles pro pretio. 3. *Prov. 23.* DEus ait: *noli vendere sapientiam, & doctrinam, & intelligentiam:* ergo illicitum est pro tradita doctrina aliquid accipere. 4. Theologia est scientia sacra, & complectitur veritates supernaturales à DEO revelatas, eâque in faciendis suis discursibus supponit; ergo pro tradenda Theologia aliquid accipere est recipere pro re sacra. 5. Qui docentur Theologiam, frequenter indè moventur ad Dei & rerum supernaturalium amorem &c. & quibus datur Consilium Theologicum, vel Responsum ex Jure Canonico, sæpe illo utuntur, vel indè diriguntur ad conscientiam tranquillandam: ergo docere Theologiam, dare Consilia Theologica & Canonica, est actus supernaturalis ex fine. *Ad 1.* Etiam sanitas est donum DEI, item scientiæ ac artes naturales: adeóque non omnis scientia est donum DEI supernaturale, pro quo pretium nequeat accipi. Jus Civile per illam phrasim tantùm vult commendare scientiam Juris Civilis, ne vilipendatur: si verè habuisset pro sancta seu spirituali, errâsset. Ille textus, *gratis accepistis, gratis date, Matth. 10.* habet rationem præcepti, ne detur spirituale vel spirituali annexum pro temporali; in aliis habet rationem consilii. Ad *2. dist. Ant.* est aliquid spirituale, prout spirituale opponitur corporeo, utpote aliquid sedem habens in mente & intellectu. *C. Ant.* prout opponitur temporali, seu est aliquid supernaturale, vel ad finem supernaturalem tendens. *N. Ant. & Cons.* Non omnis scientia etiam Theologica, ordinatur ad finem supernaturalem. *Ad 3.* Illum textum interpretatur S. Thomas & alii non de scientia labore humano *acquisita*, etiam Theologica, de qua nobis est sermo, sed de scientia à DEO *infusa* ad cognoscendas veritates Divinarum Scripturarum, & à S. Paulo vocatur *Interpretatio sermonum*, ac numeratur inter dona Spiritûs S. Et hanc scientiam pro pretio communicare velle utique Simoniacum foret. *Ad 4. N. Cons.* quia docens Theologiam versatur quidem circa materiam sacram, & supponit veritates supernaturales, merè tamen naturaliter versatur circa istas, sicut patet in Hæreticis, formantibus etiam discursus ex præsuppositis veritatibus revelatis à DEO. Quis dicat, Musicum committere Simoniam, si decantet cantiones sacras, licèt propterea pretium accipiat? Ita se habet Theologus versans circa materias sacras. *Ad 5.* Si indè moveantur ad amorem DEI, tranquillandam conscientiam &c. respectu docentis vel Consilium dantis, qui præcise intendunt erudire intellectum alienum veritatis moralis cognitione, est prorsus per accidens; imò licèt Auditor Theologiæ, vel petens Consilium Theologicum, id referat ad finem supernaturalem, hæc tamen ejus intentio non mutat naturam actûs, quem ponit docens vel Consilium dans.

TITULUS

TITULUS VI.

De Judæis, Sarracenis, & eorum Servis.

SUMMARIUM.

1. 2. *Quid intelligatur per Infideles, Judæos, Sarracenos &c.*
3. *An liceat vel expediat recipere & tolerare Judæos ac Sarracenos.*
4. 5. *Quæ communicatio cum Judæis permissa vel prohibita sit Christianis.*
6. *Quid vicissim prohibitum Judæis, inter Christianos toleratis.*
7. *An Judæi semel recepti possint expelli. Et sub quibus conditionibus recipiantur.*
8. *Quis Judex sit competens contra Judæos.*
9. *Quid specialiter prohibitum sit Christianis circa Sarracenos, Turcas &c.*
10. 11. *An cum his liceat inire fœdus.*
12. 13. *An Judæos, Sarracenos, & alios non baptizatos cogere ad fidem, vel expugnare bellô.*
14. 15. *An eorum infantes invitis baptizare parentibus.*

1 SCiendum 1. Sicut Simonia adversatur virtuti Religionis, ita eidem & adhuc magis contrariari *Infidelitatem*, quâ veri Cultûs Divini fundamentum evertitur & destruitur, nimirum vera in DEum & Christum Fides, & Religio Christiano-Catholica, prout *Religio* dicit complexum omnium Fidei supernaturalis articulorum. Quoniam autem ex Infidelibus aliqui omnino negant Christum, seu Messiam, tam venturum quàm præsentem, adeóq; utrumque Testamentum, tam Vetus, in quo erant Prophetiæ & Figuræ venturi Christi, quàm Novum, quod Christus jam præsens promulgavit, uti Gentiles & Ethnici, Turcæ, Tartari, Persæ, Arabes, Africani & Mauri, Ægyptii &c. qui communi nomine vocantur *Pagani*, vel etiam *Sarraceni*, si hoc nomen sumatur genericè. Alii autem credunt quidem in Messiam venturum & Christum promissum, adeóque amplectuntur Vetus Testamentum, Novum verò rejiciunt, inficiantes Messiam jam venisse, & exspectantes alium, quàm Christus sit, quem nos adoramus, & hi sunt *Judæi*, alio nomine *Hebræi*, ab Hebro sic dicti, cujus familia cultum veri DEi ante Christi adventum semper tenuit, cæteris tribubus, etiam tribu Juda, aliàs præstantiore, à qua *Judæi* appellantur, sæpius in Idololatriam prolapsis. Ac demum alii profitentur quidem Christum jam venisse, eúmq; adorant suô modô, de cujus adventu & futuro regimine Prophetias & Figuras præcessisse admittunt, adeóque & novum & vetus testamentum agnoscunt, baptizati baptismô, quem Christus suis Asseclis præscripsit, & ad salutem voluit omnino necessarium, interim tamen in uno vel pluribus articulis sufficienter revelatis errorem pertinaciter tenent, & isti dicuntur *Hæretici*. Ideo infidelitas dividitur in *Paganismum*, *Judaismum*, & *Haresim*. De *Paganis*, qui in hujus *tituli Rubrica* exprimuntur per *Sarracenos*, & *Judæis* in isto, de *Hæreticis* verò in sequenti Titulo agitur.

Sc. 2. *Sarracenos*, qui se à Sara, Abrahæ libera uxore profectos esse, & propterea sic appellitari persuasum hominibus volunt, licet descendant potiùs ab Agar, Abrahæ quidem uxore, sed serva. *c. 10. c. 18. h. t.* ac propterea *Agareni* potiùs dicendi, rectiùs meô judiciô denominari à Sarraca urbe Arabiæ, ut volunt Paul. Æmil. *l. 7. Franc. Histor.* & Vincent. Petra *to. 1. Comment. f. 559. n. 4.* Quamvis autem hoc loco Sarraceni complectantur etiam Paganos, stricte tamen differunt; quia *Pagani* vocantur, qui verum DEum negantes Idola colunt, Sarraceni verò unum & verum DEum adorant, non tamen baptizati sunt, nec Judæi, ac potissimùm adhærent Machometi. Per *servos* Judæorum & Sarracenorum, quæ tertia *Rubricæ* pars est, intelliguntur non tantùm vere & stricte dicti, seu mancipia, sed etiam minùs stricte accepti, uti sunt famuli, & alii iisdem servientes; cùm Jura specialiter prohibeant Christianos servire aut famulari Judæis & Sarracenis. Examinandum nunc est 1. an Principes Catholici in suis territoriis licitè tolerent, vel ad ea admittant Judæos vel Sarracenos. 2. Quæ communicatio Christianis, ubi tolerantur & simul habitant Judæi, cum his prohibita, 3. Quæ ipsis Judæis sint vetita inter Christianos existentibus, & quæ concessa. 4. an pro libitu expelli & ejici semel admissi possint. 5. an ad recipiendam fidem Catholicam compelli. 6. An infantes ipsorum invitis parentibus baptizari.

Dico 1. Licitum absolutè est Christianis 3
Principibus in sua territoria recipere Judæos, & tolerare, eorúmque ritus & Synagogas. 2. quamvis plerumque non expediat. 3. non tamen recipere Sarracenos seu Paganos. 4. quos neque tolerant licitè, si possint expellere. Pars 1. defenditur communiter contra Lymnæum & Wurmserum, ex *c. 9. & 13. h. t.* atque ex ratione, quia Judæi, eorúmque ritus, perpetuum dant testimonium non modò Scripturæ veteris Testamenti, ne Athei vel Pagani & Gentiles (uti olim fecerant) eam esse primùm à Christianis confictam objicere iisdem valeant, utpote clarum testimonium perhibentem de persona, gestis, & miraculis Christi, quibus demonstratur esse promissus in Lege veteri Messias, sed etiam Religionis Christianæ veritati, dum ritus Judæorum tanquam figuræ confirmant veritatem Evangelicam tanquam figuratum. Accedit praxis, non modò Christianorum Principum, & aliorum Regalia ab Imperatore Catholico obtinentium, sed etiam Summi Pontificis in Urbe Romana perpetuò Judæos tolerantis; DEIque providentia, propter dictas causas Judæos non omnino eliminari volentis, ut insinuat S. August. *contra Faustum c. 23.* ubique autem dispergi sine Rege & Templo, atque premi & contemni tanquam

tanquam profugos super terram, ut exemplum Divinæ vindictæ, detestandam Judæorum, qui olim fuit populus electus, ingratitudinem ulciscentis constanter ante oculos habeamus. Pars 2. suadetur indè, quòd Judæi quotidie soleant Christo maledicere, & horrendas in eum blasphemias effundere, Christianos autem insatiabili odio prosequantur, eisque plurimùm noceant per usuras iniquissimas, fraudésque innumeras &c. ac alia nefanda crimina, præsertim crudelitatem in infantes Christianorum, ubi possunt, exerceant. Unde meritò laudantur Sereniſſimi Bavariæ Principes, quòd Judæos non tolerent, & alii plures. Et, ubi actu non sunt, propter similes causas vix licitè recipiuntur de novo, eò quòd finis, propter quem tolerari posse diximus, sufficienter jam obtineatur per actu jam existentes in quibusdam locis, multiplicari autem eos noceat Reipublicæ & Religioni plurimùm. Videantur terribilia Judæorum scelera, & graviſſima, quæ Reipublicæ inferunt, damna apud Pignatelli *to. 5. consult. 14.* Majolum *to. 3. dier. canicul. Colloq. 1.* & Speidelium in *Speculo Juridico-Politico.* V. Juden, ubi etiam legere est, quomodo Judæi jurare soleant ac debeant, & quales maledictionis pœnas singulæ eorum tribus, ac exinde descendentes sustinere debeant. Pars 3. & 4. probatur ex eo, quòd rationes illæ, propter quas Judæos absolutè recipi & tolerari posse asseruimus, non pugnent apud Sarracenos & Paganos: ubi autem nulla est utilitas, sed gravium Religionis & Fidelium damnorum constans & certum periculum, utique Infideles nec licitè tolerantur (minùs recipiuntur) si vires ad eos expellendos suppetant; cùm ipsa infidelitas sit graviſſimùm crimen, & ex hoc alia innumera pullulent, ac pericula perversionis fidelium. Oppones: si Judæi blasphemare Christum & Sanctos ejus non cessent, Christianos autem usuris & fraudibus ita emungant, aliáque graviſſima scelera patrent, utique non poterunt licitè tolerari. R. Ex hoc plus non probatur, quàm ut legibus tanquam fræno coërceantur & pœnis, ne quid moliantur adversùs Christum, Religionemque Christianam, & adversùs fideles, eis nocendo &c. saltem exteriùs; odium enim internum & occultas blasphemias, quas etiam non tolerati vel non recepti non omitterent, impedire in potestate humana non est. Item probatur, eos, ubi nondum existunt, recipi non debere, nec facilè absque peccato posse.

4 Dico 2. Illa communicatio cum Judæis, ubi tolerantur, prohibita est Christianis, quæ fit in sacris; in politicis verò, ex qua propter familiaritatem cum iis oritur periculum perversionis & scandali, aut vilipensio Christianæ Religionis. Unde juxta communem Doctorum, fundatam tum in Jure Naturali, tum in *can. 67. d. 1. de Consecr. can. 12. 13. 14. cauſ. 28. q. 1. c. 3. 5. 7. 8. 18. h. t. l. 7. 11. C. eod.* Christianis prohibentur sequentia. 1. exercere ritus, vel vesci azymis Judæorum, aut synagogas ingredi tempore, quo superstitiosas ceremonias exercent; si fiat absque justa causa, peccatum veniale non excedit, seclusô perversionis aut approbationis periculô. 2. Judæos admittere ad participationem Sacramentorum, & ad Sacrificium Missæ Catholicorum. 3. permittere, ut Judæi exerceant suos ritus publicè, aut in Fidei Christianæ contemptum. 4. ut ædificent novas Synagogas, aut antiquas redigant in formam augustiorem; nec licet operam conferre in iis restaurandis; quamvis permitti possit, ut restaurent antiquas, & collapsas reparent juxta pristinam formam. 5. cum Judæis habitare in iisdem ædibus. 6. eodem cum ipsis balneo uti. 7. Medicos vel Chyrurgos Judæos, vel pharmaca ab ipsis præparata, aut applicata, adhibere. 8. adire eorum convivia, nuptias, ludos, choreas, vel illos invitare ad convivia &c. 9. lactare aut nutrire illorum liberos saltem intra domos Judæorum, nisi aliis incurrerent periculum vitæ. 10. officium publicum aut jurisdictionem in Christianos concedere, aut illis servire vel famulari, probabiliùs etiam, licèt id non fiat diu vel frequenter, aut extra illorum domus; quia non decet, ut filii Liberæ, qui sunt Christiani, subsint, serviant, vel famulentur filiis Ancillæ, qui sunt Judæi. *c. 13. h. t.* Neque vicissim licet Judæos habere famulos intra proprias ædes & cum familiaritate continua. Prohibitum tamen Christianis non est operas suas locare Judæis, sive intra sive extra domum, si Judæi sint absentes, v. g. ædificium aliquod in eorum utilitatem extruendo &c. vel locare res suas, v. g. equos, currus &c. tametsi Judæus quandoque veniat ad inspiciendum ædificium &c. imò etiam colere agros Judæorum, ubi agros & bona immobilia possidere permittuntur, instar colonorum, vel etiam servorum adscriptitiorum; quia hæc servitus respicit potiùs fundum, cui adscriptitii vel originarii servi aut coloni adstricti sunt, quàm personam. Barb. in *c. 2. h. t. n. 1.* cum Abb. Jo. Andr. Felino &c.

Advertendum tamen 1. ea, quæ Christianis prohibita Jure Positivo esse diximus ex causa familiaritatis nimiæ, iisdem licere, quando illa abest, ut si casu conveniant in convivio, vel balneo, ubi sunt Judæi, aut si magna utilitas vel necessitas, sive corporalis sive spiritualis, aliud suadeat vel postulet: quare culpandus non est, qui utitur Judæo Medico, si alius curando morbo idoneus non habetur, vel fame adactus cum Judæo manducat, vel cum illo familiariter agit sub spe illum convertendi &c. 2. illa ipsa, quæ ob dictam causam Jure Positivo vetita sunt, non esse vetita respectu Sarracenorum vel aliorum Infidelium, excepta cohabitatione, & servitiis in eorum domibus; quia in *c. 5. h. t.* extensio ad Sarracenos fit tantùm in his duobus casibus. 3. non semper esse peccatum grave cum Judæis communi-

municare in casibus prohibitis, sed tunc tantùm, quando familiaritas est valde frequens & quasi continua; quando dignitati Fidei notabiliter præjudicatur, v. g. per famulatum in quibusvis ministeriis, vel diuturnum; aut per tolerantiam in officiis publicis; quando indè oritur grave scandalum & periculum perversionis, vel contemptûs Religionis Catholicæ; quando communicatur in superstitiosis ritibus, vel participatione Sacramentorum.

6 Dico 3. Judæis econtra inter Christianos toleratis prohibitum est 1. Christianos habere pro mancipiis. 2. aliquid capere ex testamento, sive hæreditas sit, sive legatum; quod & de aliis infidelibus procedit. 3. ostia & fenestras in die Parasceves habere apertas, imò totâ hebdomadâ sanctâ prodire in publicum. 4. vestitum omnino similem cum Christianis adhiberi sine signo, quo discernantur, uti est flavus pileus, flavæ fimbriæ in pileo, vel alia parte vestis &c. vel absque certo instrumento, v. g. clavo aut annulo flavo, ex quo dignoscantur, incedere. *c. 4. 5. 15. h. t. l. 1. C. eod. &c.* Sed ultima duo in Germania passim dissimulantur. 5. emere res furtivas: quas, licèt furtivas esse ignoraverint, si emant, & deprehendantur, restituere debent. 6. pignora sub lege commissoria accipere, vel sine judiciali authoritate distrahere. 7. actiones & jura sua contra Christianos alii Christiano cedere, vel vendere. 8. violare leges, statuta, & consuetudines in loco, ubi sunt, receptas: quare nec usuras ultra 5. pro 100. accipere possunt. Policey-Ordnung zu Franckfurth de anno 1577. &c. *l. 8. C. h. t.* Knipschild *de Nobil. l. 3. c. 18. à. n. 36.* Vicissim gaudent jure Civitatis, & Civium privilegiis, ita ut nec in persona nec in bonis offendi possint. *l. 8. l. 12. 14. C. & c. 9. §. fin. h. t.* Sed non aliter gaudent, nisi juxta conventionem & pacta cum ipsis inita tunc, quando sunt in aliquo loco recepti. Unde

7 Dico 4. Judæi semel in territorium vel protectionem recepti non possunt pro libitu expelli, si pacificè & juxta leges sibi præscriptas vivant. 2. possunt tamen ejici, si conditiones, secundùm quas recepti sunt, non servent, vel aliàs per sua flagitia se reddant indignos factâ sibi gratiâ. Communis quoad utrumque membrum. *Primum* eruitur ex *l. 14. cit.* & exigit Jus Naturale, vi cujus fides aliquando justè data servari debet etiam Judæo vel Gentili. *arg. l. 5. C. de O. & A. Secundum* sumitur ex *l. 11. 14. 16. 18. C. h. t. & Nov.* 146. *in fin.* cùm *frangenti fidem fides frangatur eidem.* Consonat praxis; cùm sæpe ex multis provinciis fuerint expulsi Judæi, gravissimis etiam suppliciis affecti, præsertim circa annum 1348. quo tempore ob pestem universalem, cujus causa propter fontes venenò infectos in Judæos meritò collata fuit, per totam ferè Germaniam flammis, aliisque suppliciis absumpti sunt. Conferatur Sebast. Francken in der Kayser- und Welt-Historien *fol.* 197. *seqq.* Lehman in der Speyrischen Chronick. *lib. 5. c. 52.* & Marquard. de Susann. *tract. de Judæ. p. 1. c. 7.* Sed quæ sunt conditiones, sub quibus recipi solent Judæi, & quibus non observatis rectè iterum ejiciuntur, vel aliàs graviter puniuntur? R. plerumque sequentes. 1. ut à blasphemiis, contumeliis, & maledictis in DEum & Christum sibi temperent. 2. ne quid dicant vel faciant in contemptum Religionis aut Fidei Christianæ. 3. ne Christianos turbent in cultu Divino, aut ipsis molestiam creent, in hebdomada Sancta non prodeant in publicum, in die Parasceves aperta ostia vel fenestras non habeant &c. 4. ne usuras exerceant immoderatas, aut fraudibus Christianos emungant. 5. ne res Christianorum furentur ipsi, nec à furibus illas coëmant. 6. ne Christianorum quemquam ad suam superstitionem seducere præsumant. 7. sed modestè absque illius offensione & injuria vivant. Speidelius v. Juden §. *conditiones.*

Quæres, quis sit Judex adversùs Judæos 8
delinquentes? R. si delictum cedat in contemptum Catholicæ Religionis, Judex est Inquisitionis officium, vel, ubi Inquisitio non est, uti in Germania, Episcopus. *Constit.* Gregorii XIII. 70. quæ incipit *Antiqua.* In aliis delictis est Judex territorialis Laicus; cùm Judæi non subsint jurisdictioni Ecclesiasticæ. *c. 14. h. t.* ubi habetur etiam, si Judex Sæcularis omitteret punire Judæos delinquentes, per Censuras omnibus Christianis interdicendum esse à Judice Ecclesiastico, ne cum Judæis commercia tractent, donec satisfecerint Judæi. Ex Judæis autem ipsis nullus potest esse Judex; cùm Jura eos esse voluerint jurisdictionis incapaces.

Dico 5. Circa Sarracenos specialiter sub 9
gravissimis pœnis prohibitum est utroque Jure, ne Christiani ad illos arma deferant, aut alia, quæ servire possunt ad bellum contra Christianos gerendum, sive pacis sive belli tempore: item ne consiliò vel auxiliò eosdem juvent: belli autem tempore prohibentur etiam ad eos deferre alias quoque merces. *c. 6. 11. 12. 17. Extrav. 1. int. com. Extrav. un. Joan. XXII. h. t. l. fin. C. Quæ res exportari. l. 25. C. de Pœnis.* Dixi 1. *Circa Sarracenos,* nempe generaliter acceptos, puta Turcas, Paganos, Ethnicos, Judæos. Quibus Bulla Cœnæ *casu 7.* etiam adjunxit *Hæreticos,* ne ad hos quoque deferantur *bellica instrumenta, aliáque hujusmodi, quibus Catholicos impugnent,* excommunicans quoque *illos, qui de rebus Christianæ Reipublicæ concernentibus in Christianorum perniciem & damnum ipsos Turcas & Christianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstant &c.* O! si saluberrima hæc constitutio semper fuisset observata hucusque, quàm paucos videre esset in Germania hæreticos! Dixi 2. *sub gravissimis pœnis,* quæ de Jure Canonico sunt excommunicatio latæ senten-

tiæ, ac reservata Summo Pontifici post Bullam Cœnæ, privatio rerum, servitus, si tales à quopiam Christiano capiantur, infamia, inhabilitas ad testandum, & quoscunque actus legitimos. *Extrav. 1. cit. &c.* De Jure Civili autem confiscatio bonorum & capitale supplicium. Dixi 3. *Arma, aut alia*, scilicet materialia, quæ ad belli apparatum faciunt; adeóque prohibitum est non tantùm deferre arma ipsa, utì hastas, gladios, sagittas, sclopos, tormenta, & pilas, quæ ex tormentis bellicis ejiciuntur, sed etiam ferrum, chalybem, plumbum, stannum, vel alia metalla, lignamina, seu ligna, ex quibus fieri possunt triremes, navigia, aut aliæ machinæ bellicæ, item prohibitum est in galéris seu triremibus, & piraticis Sarracenorum navibus regimen & curam gubernationis exercere.

10 Quæres, an Christianis liceat inire fœdus cum Sarracenis, Paganis, aut aliis Infidelibus, ut horum auxiliis utantur in bello contra Christianos & fideles? R. Quamvis absolutè possit esse licitum, quando bellum gerunt justum, nec habere possunt auxilium a Christianis; practicè tamen nunquam, si à Christianis possint habere auxilia sufficientia; & ferè nunquam, licèt his destituti sint. Sanch. *l. 2. Mor. c. 31. n. 24.* Correa *in Idea Consil. d. 6. à n. 1415.* P. Schmalzgr. *h. t. n. 50.* mediantes inter DD. quorum aliqui cum Abb. & Farin. absolutè concedunt, alii cum Reinking & König negant. Pars prior probatur ab exemplis Abrahæ, Davidis, Machabæorum, qui fœdera inierunt cum Gentilibus, & ex ratione, quia si tale fœdus non noceat Religioni Christianæ, nihil est, cur non liceat adhibere Gentiles ad sui defensionem, vel jurium suorum consecutionem in bello, sicut licet uti ministeriò animalium ad hunc finem. Posterior pars indè colligitur, quòd, si auxilia à fidelibus haberi possint, non observetur moderamen inculpatæ tutelæ, si ex Gentilibus petantur contra prohibitionem S. Scripturæ *Exodi 23.* ibi: *non inibis cum eis fœdus. & 2. Cor. 6. v. 14. nolite jugum ducere cum Infidelibus &c. quæ conventio Christi ad Belial? aut? quæ pars Fideli cum Infideli?* Dein rarissimè in praxi abest ab hujusmodi fœdere periculum Religionis Catholicæ, perversionis Catholicorum, scandali, propagandæ Infidelitatis &c. ideo ferè nunquam in praxi licitum erit tale fœdus. Quæ incommoda & damna Religionis, vel pericula ubi adsunt, Jus Naturale prohibet cum Paganis & Infidelibus (idem dicunt de fœdere cum Hæreticis in *Tit. seqq.*) tam arctè conjungi, licèt aliàs bellum foret justum, & absque tali fœdere integram provinciam deberet aliquis amittere, ad quam jus habet; cùm præferendum sit bonum Religionis, & cultus DEI, bono privato, & temporali.

11 Oppones cum Politicis, quos Statistas vocant, 1. Unusquisque id facit jure, quod ad necessariam sui tutelam facit: ergo jure implorat Princeps Christianus auxilium Infidelium, saltem in bello defensivo. 2. Fideles possunt ferre suppetias Infidelibus in bello justo, utì fecit S. Mauritius, S. Georgius &c. à nemine propterea reprehensi; ergo etiam vicissim Infideles possunt vocari in auxilium à Fidelibus. R. ad 1. *Dist. Antec.* nisi aliunde prohibeatur Jure Naturali, Divino, aut Humano. *C. Antec.* si aliunde prohibeatur, uti prohibetur defacto tale fœdus juxta dicta. *N. Antec. & Cons.* Ad 2. *N. Cons. & parit.* Illud prius nec Jure Naturali aut Divino, nec Humano prohibitum, imò sub præcepto est D. Pauli, subditos parére volentis Principibus, etiam Ethnicis. *ad Titum c. 3.* Posterius autem non modò Jure Naturali & Divino, ubi aliquod verteretur Religionis periculum &c. sed etiam Humano *can. 94. cauf. 11. q. 3.* prohibitum est, ne nempe Christiani juvent Infideles contra Christianos.

Dico 6. Judæi, Sarraceni, aut alii Infideles per se & directè cogi non possunt ad suscipiendum baptismum & Religionem Christianam. 2. Licèt probabiliter contra ipsos bellum moveatur licite ob Idololatriam, & alia peccata contra Jus Divinum ac Naturale ab ipsis committi solita, saltem accedente consensu Summi Pontificis. Pars prior constat ex *can. 3. 5. d. 45. c. 9. h. t.* ubi expressè prohibetur. Accedit ratio; quia jus cogendi ad Fidem, quæ liberæ voluntatis est, non habet, qui jurisdictione caret: sed nec Ecclesia habet jurisdictionem in Infideles juxta illud Pauli *1. Cor. 5. quid mihi de iis, qui foris sunt, judicare?* Nec Principes Sæculares; quia horum jurisdictio non se extendit ad spiritualia, utpote tendens ad finem & felicitatem præcisè temporalem Reipublicæ. Per *accidens* tamen cogi possunt, si nempe resistant prædicationi Evangelii à Christo præceptæ per totum Mundum; tunc enim propter injuriam, quam Evangelio & Christi præcepto inferunt, rectè expugnantur etiam bellò, & coguntur à Principibus Christianis, ad id jurisdictionem obtinentibus ab Ecclesia, in cujus potestate est injuriam Evangelio & DEO illatam persequi & tollere. Item cogi possunt *indirectè*, nimirum negando ipsis habitationem inter Christianos, nisi se convertant, tractando eos rigide (non tamen injustè) scilicet secundùm rigorem à non conversis exigendo tributa &c. debita, conversis autem remittendo, item non permittendo superstitiosos illorum ritus, vel Mystas eorum excludendo, vel compellendo territorialiter subjectos ad audiendam prædicationem Fidei &c. Posterior pars, quam contra Molin. & communiorem tenent Mairon. Alph. à Castro, & admodum probabilem censet P. Engel *h. t. n. 9.* probatur sic: licitum est habenti jurisdictionem vindicare injuriam homini illatam: ergo à fortiori etiam licebit Principibus Christianis vindicare injurias DEO illatas vel inferendas per Idololatriam, vel alia peccata contra Jus Naturale aut Divinum, si habeant jurisdictionem: atqui habent à Pontifice con-

sentiente,

sentiente, cujus est tueri Jus Divinum & Naturale, & cui ratione delicti competit jurisdictio in omnes, qui violant dicta Jura. Et ideo Israëlitæ olim rectè ob solam Infidelitatem bellô expugnabant multos Infideles. Item hoc modo excusantur Hispani & Lusitani, qui sine alia causa invaserunt & occupârunt in America terras Infidelium.

13 Oppones 1. Christus ad Ecclesiam invitans omnes dixit, *compelle intrare*: ergo Infideles compellere ad Fidem est vel mandatum vel consilium Christi: ergo justè compelluntur. 2. In *can. 4. caus. 23. q. 6.* Gregorius Papa mandavit Episcopo, ut quemdam suum subditum infidelem, Rusticum nomine, impositione oneris ad DEum venire cogat. Et *l. fin. C. de Pagan.* baptizari renuentes jubentur puniri confiscatione bonorum & exilio: ergo compulsio Infidelium ad fidem est conformis utrique Juri Humano. 3. Imò & Naturali ac Divino; quia Infideles obligantur Naturali & Divina Lege ad recipiendum baptisma, & fidem sibi sufficienter propositam. 4. felix dicitur necessitas, quæ compellit ad meliora: ergo non fit injuria, sed gratia, Infidelibus, si per compulsionem promoventur ad felicitatem suam. 5. magnis laudibus extolluntur passim Reges Hispaniarum, Ferdinandus & Isabella, quòd ex Regnis suis ad 40000. Judæorum & Sarracenorum, nolentium se convertere ad Fidem Catholicam, ejecerint: ergo laudabile est cogere ad Fidem Infideles, & quidem directè intendendo conversionem per pœnas inflictas. 6. Hæretici directè possunt cogi ad Fidem: ergo & Infideles, seu nunquam baptizati. 7. Juxta nos possunt Fideles expugnari propter Idololatriam, & cogi ad observantiam Legis Naturalis ac Divinæ: sed hoc est cogi ad Fidem: ergo. *R.* ad 1. Per illos, quos compelli ad Ecclesiam Christus voluit, vel intelliguntur Hæretici, qui ad revertendum omnino rectè coguntur, vel per tò *compelle* intellexit non vim physicam, sed moralem, quæ consistit in efficacia prædicationis, vel in signis veræ Ecclesiæ potenter propositis, aut miraculis. Ad 2. Illa Jura solùm denotant coactionem indirectam, quâ onera, aliàs quidem justa, rigorosè imponuntur se convertere nolentibus, vel pœna confiscationis aut exilii aliis delictis promerita non remittitur, bene tamen conversis; quo modo conciliantur cum Juribus coactionem Infidelium clarè prohibentibus. Ad 3. licèt obligentur amplecti Fidem sibi sufficienter propositam, ad eandem tamen cogi nequeunt per se à jurisdictionem non habente, nisi nempe resisterent vel impedirent prædicationem veræ Fidei. Ad 4. Illud axioma, quo vocatur *felix necessitas quæ ad meliora compellit*, vel intelligendum est de necessitate, quæ à causa non libera provenit, vel quæ provenit à causa quidem libera, sed justè & absque injuria: at absque injuria non coguntur Infideles ad felicitatem veræ Religionis ab eo, qui jurisdictione destitutus est. Ad 5. *N. Cons. & suppositum Antecedentis*, quòd Ferdinandus & Isabella propter Infidelitatem præcisè expulerint Judæos & Sarracenos; nam expulerunt vel propter illorum periculosam Fidelibus conversationem, ac Reipublicæ pernicios machinationes, propter quas causas recepti semel Judæi rectè ubique expelluntur, vel propterea, quòd bellô superati evaserint servi, & sic ad arbitrium Victoris spoliari bonis, aut omnino expelli potuerint. Ad 6. *N. Cons.* quia in Hæreticos, utpote per Baptismum Ecclesiæ subjectos datur jurisdictio, saltem apud Prælatos Ecclesiæ, qui eam per Principes sæculares rectè exercent compellentes ad revertendum. In Infideles autem nulla datur jurisdictio directa & per se. Ad 7. *N. Min.* vel *dist.* hoc est cogi indirectè ad Fidem. *C. Min.* directè. *N. Min.* Vindicare bellô & supplicis injuriam, quæ DEO infertur per Idololatriam & transgressiones legum Divinarum & Naturalium licet Pontifici per Principes etiam Sæculares, utpote cui ratione delicti à DEO data est in Infideles jurisdictio; per hoc tamen isti non directè coguntur ad Fidem, licèt justè puniantur propterea, & se fortè convertant ad evitanda mala, quæ justè infliguntur.

Dico 7. Judæorum & Paganorum infan- 14
tes probabiliter baptizantur licitè, invitis eorum parentibus, saltem si spes sit, quòd religiosè sint educandi, vel si Princeps, cui parentes sunt subditi, id faceret. Scotus in *4. d. 4. q. 9.* & communiter alii contra comunem aliorum cum S. Thoma *2. 2. q. 10. a. 12.* Probatur: Christus *Matth. 28.* præcepit universaliter baptizari omnes, dicens, *docete omnes gentes, baptizantes eos* &c. sed contra hoc Christi præceptum non possunt juste esse inviti Infideles, ne infantes sui possint baptizari; & Christi præceptum prævaleret, imò extinguit jus & potestatem parentum, liberorum suorum baptismo se opponentium; cùm & ipsi tenerentur suscipere Baptismum, ac procurare apud liberos suos, consequenter tenentur etiam permittere, ut baptizentur liberi: ergo licitè baptizantur etiam invitis parentibus. Dixi 1. *infantes*, qui nimirum carent adhuc usu rationis; nam hac præditi, si vellent, baptizari licitè possent invitis parentibus, uti fatentur omnes; cùm liberi in negotio salutis non dependeant à parentibus. 2. *licitè*, omnes enim concedunt, eos validè baptizari. 3. *invitis parentibus*, nempe ambobus; si enim alteruter consentiret in Baptismum, sive mater sive pater, licitè baptizari facile iterum convenit inter Doctores: sicut &, si proles sit in articulo mortis constituta, vel à parentibus separata ita, ut ad hos non facilè sit deinceps perventura, item si parentes essent justô bellô capti. 4. *saltem si spes sit, quòd religiosè sint educandi*, & sine manifesto periculo, ne postea à parentibus seducti redeant ad infidelitatem; quod periculum tamen abesse potest, licèt apud parentes relinquantur, uti videbimus, vel saltem compensari bono majori,

majori, & quidem ordinariè. Ita ſpeculativè ſatis probabiliter; interim in praxi ſemper contrarium fuiſſe obſervatum, notat & inculcat S. Thomas *lo. cit.*

15 Oppones 1. Liberi Infidelium, qui ante uſum rationis baptizantur invitis parentibus; vel poſt Baptismum auferuntur parentibus? & iſtis fit injuria, utpote ex Jure Naturali habentibus poteſtatem patriam in dictos liberos: vel relinquuntur apud parentes? & fit injuria Baptismo, cùm tales liberi certiſſimo perverſionis & apoſtaſiæ periculo exponerentur: ergo licitè non baptizantur. 2. Parentes Infideles licitè reſiſtunt baptiſmo ſuorum liberorum, ſi bona fide ignorent veritatem Catholicæ Religionis: ſed ordinariè hanc ignorant: ergo reſiſtunt licitè: ergo, qui licitè ſe opponentibus adverſantur, & eorum liberos baptizant, agunt illicitè. R. ad 1. *N. Ant.* quoad utrumque membrum. Nec enim fit injuria parentibus, cùm illorum jus & patria poteſtas nequeat prævalere præcepto Divino, quod vult omnes baptizari, & juri, quod habent liberi ad ſalutem æternam, DEOque maius jus competat, quàm parentibus in liberos. An dices, fieri injuriam parentibus Chriſtianis, ſi iſti ex malitia vel ignorantia nollent baptizari ſuos liberos, ſi tamen iis invitis baptizarentur? Certè jus eorum & poteſtas patria ad hunc caſum ſe non extendit. An dices, injuriam fieri parentibus Infidelibus, ſi liberos ſuos alere nollent, vel vitæ periculo objicerent, ſiquis illos invitis parentibus eriperet alerétque, vel liberaret à vitæ periculo? Cur ergo dicas injuriam ipſis fieri, ſi invitis liberi eriperentur, ut vitam ſpiritualem conſecuti evaderent periculum ſalutis æternæ? Neque fit injuria Baptiſmi Sacramento, licèt relinquantur liberi parentibus infidelibus, ſicut non fit injuria Sacramento Pœnitentiæ, ſi abſolvatur conſtitutus in periculo relabendi, ſi hoc periculum moraliter vel phyſicè auferri nequeat. Deinde ſi liberi relinquantur parentibus Infidelibus usq; ad uſum rationis tantùm, intra quod tempus multos contingit emori, & poſtea eripiantur, utì juſtè poſſunt, utpote jam ſubjecti Eccleſiæ poteſtati, & obligati parére Eccleſiæ, non parentibus, in cauſa ſuæ ſalutis, tunc ceſſat periculum perverſionis, vel ſaltem hac via ceſſaturum ſperari poteſt. Adde, quòd etiam relicti apud parentes abſtinere poſſint ab omni peccato gravi contra Jus Naturale: quo caſu æternùm ſalvabuntur propter Baptismum ſuſceptum, quem ſi non ſuſcepiſſent, ſalutem ſupernaturalem conſequerentur nunquam. Ad 2. *N. Ma.* quamvis enim parentes, Baptiſmo filiorum reſiſtentes, non ſemper peccent formaliter (quod tamen quandoque falſum eſt, ſi Judæi vel alii Infideles parentes vivant inter Chriſtianos) re ipſa tamen nullum habent jus reſiſtendi, conſequenter ipſis revera non fit injuria; cùm Jus Naturale non poſſit ſibi contrariari, & cùm jus liberorum ad Baptiſmum tanquam ad medium ſalutis neceſſarium, atque præceptum Divinum, vi cujus omnes baptizari debent, & nemo à Baptismo impediri, prævaleant, imò jus parentum tanquam minus extinguant.

TITULUS VII.

De Hæreticis.

SUMMARIUM.

1. *Quid ſit Hæreſis: & quis Hæreticus.*
2. *Quis formalis & Materialis: Externus & Internus: Toleratus & non-Toleratus.*
3. 4. *Quinam Credentes, Receptatores, Defenſores, & Fautores Hæreticorum. Quæ cautela Juris adverſus Hæreſin, ubi de Inquiſitione Sacra.*
5. *Quæ ſint pœnæ ſpirituales & Canonicæ:*
6. *Quæ temporales in Hæreticos, eorúmque Credentes &c. ſtatutæ. Et an temporales in Germania habeant locum.*
7. 8. *Legere, retinere &c. libros Hæreticorum an, quibus, & ſub qua pœna prohibitum.*
9. *Quales libri prohibeantur in Indice librorum prohibitorum.*
10. *Et quæ circa hunc notanda.*
11. *Diſputare cum Hæreticis an prohibitum. Et quomodo diſputandum. remiſſivè.*
12. *An liceat communicare cum Hæreticis.*
13. *An eos recipere vel tolerare conceſſò domicilio.*
14. *An eisdem ſervanda fides data.*
15. *An cum ipſis inire fœdus, præſertim contra Catholicos. remiſſivè.*
16. 17. *Quis ſit Judex in cauſa Hæreſis.*
18. 19. *Quis ab eadem poſſit abſolvere.*
20. 21. 22. *An poteſtas abſolvendi, Epiſcopis in Tridentino conceſſa, ſit revocata per Bullam Cœnæ.*
23. *ſeqq. Modus diſputandi cum Hæreticis.*

SCiendum 1. *Hæreſim*, quæ conſtituit tertiam Infidelitatis ſpeciem, à Paganiſmo, & Judaiſmo diſtinctam, cum S. Thoma 2. 2. *q. 11. a. 1 & 2.* communiter definiri in hunc ſenſum: *eſt error voluntarius, quem homo baptizatus pertinaciter tenet contra aliquam veritatem fidei Catholicæ.* Igitur ad omnem hæreſim *formalem*, & non merè *materialem*, requiritur 1. error in intellectu circa aliquam fidei veritatem, ſeu judicium erroneum. 2. pertinacia in voluntate, conſiſtens in eo, quòd quis errorem circa veritatem fidei ſufficienter ſibi propoſitam, & quam ſcit ab Univerſali Eccleſia tueri tanquam revelatam vel in Scripturis, vel ab Eccleſia pro fidei articulo definitam, amplectitur, & ſic ſuum judicium præfert judicio univerſalis Eccleſiæ Chriſtianæ, quæ eſt columna veritatis, ac infallibilis in credendo, & proponendo fidei articulos. 3. prævius baptiſmus, ſaltem in ordine ad forum externum, qui enim baptizatus non eſt, ad Paganos vel Judæos pertinet. Unde infertur, Hæreticum eſſe qui baptizatus habet vel tuetur voluntarie ac pertinaciter errorem contra aliquam fidei Catho-

Catholicæ veritatem: & contrà Hæreticum non esse 1. qui *negativè* dubitat de aliquo Fidei articulo, seu judicium suum suspendit, ita ut illum nec affirmet nec neget: licèt Hæretici sint, qui dubitant *positivè*, seu qui deliberatè judicant, & pertinaciter affirmant aliquem Fidei articulum, ab Universali Ecclesia creditum, vel aliàs sibi sufficienter propositum ut revelatum à DEO, dubium esse, & incertum, juxta illud *c. 1. h. t. dubius in Fide Infidelis est*, & illud, quod in Symbolo S. Athanasii habetur, *nisi fideliter firmitérque crediderit, salvus esse non poterit.* 2. qui patitur dubia circa Fidem ex defectu sufficientis instructionis, modò paratus sit ea deponere, ac firmiter credere, postquam sufficienter intellexerit, quid de tali objecto sentiat Universalis Ecclesia. 3. qui ignorat, ignorantiâ etiam crassâ & vincibili, vel etiam affectatâ, ut docet communior & verior; quia talis non est pertinax, licèt habeat judicium erroneum intellectûs; dum etiam vincibiliter errans, vel ignorantiam affectans, ne cogatur assentiri Ecclesiæ, potest actu vel habitu ita esse constitutus, ut velit amplecti veritatem, si eam ab Ecclesia teneri cognoverit: talis tamen peccat ob negligentiam in inquirendo, si advertat ad obligationem magis inquirendi, & se culpabiliter ignorare, vel affectando ignorantiam. Excipe, nisi ex *contemptu Authoritatis Ecclesiæ* affectet ignorantiam, studiosè non indagando. Neque dicas, ignorantiam vincibilem, & affectatam, esse peccatum ejusdem speciei, cujus est ex malitia admissum, consequenter talem ignorantiam in rebus fidei esse contra Fidem, ac proinde hæresim; quia ignorantia solùm tunc est peccatum ejusdem speciei, quando non mutat ipsum objectum, sed tantùm modum operandi, magis vel minùs voluntarium, ut contingit in materia Justitiæ, Charitatis &c. non verò quando mutat ipsum objectum, uti contingit in materia Fidei; quia ignorantia, etiam vincibilis & affectata, non est error cum pertinacia conjunctus, & hinc non est peccatum contra Fidem, sed solùm contra obligationem sciendi res fidei, adeóque consistit solùm in negligentia vel prava voluntate, ex qua nascitur error. 4. qui fidem exteriùs negat, v. g. ex metu, in mente tamen retinet, quamvis graviter peccet negando contra obligationem profitendi Fidem. 5. Catechumenus, aut alius, qui necdum recepit baptismum, licèt scienter & cum pertinacia neget aliquem articulum Fidei: hæreticus tamen foret, qui ante actualem baptismi susceptionem Christum & Christianam Religionem agnovisset, & aliquam fidei veritatem negaret; & hinc inter Hæreticos numerantur Anabaptistæ, etiam nondum baptizati, licèt nondum ab Ecclesia punibiles, utpote nondum subjecti eidem. Porrò per *veritatem Fidei Catholicæ* intelligitur articulus vel veritas, quæ vel in SS. Litteris apertè continetur, aut indè evidenter deducitur, vel comprehenditur in Traditionibus Apostolicis aut Conciliis Generalibus, vel à Summo Pontifice, ut loquente ex Cathedra, etiam extra Concilium definita ac declarata est pro fidei articulo. Antequam verò aliquid definiatur ab Ecclesia, vel damnetur tanquam hæreticum, licitum est salva fide disputare in utramque partem, & sentire pro libitu.

Sc. 2. Hæreticos dividi 1. in Formales, & Materiales. *Formalis* est, qui scienter, voluntariè, & cum pertinacia adhæret errori alicui Catholicæ Fidei contrario. *Materialis*, qui quidem adhæret tali errori, at sine pertinacia, sed ex simplicitate, ignorantia, siniſtra informatione, paratus interea, vel actu vel habitu, errorem deponere cognita veritate. Hujusmodi Hæretici Materiales, qui tamen strictè Hæretici non sunt, eò quòd generali assensu, quo credunt omnia à DEO revelata & à vera Christi Ecclesia ad credendum proposita, corrigant suum errorem, ac re ipsa sint Catholici, dantur plurimi, & quidem, meô judiciô, non solùm illi, qui procul à Catholicis degunt, sed etiam, qui Catholicis immixti vivunt, nec illi tantùm, qui sunt de plebe, verùm etiam qui sunt de conditione honestiore vel doctiores, eò quòd ab unguiculis pessimè instituantur & pernicioſis mendaciis imbuantur contra Fidem Catholicorum, quos velut meros Idololatras, Scripturæ Sacræ contemptores, & superstitionum Papalium sectatores abominandos ipsis depingunt mendacissimi Præcones, parentes, & instructores, ita ut veram Religionem minimè apud Catholicos esse persuasissimum habeant; quam persuasionem difficillimè deponunt, cùm tenacissimè hæreant, quæ primis annis percepimus. Neque statim, ubi fortè aliquod dubium ex iis, quæ bona apud Catholicos vident, circa fidem suam ipsi oboritur, obligati sunt ad magis inquirendum, cùm habeant pro tentatione in fide, minùs ad mutandam Religionem, quia hanc mutare, antequam satis convincatur intellectus per probè cognita credibilitatis motiva, temerarium foret & illicitum. Interim tamen, si ipsis majus lumen & urgentes dubitandi rationes suboriantur, tenentur utique diligenter in veritatem inquirere, instanter imploratô DEI auxiliô, atque parati esse ad statim amplectendam veritatem satis cognitam, ac re ipsa amplecti, ubi eam satis cognoverint; aliàs enim incipiunt esse formales Hæretici. Dividuntur 2. in Externos & Internos. *Externi* sunt, qui errorem suum, quem mente tenent, exterius produnt verbô, factô, vel alio signo per se sensibili, etsi per accidens nemo tale signum advertat. *Interni*, qui errorem sola retinent mente, nec ullo signo exteriùs manifestant. Ad hoc, ut aliquis fiat Hæreticus externus, pœnisque obnoxius, juxta communem requiruntur tria, 1. ut signum seu actus exterior, quo manifestatur hæresis interna, procedat ex intentione eam profitendi exteriùs; quare non

sufficit, si hæresim, quam habet in corde, proferat ore præcisè narrando, vel disputationis causâ; quia sic non ut proprium, sed ut alienum errorem profert. 2. ut signum illud attentis circumstantiis determinatè significet hæresim in mente latentem: quare non sufficit, si hæresim in animo fovens die festo non audiat Sacrum, vel die Veneris comedat carnes &c. si ex circumstantiis colligi possit, quòd fortè ex oblivione, vel ob morbum, vel etiam ex petulantia non audiat Sacrum, vel carnes comedat. 3. ut ille actus exterior sit ex se mortaliter peccaminosus: quare Hæreticus externus non est, qui suam hæresim detegit alteri præcisè instructionis vel consilii causâ. Dividuntur 3. in *Toleratos*, & *Non-toleratos*: isti sunt, quibus non conceditur domicilium & jus civitatis inter Catholicos, minùs Religionis exercitium; & de Jure Canonico Catholicis prohibetur cum his veluti excommunicatis communicatio, sed hodie tantùm si sint nominatim ac speciatim excommunicati. Illi verò, quibus in uno cum Catholicis territorio conceditur domicilium, jus civitatis, & Religionis seu potiùs Sectæ suæ exercitium: quales in Romano Imperio sunt *Lutherani*, qui se *Evangelicos*, per abusum, aut *Confessioni Augustanæ addictos* nuncupant, item *Calvinistæ*, qui in Gallia *Hugonotæ*, in Belgio *Geisii*, a se ipsis autem *Reformati* appellantur: utrique, tam Lutherani quàm Calvinistæ, sæpius communi nomine vocantur *Protestantes*. Quamvis autem nulli prorsus Hæretici in terris Catholicorum de Jure Civili æquè atque Canonico tolerari deberent, multò minùs falsæ eorum Sectæ exercitium. *l. 2. l. 5. cum Auth. si verò. & Auth. Gazaros. C. h. t. c. 9. 13. X. eod.* quia Hæresis in multis est pejor, quàm Paganismus, & Judaismus, criménque pestilentissimum ac summè perniciosum tam Fidelium animabus propter periculum perversionis, quàm politicæ tranquillitati. Nihilominus tamen per Transactionem vel Pacificationem Passaviensem annò 1552. initam, & Augustæ anno 1555. confirmatam, quam vocant *Pacem Religiosam*, Lutherani primitus, postea verò per Pacificationem Osnabrugensem 1648. etiam Calvinistæ in Imperio Romano ex dira necessitate tolerari cœperunt. Præter dictos autem Lutheranos & Calvinistas non alii, etiam in Romano Imperio, tolerati sunt, adeóque Zwingliani, Hussitæ, Wicleffistæ, Anabaptistæ, Trinitarii &c. non sunt tolerati, & nulli omnino in Italia, Hispania, Bavaria, &c.

3 Sc. 3. Ad abominabile & diabolicum Hæreseos crimen à Fidelibus excludendum, vel, ubi irrepsit, rursus eliminandum, plurima & saluberrima ab utroque Jure, maximè à SS. Canonibus *caus. 23. q. 7. caus. 24. q. 1.* & in *h. t. X. & in 6. in Clem. & utrisque Extrav. eod.* atque in *Bulla Cœnæ* prodita & statuta esse, quæ si à Principibus & Episcopis diligenter fuissent observata, antequam radices egisset, nunquam ita invaluisset in Septentrione cum tanta animarum strage, & Romani Imperii scissione, qualem deploramus omnes veri Fideles. Nam 1. statutæ in Hæreticos sunt gravissimæ pœnæ, tam spirituales quàm temporales. 2. prohibita est impressio, retentio, & maximè lectio librorum Hæreticorum. 3. Laicis autem & imperitis disputatio de rebus fidei cum Hæreticis, ac prædicatio Verbi Divini. 4. item communicatio cum iisdem, & fœdera. 5. quin & toleratio eorundem. 6. instituta est ab Innoc. III. ad preces S. Dominici *Sacra Inquisitio in hæreticam pravitatem*, seu Tribunalia sacra in variis Regnis & provinciis, in quibus viri probitate, doctrinâ, prudentiâ conspicui auctoritate Pontificis instituto processu diligenter debent inquirere in errores circa fidem, eorum auctores, vel disseminatores, aut patronos, vel in suspectos de hæresi, ut ita tim in semine suffocentur omnia falsæ, periculosæ, & hæreticæ doctrinæ Zizania. Quapropter data est ipsis amplissima jurisdictio, præscripta methodus procedendi, ac puniendi, etiam morte, quos in erroribus reperierint pertinaces. De his omnibus, quanta possumus brevitate, modò dicemus, exceptâ Inquisitione, utpote quæ in Germania nostra exulat, & judicium circa hæresim Episcopis remansit. In fine tamen aliqua addemus de Judice in causa Hæresis, & de Absolutione ab Hæresi.

Quoniam verò multæ ex pœnis etiam 4
latæ sunt in Credentes, Receptatores, Defensores, & Fautores Hæreticorum, ideo præmittere juvat, quid per istos intelligatur. *Credentes* Hæreticorum dicuntur, qui quidem nihil in particulari & actu credunt contra Fidem, verbis tamen vel factis profitentur se credere, quod Hæretici credunt, vel Hæreticorum prædicationem vel doctrinam audiunt cum animo vel absoluto assentiendi erroribus, vel conditionato, si motiva placuerint. *Receptatores* vel *Receptores*, qui Hæreticos quà tales recipiunt, & fugientibus hospitium præbent, ne veniant in manus Judicum. *Defensores*, qui vel errores Hæreticorum, vel personas ob causam hæresis propugnant, laudant, in-vel extra judicium protegunt, vel impediunt, ne ad Judicium trahantur. *Fautores* denique, qui quovis modo Hæreticis quà talibus favent, sive positivè, v. g. laudando, consilium dando, visitando, domi occultando, viam fugæ faciendo &c. sive negativè & per omissionem, v. g. denuntiationis, capturæ, custodiæ, punitionis, siquis ad ista vi officii teneatur. Cæterum notandum, ut isti incurrant pœnas Hæreticorum, requiri 1. ut Hæreticis quà talibus & propter hæresim docendam, propagandam, defendendam sponte & sine gravi metu præstent auxilium vel favorem; non alia ex causa, v. g. consanguinitatis. 2. ut ex tali favore, receptione &c. malus effectus sit secutus, v. g. ut hæresis propterea sit magis diffusa, Hæreticus judicium effugerit &c.

Dico

5 Dico 1. Pœnæ ſpirituales & Canonicæ in Hæreticos, (eorúmque Credentes, Receptores, Defenſores, & Fautores) formales tamen & externos decretæ ſunt iſtæ: excommunicatio latæ ſententiæ, quæ in Bulla Cœnæ reſervatur Sedi Apoſtolicæ: inhabilitas ad Dignitates, Officia, & Beneficia Eccleſiaſtica obtinenda: privatio Dignitatum, Officiorum, & Beneficiorum priùs obtentorum: privatio jurisdictionis ſpiritualis, & exercitii Ordinum: privatio ſepulturæ, de qua ad *tit. de Sepulturis*, & divortium conjugii, de quo ad *tit. de Divortiis*. Habentur hæc *c. 7. 8. 9. 13. 15. h.t. & c. 2. eod. in 6. Bulla Cœnæ* &c. Sed de his pœnis ulterius adverte 1. Excommunicationem incurri absque omni ſententia, utì irregularitatem ac inhabilitatem ad beneficia &c. ſaltem ſi hæreſis publica ſit vel notoria; ſi enim occulta hæc ſit, multis probabile videtur, non incurri ullam irregularitatem: econtra privationem beneficiorum &c. requirere ſententiam declaratoriam criminis, apud Credentes &c. verò condemnatoriam. 2. Actus Ordinis ab Hæretico exercitos, quamvìs fiant illicitè per ſe, validos tamen eſſe, excepta abſolutione à peccatis, & iis actibus, qui ſupponunt jurisdictionem Eccleſiaſticam, item validos eſſe actus non jurisdictionales officiorum proprios, quamdiu in illis tolerantur; imò & abſolutio à peccatis valet, quamdiu Hæretici manent occulti. 3. Irregularitatem ſe extendere quoque ad liberos, poſt parentum in hæreſim lapſum natos, & quidem in linea paterna usque ad ſecundum gradum & generationem, in materna verò ad primam tantùm, ſeu ad ſolos filios. Verùm quia multi non improbabiliter exiſtimant, hanc irregularitatem ſolùm incurri propter infamiam, ideo etiam in Germania, ubi Hæretici non ſunt infames, ſaltem quoad filios & nepotes, locum non habere cenſent cum Laym. Pirhing, Engel, & P. Wieſtner *h. t. n. 60.* & videtur id obſervari in praxi ſaltem in quibusdam locis, ubi ordinari & ad beneficia Eccleſiaſtica promoveri ſolent liberi hæreticorum, imò & reverſi ab hæreſi, absque ulla diſpenſatione. Quidquid in oppoſitum dicat Leurenius ad *h. t. q. 165. n. 3.* cum Reiffenſtuel. Nec obſtat, quòd nonnunquam ſoleat exigi vel peti diſpenſatio Romana; quod potiùs ad melius eſſe, quàm ex neceſſitate fieri, exiſtimo. 4. Has pœnas ſpirituales & Canonicas, ſaltem excepta irregularitate, utì dictum, etiam in Germania adhuc habere locum; cùm Eccleſia nunquam conſenſerit in ullas transactiones cum Hæreticis, imò Innocentius X. per ſpecialem Bullam, quæ incipit *Zelò Domûs DEI.* verbotenus recitatam à P. Reiffenſtuel *h. t. n. 154.* Pacem Weſtphalicam, Oſnabrugis & Monaſterii initam, in qua Hæreticis liberum Religionis exercitium cum integris Epiſcopatibus, Præpoſituris, Monaſteriis &c. in ſummum præjudicium Religionis Catholicæ in perpetuum fuit permiſſum, reprobavit, annullavit, & neminem ad eam obſervandam teneri declaravit. Adeóque, licèt Hæretici in foro Politico Romani Imperii, non verò in Canonico tolerati ſunt.

6 Dico 2. Pœnæ temporales & Civiles in Hæreticos formales & externos (eorúmque Credentes, Receptores, Defenſores, Fautores) decretæ ſunt ſequentes. 1. infamia, quæ ipſo jure incurritur, quamvis requirat ſententiam declaratoriam criminis. 2. inteſtabilitas tam activa, vi cujus teſtamentum condere nequeunt, quàm paſſiva, vi cujus nec ex teſtamento, legato &c. aliunde aliquid capere, nec ab inteſtato ſuccedere valent: quæ igitur ex teſtamento ad ipſos deferrentur, ad fiſcum, quæ ab inteſtato, ad proximos agnatos devolvuntur. 3. inhabilitas ad omnes actus Civiles, & officia publica: ſic Judices, Advocati, Notarii, teſtes, actores &c. eſſe non poſſunt. 4. confiſcatio omnium bonorum. 5. amiſſio patriæ poteſtatis in liberos. 6. amiſſio omnis privilegii & beneficii ſpecialis, quod quibusdam in Jure conceditur, ut eſt beneficium S. C. Macedoniani, S. C. Vellejani, privilegium dotis &c. 7. liberatio ſubditorum & vaſallorum ab omni debito obedientiæ fidelitatis, & obſequii, etiam jurati, ſi dominus incidat in hæreſim. 8. ultimum ſupplicium, & vi conſuetudinis quidem vivicomburium (ſi pertinaciter in hæreſi perſiſtant) quam ignis pœnam etiam ſtatuit Carolus V. in reſipiſcentes verò gladium, teſte Deciano in *Prax. Crim. l. 5. c. 42. n. 4.* Quod intelligendum eſt de Hæreticis non-toleratis. Habentur hæ pœnæ *c. 9. 13. 15. fin. h. t. c. 1. 2. 14. eod. in 6. l. 4. 5. 8. & Auth. Gazaros C. eod.* Nec mirum eſſe debet, quòd Jus utrumque contra Hæreticos ſtatuerit etiam ultimum ſupplicium, quia Hæreſis eſt crimen facile graviſſimum, & in ratione læſionis Divinæ eo habetur loco, quo in Politicis tribunalibus crimen læſæ Majeſtatis, Fidémque, principium & fundamentum non modò Chriſtianæ Reipublicæ, ſed etiam ſalutis æternæ, tollit, innumeras animas perdit; cùm S. Auguſt. relatus in *c. 3. h. t.* indubitatò pronuntiet: *firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, omnem hæreticum, vel ſchiſmaticum, cum diabolo & Angelis ejus, æterni ignis incendio mancipandum, niſi ante finem vitæ, Catholicæ fuerit incorporatus & redintegratus Eccleſiæ.* Adde, quòd graviſſima regnorum ac provinciarum, imò inter ipſos ejusdem provinciæ incolas diſſidia invehat, &, ſi ullum aliud, tranquillitatem etiam politicam maximè turbet. Unde non audiendi ſunt Huſſius, Harpprecht, & Lutherani Scriptores, qui cum Donatiſtis, antiquis Hæreticis, capitali ſupplicio in Hæreticos animadverti poſſe negant. Id concedo, quod Eccleſia non debeat, utì nec ſolet, excepta Inquiſitione ſacra, pœnam mortis irrogare per ſe, ut perfectiùs imitetur manſuetudinem Chriſti, ſed eos, ſi incorrigibiles ſint, tradere Poteſtati Sæculari, præmiſſa tamen, ſi Clerici fuerint, degradatione,

tione, ut illa secundùm Jura plectat pertinaces. *c. 9. h. t. c. 18. eod. in 6.* Si tamen pœnitentiam agant & resipiscant, pœna exilii vel triremium &c. infligitur, non verò fit traditio potestati sæculari ad pœnam mortis, nisi sint relapsi. Advertendum quoque est, has pœnas temporales Lutheranis & Calvinistis (vi consuetudinis potiùs, quàm Pacis Osnabrugensis, utpote irritatæ ab Innoc. X. uti vidimus) in Germania infligi nec à Judice Ecclesiastico posse, saltem Laicis, multò minùs eas incurri ipso Jure, cùm per pacta publica impunè tolerentur. Si tamen Clerici vel Religiosi inciderent in Hæresim, etiam in Germania contra ipsos pœnis temporalibus modò relatis à Judice Ecclesiastico animadverti posset, exceptô ultimô suppliciô, cui vi consuetudinis subrogantur carceres perpetui: partim quia Principes Laici, dictis Hæreticis securitatem pacisccntes, nihil statuere potuerunt de personis Ecclesiasticis, utpote sibi non subjectis; partim quia hujusmodi pacta in favorem Hæreticorum inita nunquam approbavit Ecclesia, imò circa personas Ecclesiasticas in Hæresim lapsas contrarium hucusque usu tenuit.

7 Dico 3. Legere scienter sine licentia & in materia notabili ex quocunque fine libros Hæreticorum de Religione tractantes, vel hæresim continentes, imò & eos retinere, imprimere, defendere, per se graviter est prohibitum ab Ecclesia, & quidem hodie sub excommunicatione latæ sententiæ reservata Pontifici. Catholici plerique omnes propter *c. 4. h. t. Sess. 8. Conc. Constant. Sess. 10. Conc. Lateran. sub Alex. X.* Constitutiones variorum Pontificum, maximè Pii IV. qui primus edidit Indicem librorum prohibitorum, Sixti V. & Clem. VIII. qui eundem instaurârunt & auxerunt, ac denique & potissimùm *Bullæ Cœnæ*, ubi casu 1. statuitur excommunicatio reservata. Consonant *l. 3. §. 1. C. de Summ. Trinit. l. 8. & 16. in fin. C. h. t.* Quæ prohibitio facta est partim in detestationem Auctorum Hæreticorum, partim propter periculum perversionis & veneni, quod ex his libris facilè ab incautis attrahitur. Dixi 1. *legere*, nimirum formaliter, ut sensus verborum intelligatur, vel mente percurrere, vel jubere sibi prælegi. 2. *scienter*, h. e. cum scientia, librum esse Auctoris Hæretici, & de Religione tractare, vel hæresim continere. 3. *sine licentia*, quam solus Papa dare potest, & Episcopi Germaniæ, quibus Papa id indulgere solet, si petant, sed ad quadriennium vel quinquennium duntaxat, quo elapso iterum de novo peti debet. Qui Episcopi hanc licentiam obtinent, ordinariè etiam ita obtinent, ut etiam aliis, Sacerdotibus tamen, communicare possint ad simile tempus, non ultra. 4. *in materia notabili*; nam à mortali, consequenter & à Censura, excusat parvitas materiæ juxta communem: parva autem materia juxta Sanch. adhuc est integra pagina libri etiam in folio, cæteri tamen communiter id nimium esse putant. 5. *ex quocunque fine*, etiam animô refutandi errores, licet legens sit vir doctus, ut habet communior contra Felin. Decian. Malc. Caramuel; quia Bulla Cœnæ addit, *ex quavis causa, quovis ingenio, vel colore.* Dein licet in particulari casu cesset perversionis periculum, manet tamen universaliter: cessante autem fine legis in casu particulari tantùm non cessat lex. Adde, quòd periculum perversionis non fuerit totalis causa prohibitionis, sed etiam detestatio Auctoris Hæretici. 6. *libros*, sive sint impressi sive manuscripti, compacti vel non compacti: utrùm verò nomine *libri* hìc veniat concio, epistola, oratio, vel aliud scriptum aut libellus paucorum foliorum, nec referens formam tractatûs, controversum est; affirmant Suar. Ugolin. Reiffenstuel & alii, negant Sanch. Laym. Bonacina, Palao &c. cùm scriptum paucorum, v. g. 6. vel 8. foliorum in communi loquendi usu non habeatur pro libro. Nec refert, quod unam vel alteram integram paginam, vel etiam dedicationem libri, legere sit graviter prohibitum; quia hæ sunt pars libri, hujusmodi autem tractatus brevis nec est pars libri, saltem actualis, nec liber. 7. *Hæreticorum*, seu qui habet Auctorem Hæreticum: unde, qui legit librum de Religione tractantem, vel hæresi corruptum, ab alio Infideli, puta Pagano, Judæo, vel etiam Catholico, hæreses inspergente, conscriptum, non incurrit excommunicationem. 8. *de Religione tractantes*, scilicet ex professo, v. g. de Ecclesia, Scriptura S. de Mysteriis Fidei, Theologia, de Sanctis, de bonis operibus, peccatis, conscientia &c. licèt forte nullam hæresim contineat liber; quia Bulla adhibet particulam disjunctivam *vel*, consequenter alterutrum sufficiet, tractare de Religione, vel hæresim continere. 9. *vel hæresim continentes*, unam vel plures, licèt per accidens inspersas, nec de Religione ex instituto tractet liber, modò Auctor sit Hæreticus; hoc enim copulativè requiritur. Unde videntur etiam à Bulla Cœnæ prohibiti libri Historici profani, Politici, Philosophici, Medici, Juridici, ab Hæreticis editi, & hinc inde hæreses complexi, ut putat Suar. Sanch. Palao, Bonac. Farinac. At Reiffenstuel *h. t. n.* 51. *seqq.* putat, & satis probare sibi videtur, quòd tales libri solùm incidenter & per accidens, non verò ex professo, hæresim unam vel plures continentes, vel simpliciter referentes, vel obiter defendentes, non comprehendantur in Bulla Cœnæ; cùm cesset ratio & finis illius, nempe periculum perversionis. Layman verò *lib. 2. tr. 1. c. 15. n. 4.* & alii fatentur multi, qui post ipsum scripserunt, excusant eos, qui tales Hæreticorum libros legunt, ex eo, quòd Bulla Cœnæ quoad hos libros in rigore non sit recepta in Germania. Excipitur tamen Sleidanus, Aventinus, & Münsterus Historici, quia suas historias deditâ operâ scripserunt, ut mendaciis hæresim exornent, Religionem Catholicam denigrent, & contemptibilem reddant. Quidquid sit, ego nullum

nullum Auctorem Hæreticum suadeo, præsertim Historicos ex Juventutis manibus, si possem, eriperem ferè omnes, quia peste plenos. 10. *imò & retinere*, seu suo seu alieno nomine, nisi modicitas temporis, v. g. unius tantùm vel alterius diei, excuset à mortali; unde & bibliopolæ, qui retinent ad vendendos, & bibliopegæ, qui ad compingendos, excommunicationem incurrunt. 11. *imprimere*, vel ad impressionem & typum concurrere, utì facit corrector typi, submini strans expensas &c. 12. *defendere*, h. e. verbô vel scriptô tueri, commendare, vel occultare, ne Inquisitoribus in hæreticam pravitatem, aut flammis tradi possint. 13. *per se*, nisi nimirum excuset ignorantia, obtenta licentia, parvitas materiæ, vel fortè etiam consuetudo contraria.

8 Oppones 1. Licitum est legere libros Paganorum, Gentilium, Judæorum, etiam de Religione tractantes: ergo & Hæreticorum. 2. Origenes & Tertullianus lapsi sunt in hæreses, & tamen eorum libri sine scrupulo leguntur. 3. In libris Hæreticorum continentur multa bona & utilia: ergo non debent prohiberi propter inspersas hæreses: cùm utile propter inutile non debeat tolli. *arg. c. 37. de R. J. in 6.* 4. Si non liceat retinere Hæreticorum libros, quid ergo iis faciendum? 5. Si legere & retinere non licet dictos libros, plurimi viri, cæteroquin probi & docti, in locis, ubi Hæretici vivunt immixti Catholicis, & omnia scatent libris Hæreticorum, utì Augustæ Vindelicorum, erunt excommunicati; quia passim sine scrupulo, saltem magno, legunt quasi per modum Novellarum libros Controversisticos ab Hæreticis editos, v. g. Opuscula Lomeri, Montgalli, Matthæi Prætorii &c. & vix ibi domus vel bibliotheca reperitur, in qua non sint libri Hæreticorum: imò non facilè erit domicilium Religiosorum, in quo non asservantur & retinentur hujusmodi libri: an dicemus, hos patresfamilias, & Religiosorum Antistites, esse omnes excommunicatos? Certè durum hoc est & incredibile. 6. Bulla Cœnæ in Germania non est recepta: ergo.

R. ad 1. De libris Paganorum &c. non exstat tam rigida prohibitio, neque urget ratio, nempe periculum perversionis, propter quam prohibentur libri Hæreticorum: si tamen quis haberet periculum perversionis ex Paganorum &c. libris, utique Jure Naturali legere illos ipsi esset prohibitum. Ad 2. Hæreses Originis & Tertulliani jam sunt extinctæ, ideo nemini creare periculum creduntur. Ad 3. Si cibus venenô infectus tibi apponeretur, licèt in se optimus, non sine temeritate illum comederes. Dein illa utilia, quæ in libris Hæreticorum reperiri jactantur, æquè, & fortè meliùs invenies in libris Catholicorum, ac insuper abest periculum hauriendi venenum vel mortem animæ. Ad 4. comburi debent, vel tradi illis, qui legendi & retinendi specialem obtinent potestatem: in locis, ubi existit Officium Sacræ Inquisitionis, necessariò tradendi sunt Inquisitoribus. Ad 5. Hæc objectio tam valida mihi videtur, ut planè existimem cum Laymanno, Bullam Cœnæ non ubique in nostra Germania, saltem quoad retentionem librorum Hæreticorum de Religione tractantium, non in omni rigore esse receptam, neque in omni rigore urgeri observantiam illius à Summo Pontifice: sciunt enim Episcopi, utì & Nuntii Apostolici, in Germania degentes, passim retineri, saltem in locis, ubi Hæretici sunt immixti Catholicis & innumeri exstant libri hæretici, hos etiam à Catholicis probis, Laicis & Ecclesiasticis passim retineri, & perscripserint Romam haud dubiè juxta officii sui rationem, indè tamen non venit specialis prohibitio, consequenter Papa tacitè consentit in non-observantiam Bullæ secundùm omnem rigorem. Dein omnis lex Ecclesiastica per consuetudinem rationabilem abrogari, vel mitigari, etiam sine consensu personali Papæ (sufficit enim consensus legalis) potest: sed consuetudo permittens retentionem librorum Hæreticorum in quibusdam locis, vel lectionem librorum Hæreticorum non de Religione tractantium, aliquas tamen hæreses continentium, & sic mitigans Bullam Cœnæ, vel exinde fieri potest rationabilis, quòd Bullæ in omni rigore observatio in quibusdam Germaniæ locis prudenter sperari non possit, & urgeretur sine fructu, atque cum magno animarum detrimento; cùm plurimi, aliàs probi & Sedi Apostolicæ addictissimi, pro excommunicatis habendi forent. Quando autem lex desinit esse rationabilis, consuetudo opposita fit rationabilis. Vid. *tit. de Consuetud. & tit. de For. Comp. n. 25.* Atque hanc doctrinam, quòd consuetudo possit derogare Bullæ Cœnæ, vel hæc non esse recepta quoad retentionem, imò & lectionem librorum prohibitorum, jam pridem suppositit doctissimus Becanus *to. 2. tr. 1. de Fide c. 15. q. 80. n. 5.* dicens, *ubi Bulla Cœnæ, vel Index librorum prohibitorum receptus non est, Catholicos in Germania non excommunicari, qui legunt libros Hæreticos. Quæ sententia* (ait Engel *in Manuali p. 3. c. 2. de Pœnit. in Catal. Exom.*) *præsertim in illis locis deservire potest, ubi omnia scatent hæreticis & hæreticorum libris. Ubi enim facilis est peccandi materia, non expedit tam gravem censuram dictare, ne conscientiis laqueus injiciatur; cùm lex debeat esse non valde difficilis sed utilis secundùm patriæ consuetudinem, loco & tempori conveniens. can. 2. d. 4.* Contra hanc doctrinam velut prorsùs insolidam ardenter insurgit & fusè disputat P. Reiffenstuel *à n. 79. usque ad n. 93.* Verùm argumenta ipsius, nî fallor, facilè solvuntur ex iis, quæ tradidi ad dictos *tit. de Consuet. & For. Comp.* item ad *tit. de Constitut. §. 2.* quò Lectorem brevitatis causâ remittere cogor. Ad 6. *N. Ant.* aliud est, Bullam Cœnæ quoad unum vel alterum punctum atque in omni rigore non esse receptam, connivente Pontifice justis de causis, aliud simpliciter non esse receptam: illud mihi videtur probabile, istud nullatenus, nec sine stomacho & justa indignatione à quibusdam sciolis, & Ecclesiasticæ libertatis inimicis nudè & crudè asseri audivi, Bullam

Cœnæ in noſtris partibus abſolutè non eſſe receptam; quod falſum eſſe & poſitivè & negativè, à priori & poſteriori demonſtrari poteſt.

9 Quæres, quales libri prohibeantur *in Indice librorum prohibitorum*, quem Pius IV. juxta decretum Tridentini primitus confici curavit, & plures poſtea Pontifices, nominatim Sixtus V. & Clem. VIII. continuârunt & auxerunt? R. Illi ſunt in triplici claſſe. Ad *primam claſſem* pertinent libri, propter ipſos Auctores Hæreticos prohibiti ſeu damnati, utì ſunt ab Hæreticis, vel de hæreſi publicè ſuſpectis editi, ſimúlque continent ex profeſſo Hæreſim, vel tractant ex profeſſo de Religione, licèt hæreſim non contineant: maximè autem libri Hæreſiarcharum, ſeu qui Hæreſim invenerunt, vel ſuſcitârunt, vel duces ſunt & capita Hæreticorum, uti Lutherus, Calvinus, Zwinglius &c. licèt ſint libri nec de Religione tractantes, nec Hæreſim continentes; quia *damnato Authore*, ſcilicet nominatim ut Hæretico, *damnantur ejus ſcripturæ, & libri, & opera. Sumar. c. 4. h. t.* Qui hos libros primæ claſſis legunt, excommunicantur excommunicatione reſervata. Ad *ſecundam claſſem* ſpectant libri non propter Auctorem, ſed propter doctrinam prohibiti: quia nimirum continent doctrinam non ſanam, ſuſpectam, bonis moribus repugnantem, ſive ſint Auctores Infideles, Hæretici, ſive Catholici, ut ſi contineant ex profeſſo Artem Magicam, vel ad hanc pertinentia, res obſcœnas vel laſcivas Fidei contrarias, vel ſuſpectas. Ad *tertiam claſſem* revocantur libri ob doctrinam ſive Religioni ſive bonis moribus contrariam damnati, qui tamen certos Auctores non habent, ſed latentes. Et hi quandoque pejores ſunt, quàm libri primæ claſſis, cùm liberiùs ac minori verecundia venenum porrigant, teſte experientiâ, eò quòd lateant. Qui legunt libros ſecundæ & tertiæ claſſis, non incurrunt excommunicationem, ſi de Religione non tractent, nec Hæreſim ex profeſſo propinent, ſed ſolùm contineant doctrinam bonis moribus adverſantem; ſed arbitrariè puniendi ſunt ab Epiſcopis: incurrunt autem, at non reſervatam, ſi Hæreſim ex profeſſo tradant. *Reg. 10. Indicis.* imò reſervatam, ſi libri tertiæ claſſis ex profeſſo de Religione tractent, vel Hæreſim tradant, & aliunde ſufficienter ſciatur, vel indubitatò præſumatur, Authorem eſſe Hæreticum; quia tunc cenſentur tales libri prohibiti in Bulla Cœnæ, quæ ſtatuit excommunicationem reſervatam.

10 Circa hunc Indicem adverte adhuc 1. eundem valde auctum eſſe ab Alexandro VII. & à poſterioribus Pontificibus in dies augeri. Alexander VII. novum confici curavit, in quo præter prioris Indicis libros etiam ponuntur alii, qui poſtea prohibiti ſunt, ac referuntur ordine Alphabetico, omiſsâ tamen triplicis claſſis diſtinctione, quamvis illis, qui primæ ſunt claſſis, apponatur tò I. CL. ſeu *primæ claſſis*; cæteri proin pertinebunt ad ſecundam vel tertiam. 2. Ad ſecundam claſſem revocari quoque poſſe libros Juridicos, Medicos, Philoſophicos, Politicos, Hiſtoricos, ab Hæreticis editos, & hæreſes hinc inde inſperſas, non tamen, niſi obiter probatas, vel relatas continentes; niſi malis cum P. Reiffenſtuel dicere, hos libros omnino non comprehendi ſub prohibitione Eccleſiæ. 3. Quamvis Laym. *l. 2. tr. 1. c. 15. n. 8.* & alii cum ipſo aſſerant, Indicem quoad libros ſecundæ claſſis (idem videntur ſentire de libris tertiæ, ſaltem ſi ex profeſſo non tractent de Religione, vel Hæreſim docere intendant, ſimulque ſatìs aliunde conſtet, vel præſumatur Auctor eſſe Hæreticus) abſolutè non eſſe receptum in Germania; idem tamen ſuſtineri vix poſſe; cùm libri de rebus obſcœnis, ſuperſtitionibus, rebus magicis, maleficiis, incantationibus &c. licèt habeant Auctorem Catholicum, & ad ſecundam claſſem pertineant, paſſim etiam in Germania habeantur pro vetitis ab Auctoribus Germanis, & Fidelibus: quamvis putem cum Engel *h. n. 9.* eum non eſſe receptum ſecundùm quid, & quoad excommunicationem incurrendam; item non eſſe receptum quoad illos libros à Catholicis conſcriptos, alias optimos, qui continent unam vel plures doctrinas, cum Theologia, SS. Canonibus, Pontificum conſtitutionibus, non ſatìs conſonas, aut in certa materia excedunt, ſcribendo, vel gloſſando ſuper materia, de qua non licet &c. quales libri in ſpecie ſunt *Manuale Regularium* Franciſci Pelizarii, *Privilegia Regularium* Brunonis Chaſſacini, *Collectanea* Auguſtini Barboſæ, *Declarationes & Remiſſiones &c.* quia non obſtante, quod Index hos libros prohibeat, paſſim tenentur & leguntur. Et in hoc etiam Reiffenſtuel, in hac materia aliàs rigidus, nobiſcum ſentit *n. 119.* apud quem etiam vide Regulas Indicis *n. 111.* & decreta circa impreſſionem librorum *n. 137.* & alia, quæ erudite tractat. Idem judicium de non-recepto Indice mihi eſt quoad libros Politicos, Juridicos, Hiſtoricos &c. ab Hæreticis conſcriptos, & plures vel unam Hæreſim incidenter continentes. Quamvis autem quoad hos Hæreticorum libros meò judicio ceſſet prohibitio Eccleſiæ, apud multos tamen ſæpe non ceſſat prohibitio Juris Naturalis ob periculum perverſionis, præſertim apud eos, qui ſine inſigni in rebus Fidei peritia, ac ſine gravi cauſa, ſed ex curioſitate vel alio vano motivo legere præſumunt, uti jam olim notavit laudatus Becanus *lo. cit.* Qui proin graviter vel leviter peccabunt contra Jus Naturale, pro ratione periculi, cui ſe exponunt. Præcipuè autem periculum perverſionis, vilipenſionis Pontificiæ Auctoritatis, & variorum errorum imminere incautis, ac rerum Hiſtoricarum imperitis, præſertim juventuti, imminere exiſtimo ex lectione librorum Hiſtoricorum ab Hæreticis editorum, quia ubique contra Papam, ſtatum Eccleſiaſticum, Conciliorum & Eccleſiæ auctoritatem &c. aliqua falſa immiſcent, vel veritatem ex-

ra exaggerant in eorum contemptum & vilipensionem, vel laudabilia vera dissimulant, vel ludicrè & contemptibiliter proponunt, ita ut non tantùm Religio Catholica, sed etiam Principes & viri Catholici summis laudibus digni, & quidquid Catholicum est, deprimatur & vilescat: nec unquam tradunt puram, & non corruptam Historiam, interim curiosa immiscentes, ut ad legendum alliciant, uti in specie facit Hübnerus, qui liberrimè dicit, quod vult, & nihil omnino probat, pestilens & fallacissimus pseudo-Historicus. 4. Retentionem librorum Hæreticorum, etiam de Religione tractantium, & Hæresiarcharum citra piaculum asservari in Monasteriis in loco separato & clauso; vel quia Superiores habent privilegium suis subditis dandi licentiam legendi hujusmodi libros, vel (quod securius est, cùm fortè ejusmodi privilegia sint revocata à Gregorio XV. in sua *Constit. Apostolatûs officium. 40.* & Urbano VIII. in *Const. sua 116.* quæ eodem modo incipit, item ab Alexandro VII. in *Const. Speculatores Israël. 15.* ut putat Reiffenstuel *n. 121. seqq.*) quia in quovis ferè Monasterio in locis Hæresi infectis obtinent à Sede Apostolica, mediatè vel immediatè unus vel plures licentiam legendi tales libros, vel obtinebunt probabiliter, in ordine ad melius confutandos Hæreticos vel alia de causa; quæ licentia frustra daretur, si non liceret asservare dictos libros; adeóque hæc asservatio in Monasteriis non videtur esse prohibita in Bulla Cœnæ, vel in Indice librorum prohibitorum. Reiffenstuel *n. 129. seqq.*

11 Dico 4. Disputare cum Hæreticis, privatim & publicè, de rebus Fidei, Laicis omnibus etiam doctis, de Jure prohibitum est sub pœna excommunicationis ferendæ sententiæ. 2. & prædicare Verbum Divinum sive Hæreticis sive Catholicis, licèt non sub excomunicatione. 3. imò & Clericis, & quidem sub excommunicatione, nisi ad Prædicationis officium legitimè deputentur. Pars 1. clarè habetur *c. 2. §. inhibemus 1. h. t. in 6.* Ratio, quia Hæretici, præsertim errorum Magistri, sæpe sunt versipelles, dolosis argumentis, & subdolis effugiis assueti: Laici autem Catholici plerumque non satis periti, ideo fortè succumberent tam suô quàm aliorum audientium periculô. Extendunt hanc prohibitionem plurimi etiam ad Clericos saltem minùs peritos, propter textum in *can. 36. caus. 24. q. 3.* verùm quia in integra lectione additur; *nam & injuriam facit Reverendissimæ Synodo, siquis semel judicata, & rectè disposita revolvere, & publicè disputare contenderit*, ideo glossa *v. certamen* & alii putant, hîc tantùm prohiberi disputationem dubitativam de Fide, qua plenè definitus Fidei articulus vocatur in dubium. Si verò imperitus sit Clericus, Jure Naturali abstinere debet propter periculum. Cæterùm in Germania, & locis, ubi Hæretici degunt immixti Catholicis, etiam quoad Laicos, saltem rerum Polemicarum peritos, vel nunquam recepta hæc prohibitio est, vel iterum abrogata, ut videmus in praxi. Sanch. Becan. Laym. Pirh. Wiestner, Sannig &c. Pars 2. constat ex *c. 12. & c. sicut 14. h. t.* Pars 3. ex *c. 13. §. Quia verò 6. eod.* Modum disputandi cum Hæreticis vid. *n. 23. seqq.*

Dico 5. Quamvis Hæretici formales sint excommunicati omnes, uti & Credentes &c. 2. si tamen nominatim non sint denuntiati ut excommunicati, hodie post Bullam *Ad evitanda* Martini V. non sunt vitandi, sed communicare cum ipsis licet in omnibus. 3. præterquam in rebus Divinis profitendo eorum ritus aut dogmata: vel in crimine hæresis: vel quando ex communicatione cum ipsis sequeretur periculum perversionis, aut contemptûs Religionis Catholicæ, aut scandali; item regulariter illicitum est contrahere cum ipsis Matrimonium: vel extra necessitatem recipere ab ipsis Sacramenta, saltem si hoc fieret cum scandalo, aut Sacramenta ministrarentur ritu Hæretico. Pars 1. patet ex *c. 7. 8. & c. h. t.* & Bulla Cœnæ. Pars 2. ex *d. Bulla Ad evitanda.* Pars 3. indè, quia hujusmodi prohibita sunt Jure Divino & Naturali, hæreticum hominem devitari jubentibus ob pericula &c. 12

Quæres, an liceat Catholicis Hæreticos recipere, ac tolerare concessô domiciliô in suis territoriis, uti & eorum ritus, ac Religionis falsæ exercitium permittere? R. nullatenus; quia Jura omnia reclamant. Humana in *c. 9. §. statuimus c. 13. §. 2. l. 2. 5. cum Auth. Si verò & Auth. Gazaros C. h. t.* Naturale & Divinum; quia Hæresis est crimen Deo summè injuriosum, animabus pernicioſum, Reipublicæ etiam politicæ turbativũ juxta illud S. Ambrosii *3. Offic. vix firma esse possunt pacis jura, inter quos est fidei bellum.* Testis est nostra Germania misere dissecta & discors propter hæreses receptas & toleratas. Imò juxta SS. Patres Hæretici sunt pejores Paganis & Judæis; quia ab his plures & faciliùs pervertuntur Catholici, ac detestabilior est, qui veritatem agnitam impugnat, & desertor fidei, quàm qui veritatem nunquam agnovit, & fidem nunquam tenuit. *Hæreticos Gentilibus pejores esse, nemo dubitat: Gentiles enim per ignorantiam blasphemant, Hæretici autem scientes veritatem laniant*, ait S. Chrysost. *in c. 12. Matth.* Similia habet S. Aug. *de Civit. Dei c. 25. l. 21.* Unde Hæretici à SS. PP. vocantur *diaboli progenies: organa Sathanæ: diaboli: pestes, & lues Fidei: mendacii exercitus, & fraudis propugnatores: clibani impietatis: filii pestilentiæ, & gurgites omnium malorum.* Excipe tamen 1. nisi unus vel alter recipiatur aut toleretur cum certa spe conversionis, & absque ullo periculo perversionis Catholicorum. 2. casum necessitatis, quo armis & potentiâ ita invaluerunt, ut repelli, vel expelli nequeant. 3. casum majoris periculi, quod subiret Religio, si Catholici niterentur repellere vel ejicere Hæreticos; si nempe aliàs periculum foret, ne aliqua provincia vel Regnum totaliter, vel adhuc major illius pars deficeret à Fide. 4. ca- 13

sum pacti vel contractûs per se & ex objecto non peccaminosi, nec invalidi, quo Hæreticis fuit promissa receptio, vel receptorum toleratio, ac liberum Religionis exercitium. Sed hinc

14 Petes, an pacta cum Hæreticis inita circa Fidem, consequenter data ipsis fides sit servanda? R. In politicis rebus certò fides servanda est. Ea autem pacta, quæ ineuntur in ipsorum Sectæ favorem, promittendo receptionem, tolerationem, liberum Religionis exercitium, tunc servanda sunt, quando aliunde sunt valida, & non supervenit nova causa non servandi. Communis ex *l. 1. ff. & c. 1. c. 3. de Pactis.* exigitque Fidelitas & Justitia, ut pacta, præsertim publica, serventur: item Jus Gentium, & Scriptura S. *2. Reg. 21. v. 6.* licèt pacta cum Infidelibus sint inita. Valida autem hæc pacta non sunt, nisi ineantur ad evitandum majus malum & periculum Religionis, vel ad procurandum majus bonum Religionis; cùm nulla possit per pactionem induci obligatio ad illicitum, & Juri Divino, Naturali, ac Humano adversans. Nec sufficit major utilitas temporalis, vel damnum temporale quodcunque Catholicorum. Pacificatio Osnabrugensis, in qua tot Episcopatus & Provinciæ Hæreticis cessæ sunt, & liberum Calvinistis exercitium Religionis indultum specialiter est irritata ab Innocentio X. *in Const. Zelo Domûs Dei.* Quibus pactis, de se licitis & validis, secluſis possent & tenerentur Catholici Principes ex suis terris ejicere Hæreticos, &, si alio modo coërcere & expellere non possent, etiam per bellum ob solam hæresim contra ipsos movendum. Communis & certa. Addidi, *nisi superveniat nova causa non servandi*, ut si periculosas machinationes molirentur contra Catholicos, Religionem, provinciam, vel alia enormia & contra Pacem publicam &c. perpetrarent; nam propter hujusmodi causas etiam Judæos semel receptos licet expellere.

15 Dubitabis, an liceat Catholicis inire fœdus cum hæreticis, quo ab ipsis exigunt vel accipiunt auxilium, ac vicissim ipsis promittunt vel dant pro tempore belli, quod vel actu geritur vel geretur? aut fœdus, ut vocant, offensivum & defensivum, contra quoscunque hostes? Ad hoc dubium P. Reiffenstuel *à n. 157. usque ad n. 225. h. t.* fusè, accuratè, & ardenti zelo respondet, qui proinde legi meretur.

16 Dico 6. Judex in causa Hæresis est solus Ecclesiasticus privativè, licèt ea incidenter & non principaliter deducatur in Judicium, vel sola quæstio facti moveatur. Communis & certa ex *c. 13. h. t. in 6.* quia Hæresis est *crimen merè Ecclesiasticum*, uti dicit *c. cit.* sed de Ecclesiasticis judicare solius est Judicis Ecclesiastici, licèt incidenter tantùm deducantur in Judicium. *c. 2. 3. de Judic. c. 3. de ord. cognit. c. 7. qui filii sint legit.* vel licèt moveatur sola quæstio facti. *c. 12. de sent. Excomm. in 6.* Confirmatur ex *Const. Quia aliàs.* Gregor. XIV. edita 1591. ibi: *de crimine Hæresis cognitio ad forum Ecclesiasticum tota pertinet, neque Curia Secularis se quoquo modo intromittat.* Judex proin *ordinarius* est Papa per totum mundum: Legatus à latere in Provincia, ad quam est missus: Episcopus per suam Diœcesim sive Laici sive Clerici sint de Hæresi suspecti vel delati. *c. 13. §. ult. & Clem. 1. §. 1. h. t.* Capitulum Cathedrale Sede vacante, *c. 9. v. vel Clerici eod.* Prælati jurisdictionem quasi-Episcopalem exercentes pro suo districtu. Molin. *de Just. tr. 5. d. 28. n. 11.* alique. Tanquam *Delegatus* verò idem Episcopus quoad exemptos, etiam Religiosos, suæ Diœcesis. *c. 9. in fine cit. Constit. Romanus 26. Pauli V. & Constit. Licèt aliàs Alexandri VII.* Item Inquisitores in Hæreticam pravitatem in suo districtu, regulariter tamen una cum Episcopo, licèt non in Episcopos ipsos, vel Legatos Papæ, vel Principes Laicos Superiorem non recognoscentes, sine expressa Papæ licentia. *c. 11. 16. h. t. in 6.* Sed in Germania, ubi Inquisitio Sacra non est in usu, ad solum Episcopum, qui dicitur esse *Inquisitor Natus* in sua Diœcesi, pertinet causa Hæresis; licèt contra Laicos, utpote toleratos Hæreticos, in Germania procedere nequeat, intellige contra Lutheranos, & ad evitandas turbas etiam contra Calvinistas, licet hi tolerati tantùm sint in Imperio per Pacificationem Westphalicam, quam Innoc. X. declaravit & voluit irritam: contra alios Hæreticos, in Germania non toleratos, uti & contra novarum Hæresum authores nihil videtur obstare, quò minùs procedere possit Episcopus Germaniæ. Judex in causa Hæresis procedere potest summariè, de plano, & sine figura Judicii, observatis tamen ejusdem substantialibus, quæ sunt citatio Rei, probationes, exceptiones & defensiones, ut notant Farinac. Pirh. & alii. Testes possunt ferè omnes esse, modò non sint inimici ipsius Rei, etiam accusator, complex criminis, Laicus adversus Clericum, infamis, perjurus &c. *c. 4. de testib. c. 5. c. 8. h. t. in 6.* Vallensis & alii.

Oppones 1. Quando movetur quæstio facti, v. g. utrum quis protulerit verba Hæretica &c. nihil spiritualitatis involvitur: ergo Judex competens in dicta quæstione est etiam Laicus. 2. Judex & Magistratus Laicus suspectos vel diffamatos de Hæresi potest capere, incarcerare &c. ut faciunt plerique propter *c. 18. h. t. in 6. post pr.* ergo est competens Judex. 3. *l. 8. §. fin. C. h. t.* Laico Judici tribuitur jurisdictio, quando Laicus agitur reus Hæreseos: ergo. 4. Si Episcopus & Sede vacante Capitulum, est Judex Ordinarius in causa Hæresis, erit quoque Vicarius eorum Generalis: sed hoc negatur à pluribus. 5. Si Episcopus est Judex Delegatus quoad Exemptos suæ Diœcesis, etiam quoad hos erit Capitulum Sede vacante; cùm succedat Episcopo in iis, quæ ad jurisdictionem spectant. 6. Prælati Regulares, etiam non exempti, procedunt in causa

Hæresis

Hæresis contra suos subditos, quia hos Hæreticam sectam amplexos capiunt, & reversos judicant, puniunt &c. uti videmus: ergo respectu Regularium seu Religiosorum Judex non est Episcopus. 7. Solius Papæ est declarare, an aliquid sit Hæresis vel non: ergo iste solus est Judex in causa Hæresis. Ad 1. *N. Ant.* quia semper involvitur quæstio Juris; quia, ut quis puniri possit ut Hæreticus, non sufficit constare, quòd verba hæretica v. g. protulerit, sed inquirendum, an verè sint hæretica, an protulerit cum vel sine pertinacia &c. quæ sunt quæstiones Juris. Ad 2. potest quidem hoc Judex Sæcularis, si Rei sint suspecti de fuga, at cognoscere judicialiter, vel judicare tales nequit propter defectum jurisdictionis, sed remittere debet ad examen Judicis Ecclesiastici. Pari modo tenetur Judex Laicus Hæreticos sibi traditos à Judice Ecclesiastico, non examinatâ causæ justitiâ, punire secundùm Jura absque tergiversatione, & sic sententiam Judicis Ecclesiastici exequi sub pœna excommunicationis. *c. 18. cit. v. prohibemus.* Ad 3. Jus Civile correctum est à SS. Canonibus, nec in ejus potestate est, de crimine merè Ecclesiastico, contra quod ex SS. Litteris & secundùm SS. Canones pronuntiandum, quidquam statuere contra eosdem SS. Canones Ad 4. *dist. Ma.* erit quoque Vicarius Generalis ex speciali mandato Episcopi, ob gravitatem hujus criminis, uti insinuat Trid. *s. 24. c. 6. de Ref. C. Ma.* sine mandato speciali. *N. Ma.* Vicarius Capituli non videtur opus habere speciali mandato; cùm vi generalis mandati possit omnia, etiam illa, quæ Sede plena exigunt mandatum speciale, uti docuimus ad *Tit. de Officio Vicarii n.* 12. Quo tamen non obstante potest Capitulum alicui tertio committere causam Hæresis à suo Vicario avocatam. Ad 5. negatur sequela; quia Capitulum non succedit Episcopo in iis, quæ Episcopo competunt ex jure & jurisdictione delegata. Ad 6. *dist. Ant.* procedunt ex Consuetudine in Germania. *C. Ant.* de Jure Scripto & Communi. *N. Ant.* Ad 7. Solius quidem Papæ est in dubio decernere ac definire, an dogma vel doctrina sit Hæretica, nec ne: supposito autem, quòd aliunde vel ex SS. litteris, vel ex definitione prævia Pontificis, aliquid certò sit hæresis, de hac cognoscere, judicare, & reum punire Papa concessit quoque Episcopis &c.

18 Dico 7. Absolvere ab hæresi completa & occulta eique annexa excommunicatione, pro foro interno de Jure probabiliter possunt Episcopi per se ipsos in sua diœcesi, & per vicarium specialiter ab ipsis ad hoc deputatum. 2. Prælati quasi Episcopalem jurisdictionem exercentes in suo districtu. 3. Prælati Regulares exempti suos Religiosos. 4. Quidam Religiosi ex speciali privilegio extra Italiam. 5. imò in Germania probabiliter sine privilegio speciali. 6. & in articulo mortis quilibet sacerdos. Pars 1. patet ex Trid. quod *Sess. 24. c. 6. de Ref.* ait: *liceat Episcopis - - - in quibuscunque casibus occultis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in diœcesi sua, per se ipsos, aut vicarium ad id specialiter deputatum, in foro conscientiæ gratis absolvere, impositâ pœnitentiâ salutari. Idem & in hæresis crimine in eodem foro conscientiæ eis tantùm, non eorum Vicariis, sit permissum,* scilicet sine speciali mandato & commissione Episcoporum, ut concordent ultima prioribus. Quod Episcopis, probabiliùs etiam Capitulo Sede vacante concessum esse videtur, exercendum per suum Vicarium à Capitulo deputandum, ut docet Leuren. *in suo Vicario Episc. q. 477.* cum Sanch. Garc. Dian. Pirhing &c. contra Suar. Bonac. Palao; quia Episcopis quà *Ordinariis*, non verò quà *Delegatis*, Apostolicæ Sedis, id videtur indultum à Tridentino. Pars 2. quam tenet idem Leuren. *ad h. t. q. 199. n. 2.* cum Sanch. Sayro, Avila, Palao, Pirhing contra Suar. Bonac. Garc. probatur ex priori ratione, quia potestas absolvendi ab Hæresi Episcopis concessa videtur spectare ad ordinariam eorum jurisdictionem, licèt Jure speciali, non tamen merè privilegiato, utpote Jure Antiquo, vi cujus nulla Hæresis erat reservata, jam concessam: sed in hac Episcopis æquiparantur tales Prælati. Pars 3. probatur ex motu proprio S. Pii V. hujusmodi Prælatis in suos Regulares subditos jurisdictionem quasi-Episcopalem concedentis; ut refert Roderiq. *to. 1. qq. Regular. q. 61. n. 9.* quam potestatem quasi-Episcopalem eis etiam tribuit *c. Abbates. de Privil. in 6.* competentem verò solis Majoribus Superioribus, qui apud Mendicantes sunt Generales & Provinciales. Idem tamen non procedit in Hispania, ubi absolutio Regularium ab Hæresi spectat ad Inquisitores. Pars 4. ex *Brevi* Julii III. *anno 1552. 22. Octob.* & postea confirmatô vivæ vocis oraculô à Gregor. XIII. *anno 1584. 18. Mart.* vi cujus Præposito Generali Societatis JESU indultum est absolvere vel per se vel per alios quoscunque à casibus Hæresis & aliis contra Fidem & consequentibus Censuris quibuscunque (etiam ortis ex lectione librorum Hæreticorum, uti eidem Societati concessit Gregor. XIII.) quæ facultas communicatur Provincialibus cum potestate communicandi aliis. *Compend. Privileg. Societatis v. Absolutio §. 7. 8. 10. 11.* Id quod propter alias adhuc speciales concessiones maximè procedit in nostris Regionibus Septentrionalibus. Pars 5. eruitur partim indè, quòd Religiosi Mendicantes eandem potestatem sortiti sint in casibus Papalibus, quam Episcopi, quà Episcopi, & jure ordinario obtinent. Sed hoc patitur difficultatem propter Decretum Urbani VIII. 1628. excipientis casus Bullæ Cœnæ, qualis est etiam Hæresis, licèt eo non obstante id adhuc affirment 11. Auctores apud Moya *in qq. Select. tr. 3. q. 5. n. 4.* vide infrà *n. 20. & 21.* partim quòd in Germania (quantùm mihi constat) passim & quotidiè Religi-

gioſi ad ſe accurrentes in Hæreſi natos, convertant ad Fidem & ab hæreſi abſolvant, nec Româ licentiam petant, eâque hoc non ignorante, nec reclamante. Quapropter in his circumſtantiis non ſtringet propoſitio ab Alexand. VII. damnata: *Prælati Regulares poſſunt in foro conſcientiæ quoscunque Sæculares ab hæreſi occulta abſolvere.* Quod, licèt univerſaliter verum ſit, patitur tamen exceptionem in Germania, ubi hæreſes impunè graſſantur. Et ob hanc cauſam Carmelitis Diſcalceatis teſte Gobat *tr. 7. Theol. Experim. n. 638.* à Clem. VIII. ampliſſima poteſtas abſolvendi ab hæreſi data eſt pro Gallia, Flandria, Germania, Polonia. Accedit, quòd Bulla Cœnæ, ubi reſervatur hæreſis, in Germania non videatur eſſe recepta quoad reſervationem & ſimiles pœnas, uti dicam *n. 20. 21. ſeqq.* Pars 6. eſt certa tum ex Bulla Cœnæ, quæ expreſsè excipit conſtitutum in articulo mortis, ſed ita, ut talis cautionem priùs præſtet de *ſtando Eccleſiæ mandatis & ſatisfaciendo* pro irrogata injuria, ſcilicet ſub juramento: tum ex Trid. *ſ. 14. c. 7.* ibi: *ne hac ipſa occaſione aliquis pereat, in Eccleſia DEI cuſtoditum ſemper fuit, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis: atque ideo omnes ſacerdotes, quoslibet pœnitentes, à quibusvis peccatis & cenſuris abſolvere poſſunt.* Adverte autem, *articulum mortis* hic non ſumi ſtrictè, & tantùm pro ægritudine, ex qua prudenter timetur mors, ſed etiam quodvis probabile mortis periculum illius nomine intelligitur, quale v. g. eſt in conflictu bellico, in periculoſa navigatione &c. ut habet communior cum Barboſa & Diana.

19 Dixi in Aſſertione 1. *ab hæreſi completa,* nempe interna & externa ſimul: ſiquidem caſus reſervatus non eſt adhærere in ſola mente errori hæretico, ſi id exteriùs non prodatur per actum externum de ſe mortaliter peccaminoſum; neque exteriùs tantùm negare Fidem, non verò in mente. 2. *occulta,* h. e. non publica, ſeu non notoria aut famoſa, licèt à quibusdam ſciatur. 3. *eique annexa excommunicatione;* nam Hæreſis, uti & quodvis aliud peccatum, non eſt reſervatum Pontifici, niſi ſimul cenſuram habeat annexam: unde ſiquis ignorâſſet excommunicationem eſſe annexam Hæreſi, illam non incurreret, conſequenter Hæreſis non eſſet reſervata Papæ: item ſiquis poteſtatem habens abſolveret ab excommunicatione, non tamen ab Hæreſi, hæc ceſſaret eſſe reſervata. 4. *pro foro interno;* nam pro externo, non obſtante etiam Bulla Cœnæ abſolvere juxta Farinac. Palao, Pirhing, Reiffenſtuel *h. t. n. 369.* non ſolùm Inquiſitores, ſed etiam Epiſcopi poſſunt ab Hæreſi, tanquam Delegati Sedis Apoſtolicæ, vi *c. 11. v. ſi verò h. t. in 6.* abjuratâ tamen priùs Hæreſi, & modò abſolvendus non ſit Hæreſiarcha ſeu auctor novæ Hæreſis, vel relapſus in Hæreſim. Quæ abſolutio eatenus juvat etiam pro foro interno, quatenus ſublatâ per Abſolutionem excommunicatione quivis dein de Confeſſarius à peccato Hæreſis abſolvere poteſt, uti notant iidem Auctores: quamvis vice verſa abſolutio pro foro interno impetrata nihil omnino proſit pro foro externo. *Forum* autem *internum* eſt duplex, *Pœnitentiale* ſeu *Sacramentale*, quando nempe ſimul adminiſtratur Sacramentum Pœnitentiæ, & pro hoc foro nec Epiſcopus abſolvere ab Hæreſi poteſt, niſi ſit actu Sacerdos: & *Forum conſcientiæ*, quod non neceſſariò exigit Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, neque Ordinem Sacerdotalem; & hinc pro foro conſcientiæ Epiſcopus etiam nondum Sacerdos, vel nondum conſecratus, modò ſit confirmatus, & ſic jurisdictionem Epiſcopalem adeptus, validè ac licitè abſolvit ab excommunicatione hæreſis & aliis cenſuris *5. in ſuâ Diœceſi*, quibus verbis indicatur non tantùm eum, qui abſolvitur, debere eſſe ſubditum Epiſcopo, ſed etiam Epiſcopum debere actu exiſtere in ſua Diœceſi, quando abſolvit, non quòd Epiſcopus exiſtens extra ſuam Diœceſim nequeat exercere actum jurisdictionis voluntariæ, qualis eſt abſolutio à Cenſuris, ſed quòd Papa in Tridentino exſtentiam illius in diœceſi requiſiverit tanquam conditionem, ſine qua noluit dare poteſtatem abſolvendi. 6. *de Jure*, ſcilicet Communi Tridentini, abſtrahendo à conſuetudine, & privilegio. 7. *probabiliter*; vehementer enim reclamant plurimi & graviſſimi Doctores propter Bullam Cœnæ, hanc clauſulam habentis: *caterùm à præditis ſententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, niſi in mortis articulo conſtitutus --- abſolvi poteſt, etiam prætextu quarumvis facultatum & indultorum quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium ac Militarium Regularibus, etiam Epiſcopali vel alia Dignitate majore præditis --- per nos & dictam Sedem, ac cujusvis Concilii Decreta --- in genere vel in ſpecie conceſſorum.* Unde inferunt, licèt Tridentinum reſpectu Epiſcoporum ſuſtulerit reſervationem Hæreſis occultæ Jure antiquori ſtatutam, per Tridentinum tamen conceſſam Epiſcopis & aliis, qui nomine Epiſcoporum veniunt, quoad abſolutionem Hæreſis poteſtatem à Bulla Cœnæ poſtmodum iterum ademptam eſſe. Quapropter

20 Quæres, an poteſtas, Epiſcopis à Tridentino conceſſa, abſolvendi ab Hæreſi & aliis delictis occultis Sedi Apoſtolicæ reſervatis revocata ſit per Bullam Cœnæ? R. cum Navar. *lib. 5. Conſilior. tit. de Sent. Excomm. conſ. 15.* Guttierez *qq. Canon. l. 1. c. 13. ſ.* Lorca *2. 2. d. 45. n. 10.* Henriq. *l. 6. de pœnit. c. 14. n. 7.* Chapeaville *in theſauro caſuum reſerv. p. 2. c. 1, q. 3.* Engel *h. t. n. 11.* & pluribus aliis, quorum 24. recenſet Barboſa *de poteſt. Epiſc. allegat. 40. n. 21.* probabiliter non eſſe revocatum ſaltem in Germania. Quam ſententiam Sanch. *l. 2. in Decal. c. 11.* licèt Adversarius, vocat ex rationibus & authoritate Doctorum probabiliſſimam. Oppoſitum tenent Genuens. Suar. Sanch. Barb. Garc. Pleſec. Tuſch. Farinac. Palao, Gobat. Pirhing. Pignat.

Pignat. Vinc. Petra, Reiffenſtuel &c. Probatur 1. Ut Papa cenſeatur derogare alicui Concilio Generali, oportet, ut ſpecificè exprimat, & non terminis tantùm generalibus, uti facit in *d. Bulla,* decretum talis Concilii, præſertim ſi illud recens fuerit, quale eſt Tridentinum. Laym. *in c. 1. de Conſtit. n. 8.* Sanch. *l. 3. de Matrim. d. 26. n. 7.* Barboſa *de poteſt. Epiſc. alleg. 33. n. 24.* & alii plurimi ab his citati ex *c. 28. de Refor. c. 3. de Capell. Monach.* 2. Per diſpoſitionem ſubſequentem generalem non cenſetur derogari priori ſpecificæ. *arg. c. generi de R. J. in 6.* præſertim cùm correctio jurium ſit omni modo evitanda: ſed Tridentinum loquitur de abſolutione ab Hæreſi *occulta* in ſpecie, at Bulla Cœnæ de Hæreſi genericè, adeóque intelligenda de publica, ne contradicat Tridentino. 3. Per Bullam Cœnæ neque juxta Adverſarios derogatur *c. 11. h. t. in 6.* ubi Epiſcopis conceditur poteſtas abſolvendi ab Hæreſi pro foro *externo*, utique non alia de cauſa, quàm quòd Bulla loquatur generaliter de abſolutione Epiſcoporum, nihil exprimendo de foro in- vel externo, utrùm Epiſcopi abſolverent ut Ordinarii vel Delegati, ut nimirum evitetur correctio Juris, & quia per genus non derogatur ſpeciei: ergo à pari. Ex quo formatur ulteriùs hoc argumentum: ſuppoſitâ licentiâ abſolvendi ab Hæreſi pro foro externo inefficaciter Bulla prohiberet abſolutionem pro interno; quia etiam juxta Adverſarios facta abſolutione pro foro externo quilibet Confeſſarius, adeóque & Epiſcopus, validè abſolvit pro foro interno: ergo Bulla non ademit Epiſcopis poteſtatem abſolvendi pro foro interno. 4. Multi doctiſſimi & graviſſimi Epiſcopi teſte Graffiis *l. 2. Deciſion. Aurear. c. 13.* apud Chapeaville in Germania, Gallia, imò & ipſa Italia utuntur poſt Bullam facultate ipſis per Concil. Trid. attributâ: ergo praxis & conſuetudo declarat, non eſſe revocatam à Tridentino datam facultatem. Adde, quòd Pontifex non præſumatur ignorare, hanc ſententiam doceri à multis, & practicari, non tamen contradicat. Notanda hanc in rem ſunt verba P. Gobat, quæ *tract. 7. Theol. Experim. n. 371. in Appendice* recitat ex Wagnereck *in Exegeſi l. 1. tit. 28. de Offic. Vicar. in c. licet in 6.* in hunc modum: dubium eſt, utrùm facultas Epiſcopis à Concil. Trid. conceſſa ab hæreſi occulta, & aliis Bullæ caſibus per poſteriorum Pontificum decreta ſublata ſit --- Quod ad Epiſcopos Germaniæ attinet, rectè meminiſſe jubet Laym. *in Concluſ. Canon. de Jurisdict. c. 4. n. 73.* doctrinæ, quam Doctores uno ore non ſolùm æquam, verùm etiam neceſſariam tradunt, Caſus Papales ob nimiam frequentiam, vel impedimentum adeundi Papam, fieri Epiſcopales; quod vel maxime locum habet inter Hæreticos in Germania, imò & in aliis caſibus, ut confidenter exiſtimem, cum eodem Laymanno, ſecuritatis potiùs quàm neceſſitatis eſſe, ſi Epiſcopi Germaniæ poteſtatem abſolvendi Hæreticos, quantumvis notorios, à Pontifice ſpecialiter petant; quod probari poteſt ex *c. 1. de Tempor. Ordinat.* ubi Pontifex prohibet, ne Epiſcopi Italiæ aliquem ultra-montanum ordinent ſine licentia Papæ, id ſolùm reſtringit ad Epiſcopos Italiæ. Et Suarez *de Legib. l. 6. c. 3. n. 21.* negat extendi poſſe ad Epiſcopos Germaniæ, etſi videatur ratio ſimilis, & idem periculum, additque, eam doctrinam facilè applicari poſſe ad alia exempla; nam in præceptis Eccleſiæ multa reperiri poſſunt ſimilia, inter quæ ſunt poſteriora decreta Pontificum, quibus videtur tolli poteſtas abſolvendi ab hæreſi occulta, conceſſa Epiſcopis à Trid. *ſ. 24. c. 6. de Reform.* ubi, & ab aliis caſibus Bullæ Cœnæ, præſertim in Bulla Cœnæ Gregor. XV. talia videlicet non extendi ad Germanos, ſed ejusmodi caſus Papales propter multitudinem, & difficultatem adeundi Pontificem fieri Epiſcopales, juxta comunem DD. Ita Gobat. Dein La Croix *de Leg. l. 1. n. 637.* ait: *certum videtur, quod* (Bullæ Cœnæ) *in Germania non obliget hodiedum quoad aliqua, vel ſaltem non cum illo rigore, ut notant Laym. aliique graviſſimi Doctores in Manu-ſcriptis.* Idem Auctor *lib. VI. p. 2. n. 1620.* ſic loquitur, *Laym. Perlin. Gobat, & alii docent, Nos* (Jeſuitas) *& quoscunque approbatos in Germania abſolvere ab hæreſi & lectione librorum prohibitorum poſſe: quia hinc non eſt facilis, imò plerumque eſt moraliter impoſſibilis acceſſus ad Papam &c. Neque ideo eſt obligatio ſcribendi Romam &c.* Licet ipſe videatur tenere oppoſitum. Dixi, *ſaltem in Germania,* pro qua pugnant ſpeciales rationes, nempe 1. quòd Bulla Cœnæ probabiliter quoad Cenſuras, conſequenter & quoad Reſervationem Papalem, non ſit cum tanto rigore recepta. 2. quòd ibi Hæreſis ſit frequentiſſima; non autem expediat reſervari caſus frequentiſſimos ob nimiam difficultatem recurrendi Romam ex una, & ex altera parte ob perpetuam neceſſitatem abſolvendi revertentes quotidie ad Eccleſiam Hæreticos. Et ex hoc capite Epiſcopi paſſim diſpenſant in jejuniis, feſtorum obſervatione; eò quòd frequenter ſit neceſſarium diſpenſare; & ideo prudenter de Papa præſumatur, quòd in caſibus tam frequentibus non voluerit imponere onus ſemper recurrendi ad ſe. 3. quòd ibi Hæretici ſint tolerati; etiam in tantum, ut reverſi non indigeant abſolutione pro foro externo, adeóque cenſeatur excommunicatio pro foro externo jam eſſe ſublata generaliter: eâ autem pro foro externo ſublatâ ceſſat & reſervatio pro foro interno, uti dictum cum Adverſariis. 4. Longè aliter in Germania diſcurrendum de Hæreticis, ubi impunè & paſſim verſantur inter Catholicos, quàm in Italia & Hiſpania, ubi reperiuntur fere nulli, & nulli omnino tolerantur. Adde, quòd in Germania Hæretici plerique naſcantur tales, alibi autem fiant ex malitia: longè mitiùs autem procedendum utique eſt cum innocenter natis in Hæreſi, quàm malitioſè in illam lapſis. Accedit, quòd in Germania

ad fidem

ad fidem revertentes, & per absolutionem Ecclesiæ incorporandi, communiter priùs fuerint tantùm materiales hæretici: ergo rectè generaliter omnes, licèt aliqui fuerint formales per aliquod tempus, habentur pro non obnoxiis censuræ & reservationi Papali; cùm major pars trahat minorem & difficulter discernibiles sint formales à materialibus, saltem si excipias eos, qui ex Catholicis labuntur in Hæresim: cum quibus fortè non immeritò rigidiùs procederetur.

21 Oppones 1. Gregor. XIII. & Clem. VIII. teste Genuensi declarârunt, per Bullam Cœnæ revocatam esse potestatem Episcopis à Tridentino concessam. 2. Idem declarârunt Cardinales, Tridentini interpretes teste Fagn. Piasecio, Vincent. Petra. 3. Episcopi, etiam Germaniæ, uti Frisingensis, teste Reiffenstuel, solent Româ petere licentiam absolvendi ab Hæresi etiam occulta: ergo agnoscunt licentiam, sibi in Tridentino datam, esse revocatam. 4. Non est necesse ad derogandum Tridentino, ut fiat specialis ejusdem mentio & specifica, sed sufficit generalis, qua derogatur decreto cujusvis Concilii, ut multis allegatis docet Reiffenstuel ad *tit. de Constitut. n. 529. seq.* id probans ex his verbis Trident. *s. 25. c. 21. de ref. Postremò Sancta Synodus omnia & singula, quæ de morum reformatione, atque Ecclesiastica disciplina in hoc Sacro Concilio statuta sunt, declarat ita decreta fuisse, ut in his salva semper authoritas Sedis Apostolicæ & sit & esse intelligatur.* Id quod etiam habet Constitutio Pii IV. confirmatoria Tridentini, & Stylus Curiæ Romanæ. Accedit, quòd Jura superiùs citata, ex quibus probavimus necessitatem specificæ mentionis, ut derogetur Decreto Concilii Generalis, loquantur tantùm de Rescriptis & litteris Apostolicis, non verò de novis Constitutionibus & legibus, ad quas, & non ad Rescripta, pertinet Bulla Cœnæ: ergo necesse non fuit, ut hæc faceret mentionem specificam Tridentini. 5. Alexander VII. proscripsit anno 1665. inter alias & hanc propositionem tanquam scandalosam: *sententia asserens, Bullam Cœnæ solùm prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt, & id non derogare Facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est, anno 1629. die 18. Julii in Consistorio S. Congreg. Em. Card. visa & tolerata est:* ergo nostrum argumentum 2. est expresse reprobatum.

22 R. ad 1. Declaratio Gregorii XIII. & Clem. VIII. exinde redditur suspecta, quòd nullam, uti tamen decuisset in re tanti momenti, desuper Bullam ediderint, ut omnibus constaret de sua mente; item quòd post dictos quoque Pontifices multi, nemine reclamante, nostram sententiam tradiderint. Ad 2. Declarationes Cardinalium non habent vim, nisi approbatæ sint ab aliquo Pontifice, & in forma authentica producantur, de quibus nihil constat. Ad 3. Imprimis oppono exemplum aliorum Episcoporum, id non facientium, de quibus testatur Graffiis. Alii id faciunt non ex necessitate, sed quia etiam oppositæ sententia est probabilis, pro majori securitate, ad quam non tenerentur. Ad 4. Ex illis Tridentini verbis, & Bulla Pii IV. prorsus nihil probatur contra nos, quia non dicunt, non debere fieri mentionem specificam Concilii Tridentini per novam constitutionem ei contrariam, uti voluerunt Jura antiqua, sed Papæ auctoritati non derogatum esse per Concilium, quo minùs quoad Decreta morum & disciplinam Ecclesiasticam aliud possit statuere, quod ut verissimum agnoscimus. Stylus Curiæ, si detur, fundatur in probabilitate sententiæ oppositæ, per quod probabilitati nostræ sententiæ nihil derogatur. Cœterùm non obstat, quòd Jura pro nobis citata fortè de meris Rescriptis loquantur; quia Rescripta Pontificia, si respiciunt integram communitatem, non differunt à Legibus, & vim Legum habent: quòd autem requiratur in Jure specifica mentio in lege Pontificia Concilio Generali derogante, ratio Juris est, quod Decreta Conciliorum Generalium majori deliberatione & plurium sententiis fieri soleant. *c. 57. de Elect.* quæ ratio etiam militat in nova lege à solo Pontifice constituta. Ad 5. Illa propositio videtur damnata propter ultima verba, quasi hæc interpretatio Bullæ Cœnæ, de Hæresi publica tantùm loquentis, foret approbata à Consistorio Cardinalium. Moya *n. 5.* ubi ait, probabiliter sic responderi posse. Deinde licet etiam damnata esset in sensu Adversariorum, Bullam tam de occulta quàm de publica Hæresi loqui volentium, nihil tamen aliud sequeretur, quàm argumentum, ex hac distinctione inter occultam & publicam Hæresin desumptum, non esse firmum: per hoc tamen nihil derogatur argumentis reliquis, præsertim specialiter pro Germania pugnantibus, propter quæ omnes allatæ objectiones contra eandem parum habere roboris videntur. Adde, quòd Thomas Hurtado *to. 2. resol. mor. tr. 12. de Exam. Synod. c. 1. n. 1056.* dicat, casum hæresis occultæ in Germania & Gallia factum esse Episcopalem, & ideo etiam Regularibus vi suorum privilegiorum, maxime Pii V. competere potestatem ab ea absolvendi.

Modus disputandi cum Hæreticis.

Dico 8. Quamvis disputare privatim cum aliis omnibus Sectariis (Lutheranis & Calvinistis) in Germania vi toleratæ consuetudinis prohibitum non sit Catholicis; tamen Jure Naturali non omnibus licitum, minùs consultum est. Assertio optimè probatur illam explicando. Itaque dixi 1. *privatim*, nam disputationes publicas & solennes instituere cum ipsis utique permissum non est sine licentia tam Politici quàm Ecclesiastici Superioris, cùm possint turbare quietem publicam, & Fidem concernant. Dixi 2. *in Germania vi consuetudinis*; nam de Jure Communi dispu-

disputare de rebus Fidei, etiam privatim tantùm, prohibitum est laicis sub pœna excommunicationis per sententiam infligendæ *c. quicunque 2. de Hæreticis in 6.* quia nempe laici præsumuntur non esse satis versati in Controversiis, ac proinde non sine periculo tum suo tum audientium congredi cum gente perversa & callida: imò & Clericis id prohibitum est ratione inconvenientiæ, sed sine pœna excommunicationis. *Can. cum quibus causa 24. q. 3.* Cui tamen utrique prohibitioni consuetudine contraria derogatum est in Germania, ut adeò tam Laici quàm Clerici, modò rerum Polemicarum periti sint, in his terris licitè disputent cum Adversariis nostræ fidei. Dixi 3. *Jure Naturali non omnibus licitum est*, nempe iis, qui non satis habent peritiæ, dexteritatis, quin & firmitatis in fide ac virtutis; hi enim & se & alios periculo succumbendi exponunt, & ruinæ spiritualis. Dixi 4. *cum omnibus*, siquidem, si Adversarii sint Hæretici *materiales*, & se non errare bona fide existiment, videndum est, an rationabiliter sperare possis, talem hominem, quocum disputare vis, convertendum à suo errore ad veram fidem; vel potiùs timendi causam habeas, ne in erronea sua secta perseveret, etiam veritatem Catholicæ fidei edoctus, & suæ sectæ fallitatem: si prius, avidè arripienda est disputatio: si posterius, omittenda; cùm alium non referres fructum ac operæ pretium, quàm quòd ex materiali peccatore formalem faceres, & ut ille, qui priùs propter peccatum hæreseos non fuisset exclusus à cœlo, postea etiam propter peccatum infidelitatis damnaretur. Illud foret optimum factu, si talem hominem, cujus conversionem sperare prudenter non potes, doceres modum eliciendi actum Contritionis perfectæ; siquidem facilè contingit, ut ejusmodi materiales hæretici incidant in alia peccata mortalia, v. g. luxuriæ, detractionis, invidiæ & odii erga proximum &c. à quibus peccatis liberari nequeunt per Absolutionem Sacramentalem ob defectum Sacerdotis legitimi, & idcirco aliud medium æternam perniciem evitandi ipsis non superest nisi Contritio perfecta, seu dolor de peccatis ex motivo amoris DEI super omnia dilecti elicitus. Atque sic prudentem zelum & egregiam charitatem erga proximum exerceres. Quòd si verò Adversarius sit pertinax, effrons, & obfirmatus in sua opinione, non expedit cum ipso certamen inire; cùm nulla sit spes fructûs: sed obsequendum consilio S. Pauli, quod tradidit Tito suo *c. 3. hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita.* Si tamen alii forte præsentes forent, qui vel fructum capere ex disputatione, vel, si non acceptaretur oblata pugna, scandalum pati possent, quasi ex necessitate rectè susciperetur disputatio.

24 Quæres, an *aggressivè* vel *defensivè* tenere se debeat, qui cum Lutheranis aut Calvinistis disputat, seu an partes *Argumentantis* vel *Defendentis* sustinere? R. nisi valde peritus & versatus sit in Polemicis, longè meliùs ac tutiùs agit, si defensivè se gerat, & onus oppugnandi rejiciat in adversarium. Quòd autem nos Catholici possimus pro libitu eligere partes Defendentis, clarum est, quia nos sumus in possessione Veritatis, & veræ Christi Ecclesiæ; adversarii autem aggrediuntur nos, & ex hac possessione moliuntur deturbare. Ipsi nostram Ecclesiam accusant defectionis, idololatriæ, & errorum in fide, adeóque sunt Actores. Ipsi jactant se Reformatores nostræ Ecclesiæ. Ipsi ab ea defecerunt, & tanquam rebelles subditi ab illius obedientia se subduxerunt. Atqui *Aggressoris* est aggressivè pugnare: *Actoris* probare: *Reformatoris* ostendere errorem: & *perfidi Transfugæ* rationem reddere suæ fugæ & detrectatæ obedientiæ; ut apud omnes indubitatum est. Ergo ipsorum est agere partes Argumentantis, nisi nos sponte illas suscipere velimus.

Qui autem *defensivè* se habet, & citò expedire se, & omne argumentum in quavis materia, quod Adversarius in suis principiis afferre potest, statim in cunis suffocare intendit, facillimè poterit, si nempe in dubium vocaverit, vel etiam ipsi negaverit hæc quatuor, vel saltem unum ex ipsis. 1. quòd detur aliqua Scriptura S. quæ sit verbum DEI. 2. transmissâ (si liberaliter velit agere) existentiâ Scripturæ, quòd illa comprehendatur illis libris, quos Adversarius habet pro Canonicis. 3. quòd ipse habeat legitimam versionem, & editionem incorruptam. 4. His omnibus *gratis*, (quia nunquam certò & infallibiliter probare poterit in suis principiis) & liberaliter permissis, quòd verba Scripturæ, quæ contra te allegat, habeant illum sensum, quem Adversarius intendit. Hæc omnia siquis neget, uti negare potest, cùm non sint per se nota & evidentia, Adversarium ita constringet, ut pergere, & vel unicum articulum, v. g. de numero Sacramentorum, de Justificatione per solam fidem &c. contra nos probare nullatenus possit: siquidem in suis principiis nullum argumentum adducere potest nisi ex Scriptura petitum. Quamdiu autem de illis quatuor punctis dubium manet, nec ea *infallibiliter* probat (quod rejecta Ecclesiæ & Summi Pontificis auctoritate impossibile est, ut demonstro in Tractatu de Scriptura S.) nullum fidei articulum sufficienter & *infallibiliter* probare poterit in æternum, quia ex Scriptura aut sensu Scripturæ dubio evidenter impossibile est aliquid infallibiliter & certò deducere, etiamsi textus cumulentur textibus innumeris, quod facere solent, ut vel obruant vel terreant eos, quibuscum agunt. 25

Quòdsi placeat disputare *aggressivè*, consultum est, ut non descendas ad materias particulares, v. g. de Confessione auriculari, præsentia Christi in Eucharistia, etiam extra actualem manducationem, sine pane &c. sed ut fistas in principiis generalibus, probando nimirum, veram Ecclesiam à Christo fun- 26

datam necessariò durare usque ad finem mundi, & quidem ita, ut in errorem circa res fidei labi nequeat. Quo præstito consectarium est, nullam Ecclesiam esse veram, quæ primùm post tempora Christi fuit introducta, & illam esse veram Ecclesiam hodiedum, quæ fuit aliquando vera. Atqui Ecclesia Lutherana, Calvinistica &c. primùm post tempora Christi fuerunt introductæ, nec scitur locus ullus in mundo, in quo per 15. sæcula à Christo usque ad hos Novatores talis doctrina, qualem ipsi tenent, prædicata fuerit &c. Item ipsimet fatentur, Ecclesiam Romano-Catholicam saltem primis sæculis fuisse veram Christi Ecclesiam. Porro ostendes, illam Ecclesiam esse veram, cui conveniunt notæ & signa veræ Ecclesiæ: econtra falsam illam, cui non conveniunt: atqui (subsumes) Ecclesiæ Romano-Catholicæ etiam modernæ conveniunt hæ notæ & signa, nulli autem alteri, ut invenies in *meo Cursu Theol. Polem.* His autem firmatis & complanatis omnes quæstiones controversas complanâsti, omnes articulos nostræ fidei sufficienter probâsti, & debellatum est de omnibus Adversariis: eò quòd veram Ecclesiam in rebus fidei errare impossibile sit. Proinde (inferes) Ecclesia Romano-Catholica non errat docendo, Christum esse præsentem realiter in Evchariſtia, etiam extra usum, sine pane, peccata homini esse aperienda &c.

27 Alius modus *aggressivè* disputandi posset institui per varias quæstiones, v. g. sic. Vel Ecclesia tua (Lutherane, Calvinista &c.) est nova vel antiqua? Si nova: ergo non est Ecclesia à Christo fundata: si antiqua: ubi ergo fuit ante Lutherum, Calvinum, per tot sæcula? quis Historicorum ejus meminit? quis unquam ante hos Novatores ita in omnibus credidit, uti nunc vos? &c. 2. Vel Ecclesia Christi est fallibilis, vel infallibilis? si infallibilis: ergo Romana Ecclesia, quæ etiam juxta vos aliquando fuit Ecclesia Christi, adhuc est vera Ecclesia Christi, quia nunquam errare potuit. Si fallibilis: ergo etiam vestra Ecclesia est fallibilis: si fallibilis, nunquam potestis esse certi, utrùm rectè credatis, consequenter non potestis habere fidem firmam, & certam, adeóque nec Divinam, quæ debet tam objectivè quàm subjectivè esse certissima. 3. Vel possunt homines salvari in Ecclesia Romana, vel non? si possunt: ergo Lutherus, Calvinus, & eorum asseclæ egressi sunt de Ecclesia Salvifica, & pessimè eam deseruerunt cum tanta hominum strage &c. Si non possunt: ergo omnes per 12. vel plura sæcula fuerunt damnati, etiam tot Martyres pro Christo passi effuso sanguine, etiam Augustinus, Hilarius, Bernardus, Dominicus, Franciscus, alii innumeri, etiam miraculis conspicui &c. quos & ipsi vocatis *Sanctos*, & aliquos eorum etiam in ipsa Apologia Confessionis vestræ Augustanæ.

28 Si tam facilè ac solidè convinci possint Protestantes, quare ergo tam pauci convertuntur ad Ecclesiam Romano-Catholicam, à qua egressi sunt? R. Aliqui ideo, quia nostra argumenta & motiva credibilitatis pro nostra Religione, & falsitatis pro sua, non satis sunt ipsis cognita, vel non sufficienter applicata: & hi materialiter errant. Econtra alii, quibus hæc sufficienter perspecta sunt, ideo non convertuntur, quia nolunt; nimirum vel absterriti *difficultate*, quam apprehendunt in mutanda Religione, aut sibi imaginantur in iis, quæ reperiuntur apud Catholicos, cujusmodi est confessio peccatorum occultissimorum, necessitas emendandi vitam, & sibi temperandi à vitiis præsertim carnalibus, quibus dediti sunt, jejunia &c. vel prohibiti *respectu humano* erga consanguineos, Patronos, familiam &c. vel retracti *meru* amittendi bona temporalia, officia honorata &c. vel obdurati *mentis superbiâ*, ne videantur falsitatis convicti manus dare, & tamdiu tantâque pertinaciâ adhæsisse falsæ Sectæ, malamque propugnasse causam &c. Et hi formaliter, pertinaciter, & damnabiliter errant. His accedunt fraudes Prædicantium, qui odiosè, mendaciter & calumniosè traducere ac denigrare non cessant doctrinam Catholicorum, Papam, Clerum, Religiosos, præsertim jesuitas: ut nimirum aversione à teneris annis contra illos conceptâ fugiant, & se suos dedoceri errores non patiantur. Dicunt & clamant, Catholicos non curare Scripturam S. imò contemnere, pluris facere verba hominum & Papæ, quàm DEI & Evangelii, fidem penitus negligere, sola opera commendare, peccatores non ex meritis Christi, sed ex suis meritis justificari & salvari, Sanctos adorare tanquam Deos, Christo præponere Deiparam, in Evchariſtia adorare panem, in Consecratione uti magicis incantationibus, Jesuitas esse magos, diabolos, & hinc omnes habere unum pedem caprinum &c. Et sic depingunt Catholicos tanquam Idololatras, Hæreticos, Magos, & sceleratissimos mortalium. Quid mirum: quòd tantopere abhorreant a Religione Catholica imperiti?

TITULUS VIII.

De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Quid & quotuplex sit Schisma: quinam Schismatici.
4. Quibus subjaceant pœnis.
5. An valeat Ordo, quem confert Episcopus Schismaticus.

SCiendum 1. *Schismaticos*, qui Hæreticis valde cognati sunt, dici illos, qui seipsos ab Ecclesiæ unitate pertinaciter separant, & cum illa tanquam Corpore mystico communicare, ei subesse, & uniti esse detrectant, licet fortè retineant totam Fidem, & nullum articulum negent: siquidem *Schisma*, lanie *scissura*, cum S. Thoma *2. 2. q. 39. a 1.* communiter

muniter sic definiri solet: *est divisio, qua aliquis, vel aliqui, ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, prout hæc est corpus mysticum, ex universis fidelibus tanquam membris & Romano Pontifice tanquam capite constans, se ipsos pertinaciter segregant.* Unde Schismatici ab Hæreticis differunt 1. quòd illi se separent ab Unitate Ecclesiæ per inobedientiam erga Summum Pontificem tanquam caput Ecclesiæ: isti verò à Fide Ecclesiæ per doctrinam erroneam. 2. quòd Hæresis perficiatur etiam sola mente, licèt non in ordine ad pœnas Hæreticorum: Schisma verò ad sui consummationem requirat actum externum, quamvis in mente Fidem quis retineat, modò exteriùs ita se gerat, ac si Papæ non esset subiectus, nec pars Ecclesiæ; unde Catholici Angli, qui Regi suo tanquam capiti Ecclesiæ, licèt interiùs pro tali non agnoscant, exhibent obedientiæ signa, sunt veri Schismatici. 3. quòd externa saltem Hæresis esse nequeat sine Schismate, bene tamen Schisma sine Hæresi tam externa quàm interna. Unde

2 Sc. 2. Schisma dividi in Purum & conjunctum cum Hæresi. *Purum* est, quòd paulò antè descripsimus, quando nimirum aliquis Summo Pontifici quà tali, licèt eum agnoscat esse caput Ecclesiæ & verum Christi Vicarium, omnésque alios Fidei articulos credat, obedire pertinaciter detrectat. *Conjunctum cum Hæresi*, quando insuper negat aliquem Fidei articulum, v. g. Pontificem esse Christi Vicarium, caput Ecclesiæ, ei obediendum esse, vel alium errorem contra Fidem Ecclesiæ Catholicæ tenet pertinaciter. Purum schisma practicè rarum est, saltem diu, ut patet tum ab experientia in Schismate Græcorum, Schismate Anglicano &c. tum quia, qui pertinaciter negat obedientiam Pontifici quà tali, vel simul, vel saltem brevi pòst negabit, eidem obediendum, vel esse Caput Ecclesiæ Universalis, *ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur: can. 26. cauſ. 24. q. 3.* quod jam est error in Fide: quapropter ordinariè vel statim, vel paulò pòst, conjungitur cum Hæresi.

3 Sc. 3. ex dictis colligi, verè & propriè Schismaticos non esse. 1. qui solummodo sunt excommunicati; quia non ipsi se à communione cum Papa & Fidelibus segregant, sed excluduntur ab Ecclesia. 2. qui recedunt tantùm ab obedientia & unitate unius Episcopi, & suæ Diœcesis, non verò Summi Pontificis, capitis Universalis. 3. qui resistunt Pontifici non quà tali, sed quatenus particulare odium contra ipsum tanquam privatum vel ejus familiam gerunt, aut quia Papam habent meritò pro dubio, ut si duo sint electi per dissidium eligentium; aut qui Papam non recognoscunt tanquam dominum temporalem alicujus provinciæ vel civitatis, propterea fortè etiam bellum gerentes contra ipsum. 4. qui præceptum unum vel alterum Pontificis transgrediuntur, velut sibi nimis difficile visum, parati eidem obedire in cæteris & generaliter.

Dico 1. Schismatici purè & propriè tales (nam si simul sint Hæretici, incurrunt omnes pœnas Hæreticorum: si impropriè tales, nullas, etiam Schismaticorum, incurrunt) puniuntur ferè ut Hæretici, & sequentibus pœnis. 1. ipso facto sunt excommunicati, excommunicatione reservata, quamvis non eorum fautores &c. *Bulla Cœnæ casu 1.* quamvis hi posteriores juxta *can. 31. cauſ. 24. q. 1.* excommunicentur simpliciter. 2. privati existunt jurisdictione Ecclesiastica. *can. 31. cit. & c. 1. h. t.* licèt non potestate Ordinis: quare, licet invalidè absolvant, excommunicent, beneficia conferant, Indulgentias concedant &c. valide tamen, quamvis illicitè, conficiunt Eucharistiam, conferunt Ordines &c. 3. Inhabiles redduntur ad consequenda beneficia & dignitates Ecclesiasticas, antequam dispensetur cum ipsis, probabiliùs licet jam egerint pœnitentiam, ad unitatem Ecclesiæ reversi. *c. 5. de Elect.* & DD. cum Barbosa in *c. 2. h. t. n. 4.* Putant quoque aliqui DD. propter *c. 5. cit.* hanc inhabilitatem nunquam incurri, nisi Schisma sit publicum: quare nunquam dispensare poterit Episcopus, cui in Trid. *ſ. 24. c. 6. de ref.* datur potestas dispensandi in inhabilitatibus ex delicto occulto ortis. Censent quidem aliqui, Schismaticos ipso Jure, accedente tamen sententiâ declaratoriâ criminis, privari beneficiis, officiis, & dignitatibus priùs habitis, propter *c. un. h. t. in 6.* alii tamen cum Sanch. Garc. & P. Wiestner *h. t. n. 10.* id rectiùs negant, partim quia in *c. un. cit.* est sermo de casu speciali, quo postpositâ canonicâ electione alicujus Pontificis eligitur alius, partim quia dispositio *d. c. un.* est revocata in *Extrav. Dudum un. int. comm. eod.* excepta confiscatione bonorum Schismatici jam aliis applicatorum. Unde 4. bona Schismaticorum confiscantur. *c. un. & Extrav. un. citt.* Denique 5. fiunt infames & consequenter irregulares, at non infamiâ aut irregularitate Juris, quia neutra reperitur in Jure expressa, sed infamiâ facti, trahente post se irregularitatem, quæ incurruntur generaliter ex quolibet crimine enormi, depositione digno, & notorio, eóque nondum emendato. Præter has pœnas à Jure statutas irrogari & aliæ possunt à Judice Ecclesiastico, utì est privatio officiorum, exilium, carcer, triremes, mulcta pecuniaria &c. pro ratione delicti. Quorum omnium ratio est, quia crimen Schismatis censetur esse unum ex gravissimis; quòd enim in Communitatibus Politicis est seditio, id in Corpore Ecclesiastico est Schisma, inducens pugnam & scissionem inter membra & caput Ecclesiæ, quo nihil pestilentius. 4

Dico 2. Quamvis Ordines ab Episcopo Schismatico collati valeant. 2. ordinatus tamen ipso Jure suspensus est ab exercitio susceptorum. Pars prior constat indè, quòd potestas conferendi Ordines Jure Divino annexa sit Ordini Episcopali & characteri impresso, qui est indelebilis, consequenter & potestas ordinandi ab Ecclesia inauferibilis, utì 5

& potestas Ordinis Sacerdotalis. Posterior ex *c. 1. & fin. h. t.* Opponès. In *d. c. 1.* pronuntiatur, ordinationes hujusmodi *irritas esse.* R. cum Glossa & communi, esse irritas quoad executionem susceptorum Ordinum, quam quia non habuit sibi licitam ipse ordinans, dare non potuit ordinato: non verò quoad substantiam & in se. Cum tali tamen, qui ignoranter suscepit Ordines ab Episcopo Schismatico, ignorantiâ non crassâ, dispensare conceditur Episcopo. *Gloss. in c. fin. cit. v. potestatem.* Dein neque suspensionem ab exercitio Ordinum incurrit, nisi ordinans fuerit notoriè Schismaticus, & ut talis nominatim denuntiatus, ut habet valde probabilis cum Azor. Bonac. Palao, Pirhing *h. t. n. 10. & 11.*

TITULUS IX.

De Apostatis, & Reiterantibus Baptisma.

SUMMARIUM.

1. *Quid & quotuplex Apostasia: quinam Apostatæ, Fugitivi, & Reiterantes baptisma.*
2. *Quæ sint pœnæ Apostatarum à Fide.*
3. *Apostatarum à Religione.*
4. *Apostatarum ab Ordine.*
5. *Et Reiterantium Baptisma.*

1 SCiendum, Hæreticis iterum valde vicinos, vel omnino Hæreticos esse *Apostatas à Fide, & reiterantes Baptismum.* Per *Apostatas*, quæ vox Latinè desertores, rebelles, transfugas denotat, in genere intelliguntur hoc loco, qui deficiunt vel recedunt ab instituto prioris vitæ, quod publica professione susceperant. Sunt in triplici classe 1. Apostatæ à Fide. 2. à Religione. 3. ab Ordine. Unde & triplex consideratur apostasia, scilicet *Apostasia à fide*, vel *perfidia*, quæ est totalis recessus à Fide Christiana, dum ex Christiano quis efficitur Judæus, vel Paganus, vel Turca, Atheista. Talis Apostata differt ab Hæretico non essentialiter, sed tantùm accidentaliter & nominaliter; nam Apostata totam Fidem Christianam deserit, & in omnibus, saltem iis, quæ concernunt Christum, Hæreticus verò in uno tantùm vel pluribus articulis: magis autem & minus non mutant speciem. *Apostasia à Religione*, quando quis post edita in Ordine vere Religioso & approbato vota substantialia, etiam simplicia tantùm, cujusmodi habent aliqui in Societate JESU, absque obtenta priùs licentia temere recedit à Religione, & quidem sine proposito redeundi, vel cum proposito nunquam redeundi, sive dimisso habitu sive retento, ut tenet communior; quia sicut habitus non facit Monachum, ita nec destruit Monachum, licèt quoad pœnas faciendum sit discrimen, uti videbimus, inter eum, qui deponit, & qui retinet habitum. Siquis non totaliter recederet ab Ordine Religioso, sed tantùm à suo, sine licentia cum animo ingrediendi alium Ordinem, putant communiùs cum Sanch. & Rodriq. talem non esse verum apostatam, dissentiente Suar. & Palao: in Societate JESU tamen recedens sine licentia Superiorum cum animo ingrediendi alium Ordinem, exceptô Carthusianô, pro vero apostata declaratur à Gregorio XIII. in Bulla *Ascendente Domino*, item à S. Pio V. in Bulla *Æquum reputamus.* Rursus Apostata non est, sed *Fugitivus*, qui sine licentia recedit, at cum animo redeundi: si tamen diutiùs, v. g. per tres vel 4. annos ita vagaretur, pro foro externo præsumeretur esse Apostata, nisi animum redeundi se habuisse probaret. Qui verò recederet sub prætextu nullitatis votorum, super hac prætensione non audiendus esset, nisi priùs rediisset ad claustrum. Trid. *sess. 25. c. 19. de Regular.* Licèt audiantur Romæ, & pro Apostatis non habeantur, si recto tramite ad Urbem recurrant super gravaminibus per suos sibi Superiores illatis, ut habent Decreta Congreg. S. apud P. Schmalzgrueber *h. t. n. 16.* sed hi caveant, ne levi de causa & temere eò recurrant. *Apostasia ab Ordine*, scilicet Clericali, quando nempe quis in Sacris seu Majoribus Ordinibus constitutus, dimisso habitu Clericali ad Statum Laicalem, vel etiam Matrimonialem propria temeritate attentat transire. Denique *Reiterans Baptisma* dicitur, qui jam semel valide & absolutè baptizatus se denuo facit aut permittit scienter baptizari, vel qui alium jam semel valide baptizatum, v. g. in infantia, scienter & absolutè rebaptizat post aliquod tempus, v. g. post obtentum rationis usum: vocantur *Anabaptistæ* (olim Baptismum reiterabant Novatiani, & Donatistæ Hæretici) & hæc reiteratio est gravissimum sacrilegium; cùm baptismus ex institutione Divina iterabilis non sit. Trid. *s. 7. can. 9.*

Dico 1. Pœnæ Apostatarum à Fide, uti & fautorum &c. imprimis sunt omnes, quæ utroque Jure in Hæreticos (cùm revera sint Hæretici cum aliquo excessu) statutæ sunt, tam spirituales quàm temporales, uti excommunicatio reservata, inhabilitas ad dignitates, beneficia, & officia, eorumque jam priùs habitorum, & jurisdictionis, ordinumque exercitii, & sacræ sepulturæ privatio, infamia, intestabilitas activa & passiva, confiscatio bonorum, ultimum supplicium &c. neque ipsos juvat in Romano Imperio Lutheranorum & Calvinistarum toleratio. Ac insuper specialibus subsunt pœnis, præsertim quòd in perpetuum accusari possint, & post mortem quoque in suis usque ad quinquennium *l. 2. l. 4. C. h. t.*

Dico 2. Pœnæ Apostatarum à Religione; de Jure Communi latæ sunt. 1. excommunicatio ferendæ in eos, qui non dimiserunt habitum, & latæ sententiæ in eos, qui dimiserunt. *c. 2. ne Clerici vel Monachi.* P. Wiestner *h. t. n. 10.* & alii. In Societatis apostatas est semper excommunicatio latæ propter *cit. Const.* Gregorii XIII. Idem obtinere dicitur apud PP. Franciscanos. 2. Suspensio ab exercitio Ordinum in Apostasia susceptorum, donec Papa dispensaverit. *c. fin. h. t.* ex quo inferunt

inferunt etiam prohibitum esse ascensum ad altiores Ordines. 3. amissio omnium privilegiorum suæ Religionis, at non nisi post sententiam declaratoriam criminis, & si apostata dimisit habitum. Trid. *s. 25. c. 19. de Regular.* Wiestner *n. 11.* Quia verò Tridentinum *l. cit. c. 4.* apostatas arbitrio Superiorum puniendos relinquit, & *c. 5. h. t.* incarcerari permittit, & habitum reassumere recusantes tam gravi custodia asservari vult, ut solummodo misera ipsis vita relinquatur, ideo liberum est Religiosis Superioribus eos punire specialibus illis pœnis, quas sui Ordinis Constitutiones, Regulæ, & Consuetudines præscribunt, licitúmque ipsis est apostatas, uti & fugitivos suos, ubicunque locorum fuerint, persequi, & deprehensos capere, invocato etiam ad id brachio sæculari, incarcerare, ac aliis modis coërcere. per *c. quanto 7. de Offic. Ord. c. ult. de Regular.* Vid. Rodriq. *to. 1. Regular. quæst. q. 30.* Reiffenstuel *h. t. à n. 18. Compend. privileg. Societ. V. Apostatæ. §. 5.* Id adhuc observandum est, Apostatis Regularibus, qui dimisso habitu in terris Hæreticorum vagantur, S. Pœnitentiariam Romanam, cui ad hunc effectum offerendæ sunt preces, factô verbô cum Pontifice per Rescriptum sæpius indulgere, ut ad quamcunque aliam Religionem, si aliqua velit recipere, vel etiam (quod tamen rarò contingit) ad non clausralem transire valeant, ut nimirum alliciantur ad reditum in gremium Ecclesiæ Catholicæ, quod sæpe ipsimet etiam desiderant. Monacell. *in Append. p. 1. fol. 342. n. 4.*

4 Dico 3. Pœnæ Apostatarum ab Ordine sunt 1. amissio privilegii *Canonis*, ita ut citra excommunicationem percuti possint (sed fortè non ante trinam Episcopi monitionem) per *c. 1. h. t. & c. 23. de sent. Excomm.* minùs videntur ipso facto amittere privilegium *Fori*; cùm in Jure non reperiatur expressum. 2. excommunicatio ferendæ sententiæ. per *c. 3. h. t.* latæ autem, non tamen reservata, si attentent contrahere Matrimonium. *Clem. un. de Consang.* 3. incarceratio tam severa, ut non nisi *vita sibi misera reservetur. c. 5. h. t.* sed solùm tunc, quando nulla ratione induci possunt ad reassumendum habitum. 4. infamia, sed facti tantùm, si apostasia sit notoria. 5. irregularitas, at non nisi generalis, respondens infamiæ facti, si tamen contraxissent Matrimonium & consummâssent, forent irregulares proprie ob bigamiam similitudinariam.

5 Dico 4. Pœnæ reiterantium baptisma sunt 1. irregularitas respectu utriusque, tam rebaptizantis, & rebaptizanti publicè ministrantium ex officio, quàm rebaptizari se permittentis. *can. 65. d. 50. c. 2. h. t.* 2. depositio, si Clericus, & excommunicatio ferendæ sententiæ, si Laicus fuerit. per *can. 118. d. 4. de consecr.* Abb. *in c. 2. cit. n. 2.* P. Wiestner *h. n. 18.* & alii. 3. ultimum supplicium, iterum respectu utriusque. *l. 2. C. Ne sanct. baptis.* vel exilium, mulcta pecuniaria &c. secundùm *l. 3. eod.* Perez *ad tit. cit.* Nec Anabaptistæ in Imperio Romano sunt tolerati.

TITULUS X.

De his, qui filios occîderunt.

SUMMARIUM.

1. Ingressus ad sequentes Titulos.
2. Quid & quotuplex sit Parricidium.
3. Quæ illius propriè dictæ pœnæ.
4. Et fœminæ ad occultandum delictum, ex quo concepit, occidentis propriam prolem:
5. Vel parentum tenellos infantes in suo lecto collocantium, & casu opprimentium.
6. Quæ pœnæ Parricidii improprie dicti.

SCiendum 1. post delicta Religioni, & cultui Divino immediatè adversantia, nunc gradum fieri ad delicta, quibus læditur immediatè proximus vel in vita & membris, vel in pudicitia, vel in rebus fortunæ. Quapropter per sex *titulos* agitur de Homicidio, causis, & occasionibus illius: tum per unum de Adulteriis, Stupro, aliisque delictis carnis: demum per sex iterum de Rapina, Furtis, Usuris, & aliis crimimibus, quibus nocetur vel noceri potest proximo in rebus temporalibus. Cùm verò in genere homicidii atrocissimum sit *Parricidium*, cujus unica species in *Rubrica* præsentis tituli exprimitur, primô locô agitur de parricidis propriè & improprie dictis. 1

Sc. 2. *Parricidium* si nomen spectetur, quasi *parenticidium*, vel parentum cædem. *l. 1. ff. ad Leg. Pompejam de parricid.* in genere dici homicidium in personas conjunctas impiè commissum. Dividitur in *propriè dictum*, quando parentes occîdunt liberos, nepotes, aut alios descendentes in linea rectâ, vel vicissim liberi parentes, aut quoscunque ascendentes in linea rectâ, sive dein liberi sint legitimi, sive naturales, aut spurii; & in *improprie dictum*, quando occîditur consanguineus collateralis usque ad 4. gradum, puta frater, soror etiam unius tantùm vinculi, patruelis, consobrinus, patruus, avunculus &c. vel affinis, uti conjunx; præsertim si affines veniunt nuncupatione parentum & liberorum, uti si vitricus vel noverca privignum vel privignam occîdat, aut vicissim, si occîdatur gener, nurus, socer, socrus; quam vis Farinac. & Pirhing ultimos reducant ad proprie dictos parricidas. vid. *l. 1. & 3. ff. ad Leg. Pompejam de parricid. l. un. C. de his, qui parent. vel lib. occid.* & ibi DD. ex ratione, quòd omnibus his personis ob jus vel sanguinis vel conjunctionis major pietas aut reverentia debeatur, quàm extraneis. Neque obstat, quòd vi patriæ potestatis, quam habet pater in liberos, eidem tribuatur jus disponendi etiam de vita & nece liberorum. *l. 11. ff. de liber. & posthum. l. fin. C. de patr. potest.* quia illa *Lex Regia* tantam tribuens patri potestatem etiam in vitam liberorum sublata est. *l. 5.* 2

ad Leg. Pomp. ff. de parricid. utì & quævis atrox animadversio in liberos; cùm patria potestas in pietate, non in atrocitate debeat consistere. *l. 5. cit.* DEúsque sibi soli jus & dominium vitæ necisque hominum reservârit. Id verum est, quòd parricidii se reos non faciant, qui parentes, liberos &c. tanquam injustos aggressores ad defensionem vitæ propriæ occîdunt, servato moderamine inculpatæ tutelæ, item qui eos tanquam rebelles patriæ interimunt, cùm pietas erga patriam præferenda sit pietati erga parentes, vel reverentiæ erga alios conjunctos. *l. 35. ff. de Relig. & sumpt. fun.*

3 Dico 1. Pœnæ parricidii propriè dicti, præsertim si parentes occîdunt liberos, de Jure Canonico, quamvis olim variæ fuerint, & inter alias etiam impedimentum impediens Matrimonii. *can. 15. causs. 33. q. 2. & c. 1. h. t.* hodie tamen exoleverunt, & pœna est arbitraria, imò, nisi Reus conventus sit persona Ecclesiastica, parricidium non solet puniri in foro Canonico sed relinquitur Civili, uti notant DD. cum Farinac. & Pirh. Unde, si Clericus sit, degradatus tradi debet Curiæ Sæculari. 2. De Jure Civili autem olim parricida seu occidens parentem, vel liberos, virgis sanguineis, h. e. ad sanguinem usque verberandus, & culeo, h. e. sacco coriaceo, cum 4. animalibus, cane, gallo gallinaceo, vipera, & simia, insutus in mare aut flumen proximum projiciendus erat, ut omni elementorum usu vivus carere incipiat, & superstiti cœlum, terra mortuo auferatur. §. *6. Inst. de publ. Judic. l. 9. ff. ad L. Pomp. & l. un. C. citt.* Quæ pœna ubique locorum dicitur esse abrogata, vel saltem mitigata, & licèt in Hispania adhuc habeat locum, Reus tamen priùs interficitur: ratio abrogationis vel mitigationis fuit periculum desperationis in taliter punito. Vi consuetudinis vel statutorum defacto in variis provinciis varia est mortis pœna cum majori vel minori exasperatione pro diversitate circumstantiarum. Alicubi subjiciuntur Rotæ, alibi caudæ equi alligati raptantur ad locum supplicii, & truncato capite affiguntur Rotæ, vel alias sepulturâ Ecclesiastica privantur, alibi strangulati & dolio inclusi abjiciuntur in flumen, alibi ante ultimum supplicium ardentibus torquentur forcipibus &c. 3. Iisdem pœnis subjacent fœci & participes hujus atrocis delicti. *l. 6. ff. ad L. Pomp. cit.* sive dein cooperati sint mandatô, vel consiliô efficaci, sive auxiliô & ope, v. g. emendo venenum, ut illud filius det patri. 4. Extenduntur quoque dictæ pœnæ ad conatum, licet effectus occisionis per accidens non sit secutus. per *l. 1. l. 7. ff. eod.* Berlich. Harpp. Pirhing & alii; quamvis enim teste Claro *l. 5. §. fin. q. 92.* in ordine ad pœnas, saltem ordinarias, à Judice Humano infligendas ex universali consuetudine conatus pro effectu non sit computandus, idem tamen excipit crimina atrocissima, quale utique est parricidium, ubi conatus venit ad actum proximum, & per delinquentem non stetit, effectum non esse secutum. Mitiùs tamen etiam in hoc crimine sentiunt alii plurimi.

Quæres, qua pœna sit afficienda fœmina, quæ ex delicto concepit, & fœtum vel in uterô adhuc existentem datâ operâ suffocat, vel editum in lucem interficit ad occultandum delictum, quod nimis frequenter contingit? R. quamvis de Jure Antiquo subjaceret etiam pœnæ culei, in Pœnali tamen Constitutione Caroli V. *art. 131. & 133.* jubetur viva defodi in terram, palô per ejus corpus transfixô, vel ad evitandam desperationem aquâ suffocari in flumine. Verum & hæc utraque pœna in desuetudinem abiit, & passim truncatur capite, ita tamen, ut pœna hæc, vel alia capitalis, pro ratione circumstantiarum, v. g. si una eademque sæpius occîdisset, vel semel quidem, at valde crudeliter & inhumaniter, soleat exasperari, v. g. raptando ream ad locum supplicii, ignitis forcipibus torquendo &c. D. Fröhch *in Alemest p. 2. l. 2. tit. 11. n. 1. 2.* Carpzov. alii. De Jure Canonico hodie pœnæ graves statutæ sunt in procurantes directè vel indirectè abortum à Sixto V. in *Const. Ad effrenatam 7.* & Gregor. XIV. *in Const. Sedis Apostolica 8.* nimirum irregularitas, excommunicatio, inhabilitas ad officia & beneficia Ecclesiastica ante omnem sententiam incursa in foro conscientiæ, etsi delictum sit occultum: si res deferatur ad judicium & reus sit Clericus, procedi contra ipsum debet privatione privilegii Clericalis, depositione, imo & degradatione, qua prævia tradendus Curiæ Sæculari, ut puniatur juxta morem hujus fori. Pirhing *h. n. 5.* Reiffenstuel *n. 12.* Sed Gregor. XIV. ita moderatus est Bullam Sixtinam, ut dictæ pœnæ non incurrantur, si fœtus nondum fuisset animatus, & ut excommunicatio non sit reservata Papæ, licet fœtus jam fuisset animatus. In foro Civili, si fœtus, quem fœmina abigit malitiose ex utero, nondum esset animatus anima rationali, pro arbitrio Judicis punienda foret, v. g. relegatione, fustigatione &c. non tamen morte. Clericus autem, qui caulam dedit abortui fœtûs animati, etiam per culpam levem, v. g. jocô apprehendens mulierem prægnantem, de Jure Canonico efficitur irregularis. *c. 20. de homicid.*

Dubitabis, cui pœnæ subjaceant parentes, qui non dolô malô, at non sine culpa, prolem occîdunt, v. g. collocando eam in eodem secum lecto, & in somno vel alias præter intentionem opprimendo? R. si satis constet, quòd ab uno, & à quo ex parentibus oppressus sit infans, isque sine justa causa in lecto parentum collocatus, est pœna homicidii simplicis ordinaria. per *can. 20. caus. 2. q. 5.* ubi etiam monendi dicuntur parentes, ne tenellos infantes secum in eodem lecto reponant. Leuren. *h. t. q. 216.* Si autem nesciatur, an infans morte naturali, vel culpâ parentum, aut cujus culpâ extinctus sit, pœna est arbitraria; nam pœniten-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

tia trium annorum, quorum unus in pane & aqua erat transigendus, de qua loquitur *c. fin. h.t.* exolevit. Abb. in *d. c. in f.* Menoch. Pirhing &c. In quibusdam diœcesibus parentes, qui culpabiliter in eodem loco collocant tenellos infantes, incurrunt casum reservatum Episcopo. Si verò parentes culpâ vacent, puta si lectus sat amplus fuerit, ac justa causa accesserit, quia v. g. infans aliàs à frigore defendi nequit, aut implacabilis est, debitámque cautelam adhibeant, ne infans lædatur, à culpa & omni pœna erunt immunes.

6 Dico 2. Pœna parricidii impropriè dicti est ordinaria Legis Corneliæ de Sicariis, nempe ultimum supplicium, aliis homicidis commune. §. 6. *Inst. & l. 9. citt.* quamquam juxta Constit. Carolinam *art. 137.* præcedere debeat aliqua exasperatio, v. g. Rei raptatio in traha ad locum supplicii, vel adustio candente ferro &c. si occidatur conjunx, vel cognatus propinquior, item, si specialis crudelitas intervénit, etiam crurifragium vel saltem injectio corporis in rotam, finitô gladii suppliciô. Frölich. *tit. 14. n. 1.* Stryckius *ad Pandectas tit. ad Leg. Pompe. de parricid. §. 1. 2.* & alii.

TITULUS XI.

De Infantibus, & Languidis expositis.

SUMMARIUM.

1. *Quid per Infantes & Languidos expositos intelligatur.*
2. *Parentes per se graviter peccant exponendo proles suas.*
3. *Excusatur tamen probabiliter fœmina, quæ ad declinandam infamiam exponit prolem suam in loco tuto.*
4. *Pœnæ exponentium illicitè.*
5. 6. *A quo & quibus expensis alendi sint infantes expositi, fortè reperti.*
7. 8. *Expositi rectiùs habentur pro Legitimis &c.*
9. *Quæ sit obligatio dominorum ad famulos languidos, seu agrotantes.*

1 SCiendum, proximam parricidio inhumanitatem committi à parentibus, qui *infantes* suos, nimirum liberos septenniô minores, & ab aliis, qui *languidos*, h. e. infirmos cujuscunque ætatis, gravi ac diuturno morbo laborantes *exponunt* periculosè, seu deserunt, vel quasi pro derelictis habitos fortunæ casibus objiciunt cum majori vel minori, prout fuerit expositio, vitæ illorum periculo, quibus tamen educationem, alimenta, & curam impendere tenerentur. Hujusmodi expositio *liberorum* cùm ex paupertate parentum, & maximè ob verecundiam matrum, quæ ex delicto conceperunt, id occultare volentium, item servorum vel *famulorum agrotantium* à dominis ex sorditie, vel duritie cordis, contingere soleat, examinare oportet, qualiter nempe exponentes delinquant, quibúsque pœnis pro foro externo se reddant obnoxios: à quibus expositi sint suscipiendi & alendi: item an exposititii infantes, Fündl-Kinder/ Fündling/ fortè reperti, sint habendi pro legitimis vel illegitimis.

Dico 1. Parens, vel parentes, per se pec- 2
cant gravissimè exponendo infantes, non tantùm, quando exponunt ea intentione, ut pereant, vel prævident, facilè perituros, ob defectum alimentorum, vel frigoris, aut alium casum, vel ex morsu animalium &c. sed etiam eo fine, ut ab aliis educandi assumantur. Communis ex *can. ult. d. 87. c. un. h.t. l. 2. C. eod. l. 4. ff. de agnosc. & alend. lib. Nov. 153. pr. & c. 1.* Ratio, quia, licèt non intendant occidere, idem tamen æquivalenter volunt exponendo mortis periculo alimentis destitutos, vel alimenta negando, ad quæ tamen omni Jure tenentur. Dixi, *per se*: excusantur enim à Barbosa, Gonzal. *in d. c. un. n. 10. in fine.* P. Wiestner *h. n. 1.* & aliis passim, si parentes tam sint pauperes, ut nec per se, nec per alios alimenta præstare possint, ac insuper in tali loco exponunt, ubi moraliter certum est, expositos nullum vitæ periculum subituros, sed vel à piis hominibus, vel xenodochiis &c. statim assumendos & alendos esse, v. g. si exponant in loco pio, vel ad ædes divitis & probi, vel in civitate, ubi in hunc finem sunt erecta brephotrophia, Findl-Häuser/ orphanotrophia, Waisen-Häuser. Putarem tamen, eos priùs allaborare debere, ut in Hospitali, vel ab aliis recipiantur alendi. Utrùm verò excusetur pariter fœmina, quæ ex delicto concepit & peperit, atque ad evitandam infamiam exponit prolem, dubitabis. Ad quod

Dico 2. Probabiliter licitum est fœminæ, 3
aliàs bonæ famæ, ad declinandam infamiam, quam alio modo evitare nequit, exponere propriam sobolem, modò exponat in loco tuto, & tali, ubi moralis est spes, eam à piis hominibus, vel fundationibus, brevi inveniendam, assumendam, & alendam esse, v. g. ad ostium Ecclesiæ, Hospitalis, vel alicujus privati bene habentis, vel potentis providere, & simul pii, qui credatur curam illius in se susceperturus. Julius Clarus *Sentent. lib. 5. §. fin. q. 83. n. 7.* Menoch. *de Arbitr. Jud. lib. 2. casu 396. n. 6.* Sanch. *l. 1. Cons. Moral. c. 5. dub. 4. n. 16.* Henriq. *l. 11. de Matrim. c. 19. n. 3.* P. Seybold in *Erotem. Reipub. Christ. p. 7. §. 11. n. 13.* Ratio, quia talis Mater in angustias redacta videtur retinere jus ad conservandam bonam famam, quamdiu delictum manet occultum, si simul conservet vitam prolis, ejúsque alimentationem & educationem dicto modo procuret; licèt proles subeat aliqua incommoda; sicut juxta communem mater in conjugio existens, & prolem ex alio suscipiens, ad conservandam famam regulariter non tenetur id manifestare marito, licèt huic, & liberis legitimis, aliquod creetur præjudicium; quia fama bona, ad quam habet jus delictô adhuc occultô, tanquam bonum altioris ordinis rectè præfertur,

tur, & obligatio manifestandi esset nimis ardua. Confirmatur ex paritate cum causa paupertatis parentum: sicut enim illis licet exponere prolem ob nimiam difficultatem alendi, ita videtur à fortiori iisdem licitum exponere (in loco tuto &c.) ob nimiam difficultatem, quæ est in amissione famæ, quæ unà cum prole adhuc salvari potest per expositionem. Oppones 1. *ubi justa est offensio, ibi injusta est defensio:* sed amissio famæ & honoris in tali fœmina, quæ ex delicto peperit, est justa, utpote quæ unà cum corpore prostituit sponte famam & honorem suum; cùm potuisset & debuisset prævidere, ex suo delicto nascituram prolem, & orituram infamiam: ergo ad hanc declinandam justa non est defensio famæ per expositionem prolis. 2. qui operam dedit rei illicitæ, meritò sustinet ea, quæ rem & actionem illicitam consequuntur, præsertim si prævideri potuerunt: sed talis fœmina operam dedit rei illicitæ corpus suum prostituendo &c. ergo. 3. Non licet procurare abortum ad conservandam famam: ergo nec exponere prolem ob eandem causam. 4. Qui prolem exponunt, videntur occidere. *l. 2. & l. 4. citt.* & ipsi parentes omni jure tenentur educare proprias soboles, non aliis obtrudere alendas: ergo. R. ad 1. *dist. min.* amissio famæ & honoris est justa, non tamen præcepta, si unà cum prole possit conservari fama, uti potest, quando delictum adhuc est occultum. *C. Min.* est præcepta in talibus circumstantiis. *N. Min.* & retorq. in parentibus ob paupertatem exponentibus. Ad 2. *dist. Ma.* meritò sustinet, & tenetur, nisi justam habeat causam illa declinandi. *C. Ma.* si habeat. *N. Ma.* Evitatio infamiæ non minùs est justa causa exponendi, quàm paupertas parentum. Ad 3. *N. Cons. & parit.* quia procuratio abortûs, velut occisio innocentis, aut dispositio ad eandem per se ordinata, est intrinsecè & in omnibus circumstantiis mala, non autem expositio. Ad 4. *dist. ant. quoad primum membrum:* qui prolem exponunt cum periculo interitûs, vel cum intentione interitûs. *C. Ant.* qui in loco tuto, ubi moraliter non est periculum interitûs &c. *N. Ant.* Educatio quidem incumbit parentibus per se, per accidens tamen excusantur ex justa causa, v. g. paupertatis, & juxta dicta etiam ex causa declinandi infamiam.

4 Dico 3. Pœna Civilis parentum liberos illicitè exponentium est amissio patriæ potestatis, ita ut jura & nomen patris, ac matris, non ampliùs retineant. Idque procedit, licèt ipsi non exposuerint, modò consenserint, vel ratum habuerint. Extenditúrque ad dominos servum vel libertum languidum dictô modô exponentes, vel consentientes, ut nempe amittant potestatem dominicam. *c. un. h. t.* Quamvis illi, qui suscipiunt expositos vel alunt, nihil in eos juris acquirant. *c. un. cit.* nempe nec potestatem patriam, nec dominicam, nec jus in eorum bona. In quantum verò patria potestas est favorabilis liberis, vi cujus liberi succedunt parentibus, alimenta, dotem &c. exigunt ab iisdem, perdurat. 2. Pœna Criminalis, si infans fuit expositus in loco periculoso v. g. solitario, quò rari commeant homines, vel in sylva &c. & infans re ipsa extinctus, est pœna capitis. *l. 4. cit. l. fin. C. h. t. Constit. Carol. V. art. 132. in f.* Si verò extinctus non sit: vel si extinctus quidem, quia forte per accidens nemo tam citò intervenit, expositus verò in loco aliàs non periculoso aut solitario, pœna est arbitraria, vel corporis afflictiva, v. g. fustigatio &c. vel relegatio, pro diversitate circumstantiarum, uti docet Carpzov. *Pract. Crim. p. 1. q. 12. n. 11.* Menoch. *casu 396.* &c. & insinuatur in *d. Constit. Carolina.*

Dico 4. Expositos, fortè repertos, suscipere & alere tenentur 1. brephotrophium vel Hospitale, ad hujusmodi pia officia erectum, 2. his deficientibus Ecclesia. 3. si hæc sufficientes reditus non habet, communitas loci, in quo inventi sunt, communibus expensis, Barbosa, & P. Wiestner *h. t. n. 6.* Excipe, nisi aliquis privatus velit hoc pietatis onus in se suscipere. 2. nisi sciantur parentes: tunc enim ad hos remitti possunt, si sint potentes alere. 3. nisi sciatur locus, quo proles est nata, non tamen exposita: si enim in loco, quo nata est, parentes habuissent stabilem sedem & domicilium, illuc remitti posset. Dixi, *tenentur*, nempe ex pietate & misericordia, quæ urget, quando proximus est in extrema necessitate constitutus, uti verè sunt tales expositi.

Quæres, an suscipiens & alens expositos à parentibus, si isti resciantur, possit repetere refusionem expensarum? R. affirmativè, si parentes sint satis habentes, negativè, si pauperes, quisquis fuerit suscipiens & alens, etiam locus ad id bene fundatus. Ratio prioris partis est; quia nemo, nisi aliunde constet, censendus est parentum divitum, qui per delictum exponunt, velle liberos gratis alere & educare, ac absque onere restitutionis: nec ejusmodi loca pia sunt erecta ad liberos divitum sceleratorum alendos, sed ad pauperes. Ratio posterioris partis à pari; quia eleemosynæ pauperibus datæ non repetuntur. per *can. 15. caus. 12. q. 2.* sed censentur liberaliter donari. Atque hic dissidentes in speciem Auctores conciliantur, quorum aliqui cum Sanch. Cajet. Nav. Sylv. & König *h. n. 9.* refusionem expensarum absolutè permittere, alii cum Azor & Pirhing absolutè negare videntur. Illud adhuc observo cum P. Seybold §. 12. *n. 2.* ex legibus, quas pro prima sententia adducit P. König, parùm probari, & ab Auctoribus quibusdam, præsertim Legulejis, sæpe accumulari leges, etiam ubi nulla est necessitas, sed tales, quæ, si inspiciantur, parùm ad rem faciunt, & crebo, quod ajunt, ad propositum raptantur, magis sollicitis, ut ad plausum ad quamlibet ferè voculam legum farraginem addu-cant, quàm ut solidè probent. Sufficere

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lex unica, si ea foret certa & ad rem, non dubia, non obscura, non revocata per alias leges, vel abrogata : secus, etiam innumeræ parùm efficient.

7 Dico 5. Expositi, quorum parentes ignorantur, rectiùs habentur pro legitimis. 2. quamvis ad Officia, Dignitates, Canonicatus &c. in quibus per fundationem vel statuta requiritur qualitas nobilitatis, non admittantur. 3. & securiùs nec ad Ordines & Beneficia Ecclesiastica Curata sine prævia dispensatione, quam dare potest Episcopus. 4. Fiunt quoque Cives, seu jus civitatis acquirunt in loco, ubi inveniuntur expositi. Pars 1. quæ valde est controversa, & defenditur à Baldo, Menochio, Barb. Gonzal. Wiestner, & comuniore, contra Suar. Vasq. Covarruv. Garc. Rebell. & alios, quos allegat Barbosa *de offic. & pot. Episc. alleg. 51. n. 148.* qui tamen ipse *n. 50.* tenet nostram. Probatur 1. ex *c. un. h. t.* ubi expositi liberantur à patria potestate : sed patria potestas locum non habet nisi in liberis legitimis. *§. ult. Inst. de Nuptiis.* 2. Nonnunquam exponuntur etiam legitimè nati, v. g. propter paupertatem, metum instantis periculi &c. uti etiam contigit Moysi, Cyro, Paridi, Semiramidi Babyloniorum Reginæ &c. ergo dubium est de singulis expositis, an non sint legitimi : atqui in dubio semper benigniora sunt præferenda. *l. 56. ff. de R. J.* maximè quando agitur de legitimitate prolis. *arg. c. 14. qui filii.* Et hinc pro legitima habetur proles, non ordinario tempore nata, sed mense etiam septimo, vel undecimo &c. 3. In dubio præferenda est præsumptio, quæ excludit peccatum. *arg. c. 2. de R. J. & l. 51. ff. Pro Socio :* ergo non debet præsumi, expositos esse natos ex concubitu peccaminoso, sed Matrimoniali. 4. Satius est in gratiam paucorum, qui possunt esse legitimi, & sunt re ipsa, omnes expositos reputare pro legitimis, quàm ob plurium illegitimorum, qui ob pudorem & declinandam infamiam exponuntur, innocentes & legitimos privare jure legitimitatis; quia id nemini, illud verò aliquibus saltem, qui nempe sunt legitimi, præjudicaret. Pars 2. quam tenent etiam nostri Patroni communiter, suadetur indè, quòd, licèt qualitates, quæ communiter insunt omnibus, inesse rectè præsumantur, uti est legitimitas, non tamen præsumantur aliæ qualitates, quæ communiter non insunt, uti nobilitas, vel qualitates specialiter requisitæ à Fundatoribus. Pars 3. ex eo, quia sic magis removetur omne periculum illicitæ promotionis, quod datur ob oppositæ sententiæ probabilitatem. Quamvis autem Episcopus aliàs in irregularitate & defectu Natalium dispensare nequeat, potest tamen in casu dubii. Pars 4. quam tradit Antonius Faber, Wagnereck in *c. un. cit. in fin.* & alii, fundatur in favore expositorum, utpote prorsus innocentium.

8 Oppones 1. Longè plures illegitimi exponuntur, quàm legitimi : sed à comuniter, contingentibus præsumptio fit, & argumentum ad omnes. *arg. l. 114. ff. de R. J.* ergo. 2. Qui certum patrem demonstrare non possunt, dicuntur Spurii. *l. 23. ff. de stat. hom.* sed expositi non possunt demonstrare certum patrem. 3. Justæ nuptiæ, ex quibus solis nascuntur legitimi, consistunt in facto : sed in dubio factum non præsumitur, sed probandum est : ergo. R. ad 1. *Minor* non procedit, quando in oppositum militat una aut altera præsumptio fortior : sed præsumptio pia in favorem prolis, item quæ excludit delictum parentum, est fortior illâ, quæ fundatur in communiter contingentibus. Ad 2 id non procedit in expositis, pro quibus stant fortiores præsumptiones, & favor Jurium. Ad 3. Etiam fornicatio & illicitus concubitus consistit in facto : atqui rectiùs præsumitur tale factum, à quo abest peccatum, & ex quo nemini præjudicatur, uti est concubitus Matrimonialis, ex quo proles fiunt legitimæ, quàm oppositum.

Quæres, quæ sit obligatio dominorum ad 9 famulos languidos seu ægrotantes ? R. Præcisè ob famulatum tenentur quidem suppeditare alimenta, & aliquam eorum curam habere, non tamen magnas, sed tenues tantùm, facere expensas in Medicos, pharmaca &c. Communis. Utrùm verò teneantur dare mercedem pro tempore, quo ægrotant famuli, disputatur, & verisimiliùs affirmatur saltem quoad illum annum, quem servire jam cœperunt, vel saltem quoad partem anni, si ad partem sunt conducti famuli. *arg. l. 15. §. 1. C. de Advoc. diversor. Judicior.* Dixi, *præcisè ob famulatum* ; nam ex charitate tenentur, si sint divites & famuli pauperes, ad majores expensas, quibus miseri, in gravi vel extrema necessitate constituti, indigent ad conservandam vitam vel reparandam valetudinem.

TITULUS XII.

De Homicidio Voluntario, vel Casuali.

SUMMARIUM.

1. *Quid sit Homicidium, directè & indirectè Voluntarium, Casuale, Necessarium, Dolosum, Culposum, Licitum & Illicitum.*
2. *Simplex, & Qualificatum. Ad illicitum & pœnis obnoxium non sufficit solus conatus, nec sola intentio occidendi.*
3. *Fieri potest physicè, & moraliter.*
4. *Quid sit Mutilatio.*
5. 6. *Homicidii illiciti etiam in foro externo reus est, qui in ira, vel crapula &c. occidit, vel qui Judæum, seipsum, fœtum in utero existentem, & ordinariè etiam, qui bannitum interimit.*
7. *Item qui occidit falsos testes, falsum Judicem.*
8. 9. *Aut ad conservandam præcisè famam vel honorem, nisi sit aggressio realis in honore, aut agatur de pudicitia.*
10. 11. *Uti & ad conservandas res fortunæ non magni valoris, aut nondum possessas, sed tantùm speratas.*

12. *Licitum econtra homicidium est in variis circumstantiis.*
13. *Uti si Magistratus servato Juris Ordine malefactores punit morte.*
14. *Si milites in bello justo occidunt nocentes.*
15. 16. *Vel si privatus injustum aggressorem ad defensionem vitæ, membrorum, etiam proximi, sed servato moderamine inculpatæ tutelæ.*
17. *Vel siquis merè casualiter. An danti operam rei illicitæ imputetur occisio alterius præter intentionem secuta?*
18. *Pœna in homicidas de utroque Jure statuta est.*
19. *Non tamen ulla in occidentes licitè.*
20. 21. *In occidentes autem illicitè de Jure Civili & Canonico quæ sit decreta.*
22. *Illicitè vel injustè occidens, mutilans, vel vulnerans tenetur quoque ad damna indè secuta.*
23. 24. *Idem incurrit irregularitatem, sive per se sive per alium occidat, physicè vel moraliter influat, aut concurrat positivè, imò quandoque etiam, si negativè.*
25. *Uti &, qui committit homicidium culposum, si tamen culpa, quam admittit, sit gravis.*
26. *Vel qui mutilat alterum, aut sibi violentas injicit manus, non tamen, qui præcisè vulnerat, vel membrum debilitat.*
27. 28. *Pariter pro irregulari habendus, qui dubitat, num sua culpa vel factò secuta sit occisio.*
29. 30. *Non tamen ille, qui citra omnem dolum, vel culpam, graviter peccaminosam, occidit, vel mutilat, nempe vel injustum aggressorem, vel alium casualiter.*
31. *Nisi id faciat publica auctoritate, uti Judex, eique cooperantes propinquè ad occisionem malefactoris.*
32. *An irregulares fiant Judices Ecclesiastici causam sanguinis delegantes, Clericum degradatum tradentes Curiæ Sæculari, Confessarii Reorum aut Judicis, Professores legum, Civiliter agentes super crimine, ex quo alter condemnatur ad mortem &c.*
33. 34. *An & qualiter irregulares fiant, qui occidunt vel mutilant aut pugnant in Bello.*
35. *Quis dispenset in Irregularitate.*

1 POst aliquas Homicidii species explicatas venit modò explicandum Homicidium in genere, quod à *cæde hominis* appellatum dicitur esse *violenta exanimatio hominis ab homine facta.* In præsenti *Rubrica* dividitur in Voluntarium & Casuale. *Voluntarium* duplici modo esse potest, *directè* nimirum, quando immediatè & per se intenditur occisio hominis, ut si pugione alterum petas cum intentione occidendi, venenum alteri præbeas, ut interimas, pharmacum fœtûs jam animati animâ rationali expulsivum des, vel sumat fœmina, ut prolem in utero enecet: & *indirectè*, quando voluntariè ponis causam valde propinquam & per se connexam (non merè per accidens) cum occisione moraliter certò secutura, licèt immediatè, formaliter, & per se non intendas occisionem, ut si gladiò ferias alterum cæsim in capite, si fœminam prægnantem graviter percutias, in aquas prolapsum, quem vides submergendum, non eripias, cùm facilè possis. *Casuale*, seu *Involuntarium*, est, quod nec directè nec indirectè intenditur, sed præter intentionem occidentis contingit: quod iterum dupliciter fieri potest, nimirum *sine culpa*, ut si quid facias, ex quo sequitur occisio, à te tamen vel non prævisa, vel, si prævisa, ad illam tamen cavendam debita diligentia à te adhibita est, v. g. si sclopo petas feram, & casu fortuito hominem, fortè intervenientem, à te non animadversum tangas: aut *cum culpa*, ut, siquid facias, ex quo prævidisti, vel prævidere potuisti, alterum posse occidi, & tamen, ut id caveatur, debitam diligentiam non adhibuisti; vel si des operam rei illicitæ, ex qua præter tuam intentionem sequitur occisio, v. g. si explodas sclopum in loco, ubi frequens solet esse populus, negligenter cures ægrum vel vulneratum, leviter percutias fœminam gravidam, ex qua percussione per accidens sequitur abortus &c. Unde Legistæ solent homicidium dividere in Necessarium, Dolosum, Culposum, & Casuale. *Necessarium* fit vel ab auctoritate publica in plectendis impiis, aut in bello justo, vel à privato quidem, sed ad necessariam sui defensionem contra injustum aggressorem, servato moderamine inculpatæ tutelæ. *Dolosum* procedit ex dolo malo, seu animo & intentione prava, directa vel indirecta, occidendi. *Culposum* involvit aliquam culpam, licet non dolum vel propositum occidendi. *Casuale*, propriissimè dictum, contingit absque dolo & culpa, nimirum casu prorsus fortuito. Primum & ultimum est *justum & licitum*, secundum & tertium est *injustum & illicitum*. Et secundùm hanc ultimam divisionem in §. 1. agemus de Homicidio Illicito. In 2. de Licito. Ac demum in 3. de pœnis & irregularitate in homicidas à Jure statutis.

§. I.

De Homicidio Illicito.

Sciendum 1. ex dolo tantùm & culpa homicidium reddi illicitum: dolus seu prava intentio occidendi præsumitur in foro externo, si homo privatus sanæ mentis occidat, nisi ex circumstantiis aliud possit colligi, v. g. ex amicitia, quæ scitur fuisse inter occidentem & occisum tempore cædis. Solus tamen animus occidendi, & conatus, effectu non secuto, in foro externo non facit homicidium, ut à Judice humano puniendum pœnâ ordinariâ, saltem ordinariè, ut habet recepta Germaniæ consuetudo. Mynsing. *cent. 3. observ. 9.* licèt olim conatus pro delicto perfecto fuerit habitus. §. *5. Inst. de publ. Jud. l. 1. 3. 14. ff. ad L. Cornel. de Sicariis.* Porro homicidium Dolosum aliud est *simplex*, quod quidem cum advertentia rationis & animo occidendi patratur, at sine deliberatione occisionem per temporis intervallum præcedente, ut fieri solet in rixa temerè exorta, vel subito

subito iræ motu. Aliud *Deliberatum*, seu *Præmeditatum*, quod sit ex deliberatione & proposito occisionem præcedente aliquo temporis intervallo. Si tali proposito accedant insidiæ, dum quis alterum ex improviso, & imparatum ad sui defensionem, aggreditur & interficit: vel proditio, seu species amicitiæ præter insidias; vel merces, qua alius ad occîdendum conducitur, vel venenum, quod venditur, aut propinatur ad alterum necandum, appellatur *Insidiosum, Proditorium, Assasinium, Veneficium*, cujus ultimi nomine hic non intelligitur species Magiæ vel Sortilegium; & hæc 4. homicidia dicuntur *Qualificata*, ad quæ etiam pertinent *Parricidium, Latrocinium*, item *Sacrilegium*, quo occîditur persona sacra, vel profana quidem, at in loco sacro: item ad ea quoque à Claro & aliis refertur omne homicidium deliberatum & præmeditatum.

3 Sc. 2. Non tantùm illos illicitum committere homicidium, qui ponunt per se ipsos actionem occisivam positivè, verùm etiam, qui concurrunt vel physicè cooperando, auxilium aut operam propinquam efficaciter præstando; vel moraliter, puta mandando, consulendo efficaciter (ita ut alter sit motus ad occîdendum per tale consilium) falsum dicendo testimonium, quo movetur Judex ad morte puniendum, occasionem & viam occidendi monstrando, aut negativè se habendo, cùm quis alterum à morte non liberat, quando posset, sive dein ad liberandum teneatur ex charitate sive ex justitia, ut si hominem sinat mergi aquis, si Medicus, habens salarium, non succurrat ægro &c. *l. 1. 3. 15. ff. ad L. Corn. de Sicar. c. 6. h. §. 2.* Item, qui vulnerat lethaliter. *c. 8. c. 18. h. t. l. 21. ff. de L. Aquil.* Aliud foret, si vulnus per se non esset lethale, ac mortem inferens, sed curabile, licèt ob imperitiam vel negligentiam Medici, aut ex culpa vulnerati sibi non temperantis, aut ex alio accidente extrinseco mors sequatur. In dubio, an vulnus sit lethale, & an vulneratus ex eo mortuus, nec ne, standum est judicio juratorum Medicorum & Chirurgorum: si & isti dubitent, videtur pro foro saltem externo præsumendum in favorem vulnerantis, nisi aliud præsumi circumstantiæ exigant, saltem abstrahendo à pœna irregularitatis.

4 Sc. 3. Eum, qui præcisè mutilavit, non habendum pro homicîda. *Mutilatio* autem est amputatio vel truncatio membri: *membrum* verò est pars corporis humani peculiarem & notabilem functionem, ab aliis corporis partibus distinctam, habens, uti est pes, manus, oculus, lingua, maxilla, genitalia, mamilla fœminæ &c. Communis ex illo S. Pauli *Rom. 12. omnia membra corporis non eundem actum habent*, seu officium & functionem integram: unde membrum non esse censetur pars carnea, dens, cartilago aurium, & probabiliter nec digitus, cùm tantùm adjuvet manum in sua functione totali, & sic pars tantùm membri sit, neque nasus pro-

micans. Quare abscissio talis partis, quæ membrum non est, saltem in foro Civili non habetur pro mutilatione, licèt fortè secundùm Canones in ordine ad contrahendam irregularitatem abscissio notabilis partis membri principalis pro mutilatione habeatur, ut quidam volunt propter *Clem. un. h. t.* utî si amputetur alicui digitus, nasus promicans, cartilago auris; saltem id est dubium juxta Suar. Laym. Zœs. Minùs mutilatio est vulneratio sine amputatione, aut copiosa sanguinis effusio.

Dico 1. Homicidii illiciti reus constituitur 1. qui occîdit alterum in æstu iracundiæ, 2. vel semi-ebrius, retinens adhuc tantum rationis usum, ut, quæ dixit & egit, probè cognita habuerit, 3. imò & perfectè ebrius, si eum in finem se inebriâsset, ut audacior rueret in scelus, vel ut pœnam homicidii effugeret, 4. item occîdens eum, quem cum uxore, vel filia sua deprehendit in flagranti turpiter agentem, aut occîdens ipsam filiam vel uxorem. Pars 1. sumitur ex *l. 16. §. 2. ff. de pœnis. Constit. Carol. art. 137.* Ratio, quia ex una parte ordinariè ira non solet penitus tollere cognitionem, & voluntarium, quamvis nonnihil minuat; ex altera verò pœna homicidii ordinaria rarò haberet locum, si æstus iracundiæ excusaret; cùm vix fiat occisio, ad quam non stimulet ira, nisi casualiter, aut ex necessitate. Pars 2. ex eadem ratione, quòd semi-ebrius retineat usum rationis, licèt nonnihil impeditum & imminutum. Pars 3. ex eo, quia in hunc finem se inebrians vult occisionem in sua causa, & nemini, qui ex hoc capite intendit evitare pœnas, sua fraus & dolus patrocinari debet. Pars 4. quam tenet communis cum S. Thoma *in 4. d. 37. q. 2. a. 1.* contra Jul. Clar. ex Jure Naturali; quod prohibet occîdi inauditum & indefensum, ac moraliter certò damnandum ad æterna supplicia, & quidem auctoritate privata. Nec obstant Leges Civiles, uti *l. 20. 24. 38. §. 8. ff. & l. 4. C. ad L. Jul. de Adulter.* id permittentes, quia *difficillimum est justum dolorem temperare, l. 38. cit.* quippe sunt correctæ à Jure Canonico *can. 6. caus. 33. q. 2.* utpote adversantes Juri Naturali. Adde, quòd fortè nec Leges Civiles positivè permiserint, sed tantùm negativè, non puniendo taliter occîdentes. Sic etiam hodie non ordinariâ homicidii pœnâ plectuntur, sed arbitrariâ & mitiori. §

Dico 2. Pariter homicidii illiciti reus effi- 6
citur 1. qui interficit Judæum vel alium Infidelem, 2. Servum propriè dictum, 3. Seipsum directè, 4. Fœtum in utero existentem, & jam informatum anima rationali, 5. practicè loquendo & ordinariè, qui occîdit bannitum, saltem in foro conscientiæ: quamvis per se & speculativè loquendo id liceat. Per *bannitum* intellige illum, qui propter capitale crimen, in quem ob fugam executio fieri non potest, publica auctoritate proscriptus est, datâ cuilibet eum occîdendi potestate, eò quòd grave periculum immi-

neat Reipublicæ à tali homine superstite: Pars 1. constat ex *can. 5. & 40. d. 50.* Non obstante, quòd quis noverit, talem Infidelem iis sceleribus esse obstrictum, quæ aliàs morte puniri possunt; quia privato nullibi à DEO data est potestas occidendi malefactores. Pars 2. ex §. *2. Inst. de his, qui sui vel alieni juris. l. 1. §. 2. ff. eod.* item ex *c. 21. Exodi.* ibi: *qui percusserit servum vel ancillam virgâ, & in manibus ejus mortui fuerint, criminis reus erit.* Nec obstat §. *1. Inst. eod.* vi cujus poterant olim domini Jure Gentium impunè servos occîdere; quia dictus §. est correctus à §. *2. Inst. & l. 1. citt.* & repugnat Jus Divinum. A fortiori non licet occidere servos impropriè dictos, utì famulos, colonos &c. Pars 3. ex *Deuteron. c. 32.* ubì dominium vitæ & necis reservatur soli DEO, qui etiam in 5. præcepto Decalogi generaliter prohibet, *non occîdes.* Pars 4. ex *c. 20. h. t.* Qui tamen expellit fœtum nondum animatum anima rationali, vel venenô aut arte impedit; ne proles concipiatur, gravissimè quidem peccat, verus tamen homicîda non est, nec ut talis pœnâ ordinariâ plectendus in foro externo. *can. aliquando caus. 32. q. 2. & l. 8. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Ex communi autem sensu Medicorum & Aristotelis *l. 7. de animal. c. 3.* quæ etiam observatur in praxi, anima rationalis in fœtu masculo infundi censetur die 40. & in fœmineo 80. die à conceptione. Viderint proin illi, qui in Philosophia negant successionem animarum, quomodo non contra communem sensum & praxim, etiam Ecclesiæ, faciant homicîdas illos, qui statim post 7. à conceptione diem, quo tempore jam solet deprehendi in fœtu aliqua operatio vitalis, organa, & vasa ad nutritionem destinata &c. expellunt vel enecant fœtum. Cæterùm si dubium sit, an procuratus abortus fuerit masculus an fœmineus, & sic an jam informatus anima rationali, nec ne, præsumendum est benignius pro foro externo, saltem Civili. Pars 5. ex hac ratione; quia tales banniti ordinariè occîderentur à privatis, constituti in peccatis gravibus, absque Sacramentis, & Pœnitentiâ, atque sic manifesto cum periculo salutis æternæ, quod prohibet lex charitatis, nisi talis bannitus actu pergeret esse perniciosus bono communi (ut si est perduellis, prædo &c.) quod præferri meretur. Adde, quòd occisio banniti non ex passione, sed zelô Justitiæ, ac insuper in territorio proscribentis & banno subjicientis fieri debeat, ut licita sit, item solùm tunc, si capi, & sic per viam Juris puniri nequeat: quæ ordinariè & in praxi non facilè concurrunt omnia. Quòd autem absolutè licitum sit, probatur; quia Reipublicæ interest de malefactoribus & hostibus suis pœnam mortis sumere, consequenter, si per ministros ordinarios id exequi non possit in fugâ elapsos, rectè illos proscribit publicè, & cuivis ubicunque (in territorio tamen proscribentis) deprehensos occîdendi potestatem facit: qua potestate, cùm justè & licitè dari queat, justè & licitè utuntur subditi, servatis tamen servandis, de quibus dictum.

Dico 3. Illicitum est interficere falsum accusatorem, falsos testes, & falsum Judicem, à quo iniqua certè imminet sententia, licet aliâ viâ non possit evitari damnum. Ita totidem ferè verbis decîdit Alexander VII. damnans propositionem oppositam. Quæ damnatio videtur fundari in periculo, ne homines, qui proprio amore excæcati facilè se reputant innocentes, ac alios erga se injustos in Judicio, in plurimas cædes & machinationes in mortem alienam proruerent, cursum Justitiæ interverterent &c. cum gravissimo Reipublicæ damno.

Dico 4. Illicitum quoque est ad conservandam famam aut honorem occîdere eum, qui tibi verbis injuriosis vel clàm detrahere, vel coràm convitiari, maledicere &c. minatur, statuit, molitur. 2. licet probabiliter licitè occîdas realem famæ aut honoris aggressorem, v. g. qui alapam impingere, aut fuste te ignominiosè attentat percutere ignominiosè, modò sis talis persona, cui probrosum est fugere, & non excedas moderamen inculpatæ tutelæ. 3. Idem est, si fœmina aggressorem suæ pudicitiæ occîdat, si defloratorem alio modo evitare nequeat. Pars 1. defacto est ferè omnium contra Sotum, Azor. Dian. &c. & vix non decisa videtur ab Innoc. XI. qui prohibuit hanc propositionem: *fas est viro honorato occîdere invasorem, qui nititur calumniam inferre. Idem quoque dicendum, si quis impingat alapam, vel fuste percutiat, & post impactam alapam, vel ictum fustis, statim fugiat.* Fere similem propositionem jam antè proscripserat Alex. VII. nempe hanc: *licitum est Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se vel Religione spargere minitantem occîdere; quando modus se defendendi non suppetit, aut suppetere non videtur.* Utraque hæc propositio restringitur ad injuriam verbalem (ut indicant verba *calumniam, calumniatorem*) qua honor aut fama alterius læditur: atque hinc ad injuriam & aggressionem honoris realem non extendenda videtur, de qua loquitur alterum membrum nostræ Assertionis. Et quamvis in primæ propositionis altera parte sit sermo de aggressione honoris reali per impactam alapam aut percussionem ignominiosam, additur tamen, *& statim fugiat post impactam alapam &c.* quo casu si occideretur ex postfacto deprehensus, qui injuriam intulit, hæc occisio non foret defensio, sed vindicta; nam compensare injuriam jam illatam & præteritam, non est contra illam se defendere, cùm defensio sit propulsatio injuriæ, ne inferatur, sed ultio privata, & hoc ipso illicita. Ratio autem, cur ad averten-dam injuriam verbalem, calumniam, detra-ctionem, aut contumeliam non liceat occidere, est; quia occisio nec est medium necessarium, nec utile ad propulsandam injuriam & ignominiam: non *necessarium*; quia exstant alia media legitima, nimirum actio injuriarum, actio ad palinodiam, retorsio verbalis;

verbalis: non utile, partim quia occîdens non tollit, sed potiùs auget, apud audientes suspicionem, quòd vera sint, quæ tam impotenter tantaque sævitiâ de se spargi & evulgari prohibere nititur occidens, partim quia patienter ac moderatè ferens injuriam, & media licita apprehendens, potiùs laudem verûmque honorem consequitur apud prudentes, quàm amittit. Accedit, quòd plerumque detractio, calumnia, vel injuria jam facta sit: quo casu non impeditur vel propulsatur inferenda, sed vindicatur illata: quod est illicitum. Confirmatur ex Cardenas *in propositionem damnatam*: Non licèt occidere hominem propter solam opinionem probabilem; cùm neque bonis fortunæ propter rationes solùm probabiles liceat spoliare hominem in possessione existentem; nec Magistratui liceat occîdere hominem cum sola semiplena probatione Juris vel facti: sed (secluſa propositione prohibibita, quæ prohibitio opinionem oppositam nunc omnino improbabilem reddere videtur) ad summum esset probabile, quòd ad evitandam calumniam, aliter non impedibilem, liceat occîdere; eò quòd oppositum etiam antehac longè plures docuerint: ergo. Pars 2. suadetur indè; quia ex una parte honor & fama æquiparantur vel præferuntur vitæ. *l. 8. §. 2. ff. quod met. caus.* quam vitam tueri licet defensione etiam occisivâ, uti dicemus §. *sequente*: ex altera verò medium ad conservandum honorem & famam videtur esse necessarium in tali persona, cui probrosum est fugere, si realiter invadatur, vel alter ignominiosè moliatur invadere, & se non defendere vim vi repellendo, uti si est miles, vel vir nobilis &c. certò enim incurreret notam ignaviæ aut timiditatis, quæ hujusmodi homines reddit valde contemptibiles. Si autem vim vi repellat, & aggressor in sua aggressione persistat, facilè ex aggressore honoris fiet aggressor vitæ & membrorum; quo casu non ampliùs occidet aggressus ad conservandum duntaxat honorem, sed & vitam ac membra: quod juxta omnes licitum est. Neque puto, ordinariè saltem, licitum esse realem aggressorem honoris statim occidere; quia repercussio similis apta est invaso conservare honorem; quare si statim occîderet, egrederetur moderamen inculpatæ tutelæ, & sic illicitè occîderet ex hoc capite. Si verò invasus foret persona vilis, aut in tali loco ignota, Clericus, Religiosus &c. quibus probrosum non est fugere, utique non potest se defendere occîdendo se aggredi volentem ad defensionem honoris, sed teneretur fugere. Atque sic sentiunt ad hanc assertionis partem Covarruv. Coninck, Bonac. Wiestner, Leurenius ad *h. t. q. 242.* alii. Pars 3. quam plerique defendunt, similibus propugnatur argumentis, quæ eò fortiùs militant, quòd ablata virginitas, vel violatus per defloration-em honor, non ita reparabilis sit, sicut bona existimatio & honor fortitudinis vel animositatis.

Oppones 1. Fama & vita pari passu ambulant. *arg. l. 8. cit.* & multi malunt vitæ quàm honoris aut famæ jacturam facere. Item crudelis in se dicitur in *can. 56. caus. 11. q. 3.* qui famam suam negligit: ergo ad conservandam famam & honorem, sicut ad vitam, semper licita est defensio occisiva. 2. Occisio aggressoris realis in honore est vindictæ species: ergo privato homini nunquam licita. R. ad 1. pari passu ambulant quoad æstimabilitatem, *transeat*; quoad conservationem. *N. Ant.* Siquidem vita semel amissa nullo modo reparabilis est, bene tamen fama & honor, pro quorum reparatione etiam existant remedia Juris: ergo plus licere debet ad conservandam vitam in instanti aggressionis vel actualis, vel mox futuræ, quàm ad famam & honorem. Neque famam suam negligit, qui injurias vel Magistratûs auxiliô vindicat, vel Juris remediô reparat. Ad 2. Est vindictæ species, si injuria jam est facta, & aggressor fugit, vel si occisio fit ab eo, qui fugere potuit sine dedecore, aut non servato moderamine inculpatæ tutelæ. *C. Ant.* si injuria actu inferatur, vel prævideatur mox inferenda, & fugere absque certo honoris jacturæ periculo non liceat, ac servetur moderamen inculpatæ tutelæ. *N. Ant. & Conf.* 9

Dico 5. Illicitum pariter est occîdere eum, qui nos læsit graviter in rebus Fortunæ, eas furando, vel rapiendo, si fur vel prædo se jam recepit in locum tutum, & eas aliâ viâ recuperare possumus. 2. vel qui actu quidem lædit, sed tantùm leviter, auferendo, vel auferre moliendo res levis momenti, v. g. unum vel alterum aureum, ex cujus ablatione nec in gravem, nec in extremam paupertatem, incidimus, nec valde magnum patimur damnum. 3. vel qui aufert, aut auferre molitur res nondum actu possessas, sed tantùm in spe. 4. quamvis licitum sit occîdere eum, qui res magni momenti, jam actu possessas, sive nostras, sive proximi nostri, invadit & aufert, cum quibus se nondum recepit in locum tutum, vel alio modo non recuperandas, aut contra eum, qui auferre molitur, aliter non conservandas. 5. à fortiori, si alter non tantùm bona nostra, sed etiam nos ipsos in persona aggrediatur, si fortè resistamus. Communis, saltem hodie, quoad omnes partes, licèt olim aliqui in quibusdam aliter senserint. Pars 1. facilè probatur: si enim fur vel raptor se jam recepit ad locum tutum, læsio jam est facta; & sic occisio potiùs vindicta quàm defensio foret, nec esset remedium utile retinendi vel consequendi res nostras; si verò aliâ viâ, nempe Juris, & per Judicem recuperari possent (idem est, si conservari clamando, alios in auxilium convocando, invasorem capiendo &c.) occisio non esset remedium necessarium, & hæc fieret non servato moderamine inculpatæ tutelæ: atque sic illicita utique foret. Pars 2. patet ex propositione damnata ab Innoc. XI. quæ sic sonat: *regulariter occidere* 10

possum furem propter conservationem unius aurei: ex qua inferunt DD. quantitatem rei, quæ per occisionem defendi potest, notabiliter debere excedere quantitatem, aliàs constituentem peccatum mortale. Cùm tamen propositio dicat, *regulariter*, indicatur, plus vel minus, prout fuerit magis vel minùs habens, cujus res invaduntur, requiri ad licitam occisionem ad res conservandas vel recuperandas, aliter non conservabiles: sic Cardenas in *Crisi dissert. 21. c. 4. n. 90.* docet, licitè occîdi eum, qui rem etiam minùs quam aureô valentem auferre molitur, si spoliatus indè in magnam necessitatem, quæ multis æquivalet aureis, conjiciatur, ut si artifici instrumentum artis, quo ablato suam & suorum sustentationem comparare non ampliùs potest, auferre tentat. Pars 3. iterum ex damnata ab eodem Innoc. hac propositione: *non solùm licitum est defendere defensione occisiva, quæ actu possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus, & quæ nos possessuros speramus.* Pars 4. eruitur ex utroque Jure, & ratione. Nam in *l. 3. §. 9. ff. de vi & vi arm. l. 9. ff. ad L. Corn. de Sicar. & l. 1. C. Unde vi, Constit. Caroli V. art. 150.* id clarè permitti, & in *c. 6. de sent. Excomm. in 6.* à Pontifice supponi tanquam licitum videtur. Ratio autem est, quia res & bona Fortunæ sunt ad vitam bene ducendam maximè necessaria, vocantúrque alter sanguis, & vita hominis: ergo, cùm hanc etiam occisione defendere liceat, licebit & res Fortunæ sub dictis limitationibus. Accedit praxis & communis persuasio, vi cujus ad res Fortunæ conservandas & recuperandas licitum esse creditur, ac non rarò geritur bellum non modò defensivum, sed etiam offensivum, in quo sæpe multa hominum millia occîduntur. Pars 5. patet ex *c. 2. h. t.* & ex iis fundamentis, ex quibus probabimus, licitum esse injustum aggressorem vitæ ac membrorum nostrorum occîdere. Et hinc Jura Civilia permittunt impune occîdere furem nocturnum; quia non facilè noscitur, an ad furandum vel ad occîdendum venerit: diurnum verò tunc, si se armis defendat. *l. 4. ff. ad L. Aquil. l. 9. cit. c. 3. h. t.*

11 Oppones contra 4. partem 1. Lex & ordo charitatis exigit, ut bonis nostris fortunæ præferatur vita proximi, utpote longè æstimabilior, præsertim si, uti contingit, quando occîditur fur vel raptor in flagranti, objiciatur insuper manifesto periculo æternæ salutis. 2. In *c. 2. cit.* illud tantùm homicidium non improbatur, quòd quis committit *se suáque liberando*: ergo, qui sua tantùm, & non simul se defendit occîdendo, culpâ non vacat. Unde in *c. 10. eod.* dicitur, quòd *expediebat potiùs post tunicam relinquere pallium, & rerum sustinere jacturam*, quam occidere *ad res viles & transitorias conservandas.* Et in *c. 18. eod.* pro irregulari declaratur Clericus, qui pro defensione rerum Ecclesiæ latronem lethaliter percussit. R. ad 1. Lex & ordo charitatis non obligat, ut alterius vitam præferamus rebus nostris, si is sponte & ex malitia in vitæ periculum se conjiciat ipsum, vel etiam in manifestum salutis æternæ discrimen. Sibi & suæ malitiæ imputare debet, si in corpore & anima pereat, non occîdenti, & notabile suum damnum evitare volenti. Ad 2. Illud *suáque* facit sensum disjunctivum, *vel sua*: quem sensum in Jure sæpius habet particula *&*, cui æquivalet *aut*. In *c. 10. & 18.* Monachus & Clericus occîdit vel lethaliter percussit non observato moderamine inculpatæ tutelæ: ille, quia occîdi recuperatis jam rebus ablatis, & ipse se potuisset salvare ab ulteriori aggressione, antequam latrones se solverent custodia; iste, quia vociferando potuisset impedire furtum.

§. II.

De Homicidio Licito.

Sciendum, licitè occîdi hominem posse vel authoritate publicâ, uti fit in Judicio Criminali, quo malefactores & scelerati adjudicantur traduntúrque morti, atque in Bello justo, tam offensivo quàm defensivo; vel ex privata necessitate defensionis contra aggressorem: vel denique casu ac præter omnem intentionem occîdendo, nec dolo nec culpâ interveniente. Ultimum homicidium est *casuale*, priora sunt *voluntaria*, imò *necessaria*: qualiter autem & quando sint licita, ac justa, nunc explanatum imus.

Dico 1. Licitè ad mortem condemnat, & per Ministros Justitiæ occîdit sceleratos ac Reipublicæ noxios legitimus Judex vel Magistratus, merum habens imperium, servato tamen Juris ordine, & prævia sufficienti cognitione ac certitudine commissi delicti gravis, quod tam graviter puniri exigit bonum Reipublicæ. Communis & certa Catholicorum, potestatem ad id conferente, imò & mandatum, ipso DEO *Exod. 22. maleficos non patieris vivere.* Et Apostolus *Rom. 13. v. 4.* nomine DEI jus gladii tribuit Humano Judici: *si malum feceris*, ait, *time*: non *enim sine causa gladium portat. DEI enim minister est: vindex in iram ei, qui malum agit.* Conspirat non modò Jus Civile in plurimis locis, sed etiam Canonicum *in can. 44. caus. 23. q. 5.* ubi dicit, majus sacrificium à Justitiæ sacerdotibus DEO offerri non posse, *quàm si ordinent, ut hi, qui in suam & aliorum perniciem debacchantur, competenti rigore compescantur.* Ratio est clara; quia bonum Reipublicæ, tanquam corporis politici, exigit, ut membra putrida, aliis noxia, vel toti corpori pernicîosa amputentur. Quòd autem Judex debeat servare Juris ordinem præmittendo cognitionem de delicto &c. patet indè, quia omnem potestatem habet à DEO juxta præscriptum Reipublicæ: DEus autem non credendus est dedisse potestatem occîdendi pro libitu, temere &c. Et Judex non servato Juris ordine procedens non Judex est, sed instar privati *c. 22. in f. de offic. deleg. l. prohibitum C. de Jure Fisci lib. 10.* Gail *de Pace publ. l. 1. c. 5. n. 9. & l. Judices cum Auth. seq. C. de Jud.* Sicut autem licitum

licitum est Magistratui scelerátos occîdere, ita & à fortiori mutilare potest, & innocentes quoque ob bonum publicum mortis periculo exponere, v. g. jubendo, ut inserviant pestiferis.

14 Dico 2. Licitè quoque occîdunt Duces & milites in bello justo, tam offensivo, quàm defensivo, at directè non alios, nisi nocentes, h. e. reos injuriarum, vel arma sumentes; nec hos amplius, postquam devicti & capti sunt, ac arma deposuerunt, saltem regulariter. Iterum communis & certa ex hac ratione; quia, si licitum est bellum, utique & media, per quæ bellum geritur, quæ inter ùtique est occîdere hostes, licita esse debent. Confirmatur tum exemplis S. Scripturæ, tum constanti Fidelium usu. Quòd verò in bello non liceat directè occîdere innocentes, utì sunt infantes, pueri, mulieres, peregrini, Clerici, Religiosi, scilicet si non pugnent vel arma sumant, item homines rusticani, qui laborare in castris, & exercitui necessaria advehere debent, constat tum ex prohibitione DEI *Dan. 13. v. 53. innocentem & justum non interficies*, tum ex *can. 69. caus. 11. q. 3.* Circa devictos & jam captos addidi, saltem *regulariter*, nisi nempe atrox crimen, morte dignum commiserint, aut nisi occisio eorum ad acquirendam firmandámve pacem Reipublicæ, quietem, & securitatem &c. necessaria videatur aut valde conducens. Reiffenstuel *h. n. 74.* & alii, monentes tamen, parcendum multitudini, ne nimia fiat strages, quam vetat Christiana lenitas. *arg. can. 1. d. 44. can. 5. f. caus. 9. q. 1.*

15 Dico 3. Licitúm est ad defensionem propriæ vitæ vel membrorum occîdere injustum aggressorem. 2. imò etiam ad defensionem vitæ vel membrorum alienorum, non modò parentum, fratrum & conjunctorum, sed etiam extraneorum quorumcunque, si in vita aut membris injustè invadantur. 3. semper tamen observato moderamine inculpatæ tutelæ. Pars 1. est indubitata apud omnes, eò quòd omni Jure, Naturali, Divinô & Humanô, permissum sit vim vi repellere, inferendo etiam, ubi aliter fieri nequit, mortem injusto invasori *c. 18. h. t. §. fin. l. ut vim 3. ff. de J. & J. l. 2. seqq. C. ad L. Cornel. de Sicar. Constit. Pœnal. Caroli V. art. 140.* Idque videtur necessarium; aliàs enim innocentes à perversis hominibus non forent satis tuti in vita & membris suis, cum magno præjudicio Reipublicæ. Pars 2. quam tenent plerique, sumitur ex *can. 5. seqq. caus. 23. q. 3. c. 6. de sent. Excomm. in 6. V. & quidem. l. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* imò etiam obligatur quis ad alium sic defendendum contra iniquum aggressorem, si commodè possit. Consonat *Constit. Carolin. art. 150. V.* Item so einer. Ratio fundatur in præcepto Legis Divinæ, quo jubemur proximum diligere sicut nos ipsos. At hoc præceptum charitatis non obligat cum magno sui periculo; siquis tamen obligaretur ex justitia alium defendere, utì Princeps & Magistratus subditos, vasallus Dominum, miles Ducem suum, & eos, pro quibus militat, aut ex pietate, utì filii parentem, etiam cum magno periculo proprio teneretur; imò, si obligatus ex justitia non defendit, etiam ad reparandum damnum indè ortum. Notandum quoque est, quòd liceat occîdere etiam materialiter injustum aggressorem ad servandam vitam vel suam vel alienam, v. g. si aggressor sit amens, furiosus &c. Barb. *in Clem. si furiosus h. t. n. 17.* Pars 3. quam cautelam iterum omnes requirunt, habetur *c. 18. cit.* ibi: *tamen id debet fieri cum moderamine inculpatæ tutelæ, non ad sumendam vindictam, sed ad injuriam propulsandam.* Sed hinc

Quæres, quid requiratur ad moderamen 16
inculpatæ tutelæ? R. tria 1. *causa justa*, h. e. ut aggressio injusta præcedat; secus enim non esset defensio sui, sed invasio alterius: nec esset defensio justa, si non præcederet offensio injusta: sic ministri Justitiæ invadentes Reum illicitè occiderentur. 2. *modus*, ut nempe defensio sit proportionata injustæ invasioni, & si alicui suppetat modus evadendi mortem vel mutilationem, aggressor non occîdatur: unde si possis eum exarmare, fugare, aut ipse fugere (citra jacturam honoris & periculum gravis ignominiæ) vel si vim possis avertere pugnô, baculô, humisternendo, vulnerando, mutilando, vel alio modo mitiori, illicitè occîdis: item si alter tantùm pugnis te invadat, aut tali modo, ex quo tibi periculum vitæ aut membrorum non immineat. 3. *tempus*, ut fiat in continenti, dum durat invasio, & non primùm ex intervallo, ubi aggressor jam fugit, vel destitit, vel non amplius nocere potest: sic etiam illicitè occîderes, si invasus te proriperes, & reversus arreptô gladiô alterum, qui te invaserat, interficeres. Notant tamen plerique Doctores, quòd, licèt debeat quoad tempus præcedere vel durare invasio, non tamen tenearis exspectare primum ictum, vel actualem invasionem, sed possis prævenire, ut si videas strictô gladiô, aut fuste armatum nodoso, in te irruere, aut sclopetum contra te expedire, aut aliunde tibi moraliter certum sit, alterum tibi mortem vel grave vulnus machinari. *Constit. Carolin. art. 140. cit.* quia talis præventio est defensio necessaria, quæ aliàs fortè nimis sera foret. Utrùm hæc tria in praxi sint observata, adeóque moderamen inculpatæ tutelæ, pro foro interno cuilibet conscientia optimè testari potest: pro foro externo relinquitur, pensatis diligenter circumstantiis, Judicis prudentiæ & arbitrio.

Dico 4. Licitum quoque, seu non pecca- 17
minosum est homicidium merè & propriè Casuale, ut siquis cautè levat ægrum, aut medicinam ex præscripto Medici porrigit, & æger inde moritur: item à non habente usum rationis commissum. 2. fit tamen illicitum, si accedat aliqua culpa, & quidem, si Theologica fuit culpa, etiam in foro interno, si autem Juridica tantùm, in foro solùm

lùm externo, graviter aut leviter, prout fuerit culpa, & negligentia in cavendo, ne ex actione aliàs licita sequatur occisio hominis. 3. siquis autem dedit operam rei illicitæ, seu exercuit actionem aliunde prohibitam, & indè sequatur homicidium præter intentionem, illud saltem præsumptivè erit illicitum tunc, quando actio est prohibita tanquam periculosa, & ex se facilè inductiva mortis; uti imperitis prohibitum est exercitium chirurgiæ, artis baliſtariæ &c. aliàs non, uti si Clericus in venatione, sibi prohibita, sclopô trajiciat hominem, putans esse feram, modò adhibuerit debitam diligentiam; quia venatio Clericis non est prohibita propter periculum homicidii. Pars 1. constat per se, & sumitur ex *c. 9. 13. seqq. c. 22. c. 23. c. fin. & Clem. si furiosus un. h. t. l. 31. f. ff. ad L. Aquil. l. 1. l. 5. C. ad L. Cornel. de Sicar. Constit. Carol. art. 146.* Ratio, quia ubi dolus vel culpa, vel usus rationis non intervenit, peccatum non est. Pars 2. quam tenet communis cum S. Th. *2. 2. q. 64. a. ult.* colligitur ex *c. 7. c. 8. h. t. c. fin. eod. in 6. l. 4. §. 1. ff. l. 1. l. 5. C. ad L. Cornel. de Sicar. Constit. Carol. lo. cit.* Ratio, quia, si intervénit culpa, homicidium censetur esse aliquo modo voluntarium, sive in foro externo tantùm, sive in interno, sive in utroque, magis vel minùs, prout fuerit culpa. Pars 3. quam velut mediam amplectitur Suar. Covarruv. Molina, Laym. Barb. Fagn. in *c. ad audientiam 12. h. t. n. 61.* Wiestner *h. t. n. 80.* inter duas opiniones extremè oppositas, quarum una homicidium, ex actione illicita secutum, danti operam rei illicitæ absolutè imputat, altera absolutè eum excusat, si debitam diligentiam ad illud cavendum adhibuit. Pars, inquam, 3. & opinio media sic suadetur: si actio est prohibita tanquam periculosa & facilè inductiva homicidii, istud censetur, saltem pro foro externo, esse aliquo modo *voluntarium*, nempe in causa, nisi talis actio prohibita desinat esse prohibita, v. g. in casu necessitatis, ubi nullus peritorum adest, qui chirurgiam exerceat, quam tamen hic & nunc exercere necesse est: si verò non ob periculum occisionis actio est prohibita, tunc homicidium indè secutum nullo modo, nec in causa, censetur esse voluntarium, sed merè *casuale*.

§. III.

De Pœnis Homicidii, & Irregularitate in illud statuta.

18 Sciendum, pœnas, quæ in homicidium illicitum duntaxat decretæ sunt, alias esse Juris Civilis, alias Juris Canonici, uti videbimus. Irregularitatem verò non tantum ex illicito, verùm etiam ex licito nonnunquam contrahi, uti mox dicemus. Est autem irregularitas *impedimentum Canonicum* (seu à Jure Canonico duntaxat introductum, quod nunquam incurritur nisi in casibus hoc Jure expressis. *c. is, qui. 18. de sent. Excom. in 6.*) *impediens susceptionem Ordinum Ecclesiasticorum, & jam susceptorum usum.* Adeóque susceptio Ordinum, vel eorum usus, in irregulari non est illicitus, sed illicitus tantùm, & prohibitus, antequam obtineatur dispensatio; id enim indicat verbum *impediens*, & communis sensus Doctorum. Quis autem in irregularitate dispenset, exponemus in fine.

Dico 1. Pœna homicidii omni ex parte liciti nulla est omnino, scilicet merè casualis, necessarii ad sui vel aliorum defensionem, commissi à Militibus in bello justo actualiter pugnantibus, à Magistratu legitimè ad mortem condemnante, vel à privatis, ubi dolus, seu intentio directa vel indirecta occidendi, ac omnis culpa abfuit. *l. 31. l. 1. C. l. ult. Constit. Carol. art. 146. cit. v.* Ein andere Gleichnus *c. 9. 13. seqq. & Clem. un. citt.* Ratio est clara; quia pœna non habet locum, ubi dolus vel culpa omnis abest. *c. 2. de Const. c. 23. de R. J. in 6.* Dixi tamen, *omni ex parte liciti*; nam homicidium *culposum*, seu quod quidem sine dolo seu intentione occidendi à privatis commissum est, at non sine culpa, subjacet pœnæ, at non ordinariæ homicidarum, sed extraordinariæ & arbitrariæ, ut siquis excesserit in moderamine inculpatæ tutelæ contra injustum aggressorem, si prævidere potuit, ex sua actione aliàs licita posse occidi hominem, nec ad id cavendum debitam diligentiam adhibuit, aut exercuit actionem illicitam, ac prohibitam ob periculum occisionis, licet debitam diligentiam adhibuerit. *l. 4. §. 1. f. l. 1. l. 5. C. ad L. Corn. de Sicar. & Constit. Carol. citt.* Ac insuper culpose occidens convenìri potest à liberis, conjuge, socio occisi & ab omnibus, quorum interest talem hominem occisum non esse, de damno injuriâ dato ex *L. Aquilia.* Quòd autem homicidium merè culposum nunquam pœna ordinariâ *Legis Corneliæ de Sicariis.* seu ultimò supplicio puniendum sit, constat ex *l. 7. ff. ad L. & Constit. Carol. art. 150. c. 6. h. t.* ubi nempe abfuit animus aut voluntas, tam directa occidendi, quàm indirecta, volendo causam proximè conjunctam cum occisione. Nec obstat, quòd culpa lata intervenerit; quia hæc non æquiparatur dolo in delictis, sed tantùm in contractibus *l. 7. ff. ad L. Corn. de Sicar. l. 32. ff. Depositi.* Pœna autem extraordinaria in variis locis est varia, nempe vel carcer, vel relegatio perpetua, aut ad certos annos, fustigatio, mulcta pecuniaria, peregrinatio ad celebrem locum sacrum &c. Haunold. *to. 6. de J. & J. tr. 2. n. 278.*

Dico 2. Pœna homicidii injusti & illicite seu dolosi & voluntariè intenti, ordinaria est ultimum supplicium, seu pœna mortis. 2. absque discrimine personarum. 3. licet fuerit quis tantùm causa moralis, vel cooperatus. 4. & quidem pœna gladii, si homicidium fuerit simplex. 5. major autem, & exasperata, si est qualificatum, v. g. furca, rota, vel præter gladium prævia truncatio membrorum, aut aduſtio ferri vel forcipum candentium &c. 6. De Jure Canonico autem non tantum est irregularitas, de qua postea, sed etiam inhabilitas

habilitas ad obtinenda beneficia (si autem conferantur, collatio valet, etsi illicita sit) privatio tamen beneficiorum jam priùs habitorum per se, immediatè, & ante sententiam non incurritur, quia id à Jure non est expressum. Deinde, si occisor sit laicus, excommunicatio, at ferendæ sententiæ, si Clericus, depositio ab Ordine & officio pariter per sententiam primùm, item detrusio in Monasterium, cujus loco hodie succedit condemnatio ad carceres, vel ad triremes: si verò iterum in idem ruat delictum, excommunicatio ferendæ, si rursus, anathematizatio, h. e. solennis excommunicatio præsente Episcopo & Presbyteris candelas tenentibus, & postea in terram projicientibus, atque calcantibus, demum si neque tunc resipiscat, degradatus tradendus est Curiæ Sæculari, secundùm leges puniendus. Judex tamen Ecclesiasticus defacto contra homicidam Laicum in foro externo non solet procedere, uti notant DD. multi; licèt asylò excludat homicidas Proditorios, assassinii, & latrocinii reos, ac in Ecclesia occisionem patrantes, uti dictum ad *tit. de Immunit. Eccl. in lib. III. à n. 14.*

Pars 1. habetur non solùm in Jure Civili §. *Item 5. Lex Cornelia Inst. de publ. Jud. l. 3. §. penult. ff. ad L. Cornel. de Sicariis. l. 6. C. ad L. Jul. de vi publica. Constit. pœnal. Caroli V. art. 137.* sed etiam in S. Scriptura: *quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius. Gen. 9. Qui percusserit & occiderit hominem, morte moriatur. Levit. 24. qui in gladio occiderit, oportet eum gladiò occidi. Apoc. 13.* Pars 2. *in citt. §. item 5. l. 6. & Constit. Carol. art. 137.* Pars 3. quoad eos, qui fuerunt causa moralis homicidii efficax & positiva, illud mandando, consulendo, falsum testimonium dicendo, venenum vendendo &c. si dependenter à tali mandato, consilio, testimonio homicidium reipsa secutum sit, sumitur ex *l. 1. l. 3. l. 15. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* quia *nihil interest, occidat quis, an causam mortis præbeat. l. 15. cit.* quoad cooperantes autem efficaciter & proximè ex *l. 15. cit. l. un. C. de rapt. Virg. Constit. Carolin. art. 148.* Pars 4. ex *d. §. item 5.* item communi sensu DD. & praxi. Pars 5. ex *d. Constit. Carol. art. 137.* & consuetudine ac statutis locorum, quæ diversimodè pœnam exasperare solent. Carpzov. *Prax. Crim. q. 24. n. 16.* Stryck. *ad L. Corn. de Sicar. ff. §. 1. 2.* Pars 6. quoad irregularitatem, & inhabilitatem ad beneficia obtinenda, licèt homicidium fuerit occultum, extat in Trident. *sess. 14. c. 7. de ref.* quoad excommunicationem Laici in *can. 20. caus. 24. q. 3.* Quoad depositionem Clerici in *can. 12. d. 81.* quoad detrusionem in Monasterium in *can. 7. d. 50. cap. 6. §. fin. h. t.* quoad excommunicationem ejusdem, degradationem &c. *in c. cùm non ab homine 10. de Judic.*

21 Oppones 1. Si pœna ordinaria homicidii voluntarii est mors occidentis, tunc non satis est ad infligendam hanc pœnam conatus occidendi, effectu non secuto; neque sola occisio sine intentione occidendi, sed solummodo cum intentione percutiendi, aut vulnerandi, in effectu tamen secuta: sed utrumque est falsum; quia solus conatus sufficit, ut patet ex §. *item 5. cit. l. 1. §. 3. l. 14. ff. & l. 7. seqq. C. ad L. Cornel. de Sicar.* Item sufficit solus effectus seu cædes sine intentione occidendi, sed tantùm vulnerandi &c. facta; quia volenti aliquid, ex quo sequitur occisio, rectè imputatur ipsa occisio. 2. si occidens sit persona nobilis, pœna est tantùm deportatio, seu proscriptio vel exilium. *l. 3. §. 5. ff. eod.* ergo non generaliter & absque personarum discrimine est pœna mortis. 3. Si plures simul conjunctâ operâ occidunt aliquem, nullus afficitur ultimô supplicio, si nesciatur, quis lethale vulnus inflixerit. per *Constit. Carolin. art. 148.* si autem sciatur iste, cæteri operam conferentes non subjacent pœnæ mortis; quia hi non posuerunt actionem occisivam: ergo homicidii voluntarii pœna non semper est pœna mortis, neque eidem subjacent cooperantes. 4. In *can. omnis. dist. 3* dicitur: *qui cædem fecerit, capite plectatur:* ergo etiam de Jure Canonico est pœna mortis. R. ad 1. *C. Ma.* quia leges pœnales sunt strictè accipiendæ. *c. 15. c. 49. de R. J. in 6.* conspirat communis DD. & Germaniæ praxis. *N. Min.* Leges, in quibus jubetur puniri solus conatus pœnâ ordinariâ, citatæ suum rigorem amiserunt per consuetudinem contrariam, vi cujus pœnæ extraordinariæ tantùm subjacet merus conatus occidendi, (nisi fortè in uno vel altero homicidio qualificato, v. g. assassinii, præparatione veneni &c. in quibusdam locis ordinariâ pœnâ afficiatur) Mynsi. *cent. 5. observ. 9.* conformiter Juri Canonico *c. 1. h. t. in 6.* quod vult ordinariè non ordinariâ pœnâ puniri conatum. Quòd verò solus effectus occisionis sine intentione occidendi directa, vel indirecta, ponendi nempe causam de se & propinquè connexam cum occisione, non sufficiat, probatur ex *c. 1. & 6. h. t.* & ex ratione, quia si ex actione per se quidem intenta, non tamen per se mortem inferente, vel saltem quæ non prævidebatur illatura mortem, hæc sequatur, per accidens fit, proinde homicidium haberi debet pro casuali, & culposo tantùm. Suar. Zœs. Pirhing *h. t. n. 5.* Schambogen *n. 6.* Unde qui tantùm intendit percutere, in parte non periculosa vulnerare, vel pugnô, cantharô, baculô, aut tali instrumentô usus est, quod ex se mortem inferre aptum non est, & tamen mors secuta, pœna ordinaria locum non habet; quia potiùs culposum, quàm dolosum esse præsumitur homicidium. P. Schmalzgrueber *h. n. 12.* Ad 2. Illa lex, faciens distinctionem personarum, correcta est in *§. item 5. cit. l. 6. C. ad L. Jul. de vi publ. & Constit. Carol. art. 37. & 137.* Haun. *to. 6. tr. 2. n. 267.* Ad 3. *dist. Ant.* si illi plures conspiraverint priùs, & ex proposito ad occidendum concurrerint. *N. Ant.* tunc enim omnes pœnæ ordinariæ sunt obnoxii. per *l. 15. cit. &*

it. & Constit. Carol. art. 148. si non prævia conventione, propositò, & communicatô inter se consiliô, sed in rixa subitò exorta concurrerint ad aliquem occîdendum. *C. Ant.* tunc enim, si in casu, quo ignoratur vulnus lethale infligens, omnes afficerentur pœnâ mortis, aliqui, qui nempe vulnus lethale non inflixerunt, occiderentur innocentes: præstat autem facinus ordinariâ pœnâ impunitum relinquere, si auctor necis sit incertus, quàm innocentes damnare. per *l. 5. ff. de pœnis.* in casu autem, quo scitur auctor necis & vulneris lethalis, cæteri, qui prævia conventione priùs non conspirarunt in necem, nec moralis nec physica fuerunt causa occisionis, & sic propriè non cooperantes, quia nullum inflixerunt vulnus lethale, ut supponitur, neque consiliô, mandatô &c. influxerunt, pœnæ ordinariæ non subjacent. Ad 4. Quotiescunque in Jure Canonico reperitur imposita pœna mortis, id intelligi debet de excommunicatione, quæ mors est Civilis, per quam separatur homo à cætu fidelium. Abb. *ad c. per venerabilem 13. qui filii sint legit. n. 21.* quod tene menti, ut ait Abb. ibidem. Sed contra Laicos, qui propter homicidium dicuntur excommunicandi, in praxi non solet procedere Judex Ecclesiasticus, uti jam insinuavimus.

22 Dico 3. Injustè vel illicitè occîdens vel mutilans, aut vulnerans, præter pœnas à Jure statutas, tenetur insuper occisi hæredibus, & quibusdam aliis, vel mutilato, aut vulnerato, compensare damna inde secuta, & quidem, si dolosè seu ex intentione, vel ex culpa lata cum peccato mortali conjuncta, id fecit, ante omnem sententiam Judicis in conscientia. 2. post sententiam verò, si sine dolo, & sine culpa lata cum peccato mortali conjuncta & tantùm cum culpa Juridica. Ita communis. Pars prior constat ex natura Justitiæ Commutativæ, quæ obligat ad resarciendum omne damnum injustè datum & cum peccato mortali: quæ obligatio Juris Naturalis non tollitur per pœnas corporales vel spirituales à Jure Civili & Ecclesiastico statutas, quibus tantùm satisfit Reipublicæ per malefactum læsæ. Posterior ex *c. 1. de injur. l. quæ actione. 7. Ad L. Aquil.* ex qua datur actio propter damnum injuria datum. Unde, si nec dolus, nec culpa ulla intervénit, sed occisio vel mutilatio accidit merè casualiter, nec in conscientia datur obligatio, nec in foro externo actio ad resarciendum damnum inde secutum: sicut vice versa non modò in conscientia datur obligatio, sed etiam actio, quando dolus, vel culpa lata cum peccato mortali intervénit. Dixi autem 1. *damna indè secuta*, quò etiam referendæ sunt impensæ in curationem vulneris, Medicos, Chirurgos, uti & lucrum cessans, deductis tamen expensis: pro vita autem, vel membro amputato, nihil restitui debet. *l. ult. ff. de his, qui effuderint.* cùm æstimationem non recipiant, uti nec propter cicatricem remanentem. *l. cit.* nisi in quantum hæc est damnosa, uti esse posset quod fœminam, quæ indè notabiliter fit deterior, & propterea difficiliùs nubit. Pro injuria tamen vulnerato illata potest Judex injungere compensationem pecuniariam, uti & pro dolore, quem vulneratus sustinere debuit; quamquam pro dolore in praxi multis in locis nihil soleat adjudicari. Si occidens ultimô supplicio fuit affectus, multorum locorum consuetudo habet, teste Engel *h. t. n. 8.* ut ab ejus hæredibus nihil amplius petatur, quasi damnum vitæ satis compensatum censeatur pœnâ Talionis. De reliquo damnum debet re ipsa esse secutum; nam si alii, etiamsi occisus supervixisset, probabiliter nihil essent consecuti, vel si uxor aut liberi pinguem exinde hæreditatem obtinuissent, nulla reparandi daretur obligatio, nec injungi reparatio potest. Neque occidens tenetur ex Justitia pro occiso preces fundere, licèt Confessarius in foro Pœnitentiæ pro majori satisfactione eidem rectè injungat preces & pia opera pro defuncto obeunda. Dixi 2. *occisi hæredibus*, quibus nempe ex Justitia vivens tenebatur alimenta, vel alia suppeditare, uti sunt liberi, nepotes, parentes, uxor &c. si per occisionem sunt illis privati. Dixi 3. *& quibusdam aliis*, nempe valde conjunctis, qui per occisionem &c. sunt læsi, uti possunt esse creditores, qui propterea defraudantur suô debitô. Sed his omnibus obligatio satisfaciendi datur solùm pro ratione spei, quam prudenter habebant ad percipienda alimenta, debita &c. si occisus supervixisset, & solùm tunc, quando occîdens prævidit, vel prævidere potuit, aliquos adesse, qui ex occasione vel facto suo possent lædi, vel exstare creditores aut alios, quibus occisus sit obligatus, eósque damnum propterea pati posse: si enim damnificatio non fuit prævisa aliquo modo, non fuit voluntaria: si non voluntaria, non fuit formaliter iniusta, consequenter in conscientia ante sententiam Judicis non inducens obligationem reparandi damna, licèt in foro externo per Judicem condemnari debeat, si saltem culpa Juridica intervénit, aut præsumptio est, quòd futura damna præviderit, aut prævidere debuerit: qualis præsumptio, quòd nempe occidens aliquo modo, saltem implicitè & virtualiter, cogitaverit de personis valde conjunctis, & sic damnum præviderit, vel prævidere potuerit ac debuerit, in foro externo ordinariè datur. In praxi optimum & securissimum dictis personis satisfaciendi remedium est pacifica transactio, in qua adhibitô prudentis viri arbitriô, & attenta locorum consuetudine fiat taxatio damni emergentis, & lucri cessantis, consideratâ pariter spe diuturnioris vel brevioris vitæ, item infortuniis ac variis casibus, quibus lucrum illud poterat impediri, etiam secluſa occisione (mutilatione, vulneratione) certa enim & indivisibilis quantitas statui nequit. Hoc tibi pro foro interno sit pro regula, ut lædis restituat tantum, quantum tu ipse, si lædus esses, ac-

cepta

tentis circumstantiis tibi ex justitia & æquitate restituendum judicares: pro foro externo, si res deferatur ad Judicem, ab hoc decisionem & determinationem exspectabis.

23 Dico 4. Irregularitatem ipso facto incurrit omnis, qui committit homicidium directè vel indirectè voluntarium cum gravi peccato, physicè vel moraliter, aut ad illud concurrit, licet ignoret inculpabiliter, irregularitatem esse statutam in homicidas. Sumitur ex *can. 4. seqq. d. 50. c. 6. 7. Clem. un. h. t. c. 21. de Accusat. Trid. sess. 14. c. 7. & sess. 24. c. 6. de reform.* patebitque magis ex Assertionis explicatione; nam Dixi 1. *cum gravi peccato*: nam irregularitas, prout infligitur propter delictum, aliquo modo habet rationem pœnæ, & quidem gravis: ergo & delictum, ut sit proportionatum pœnæ, debet esse grave. 2. *committit*, nimirum effectivè; nam sola intentio vel conatus occîdendi non sufficit ordinariè, unde unde demum impediatur occisio, uti cum Suar. *de Irregularit. sect. 3. n. 13.* communiter notant DD. cùm in pœnis benignior sit interpretatio facienda. *c. 49. de R. J. in 6.* 3. *physicè*, seu ponendo actionem occisivam per se, percutiendo, pungendo, glande plumbea petendo, vel porrigendo venenum, ex quo secuta occisio hominis, vel fœtûs jam informati anima rationali in utero adhuc existentis &c. 4. *vel moraliter*, puta mandando, consulendo, consentiendo. per *can. 8. d. 50. cap. 6. §. 3. c. 18. h. t. c. fin. eod. in 6.* modò mandatum, consilium, & consensus efficaciter influxerit, & verè causa moralis fuerit homicidii; si enim mandatum revocâsses, & hæc revocatio fuisset intimata ante occisionem mandatario; si consilium revocâsses dilutis & enervatis, quas priùs suggesseras, rationibus suasivis, vel saltem eas pro viribus diluere laborâsses; si per tuum consensum & approbationem nihil contulisses ad patrandum homicidium, utpote quod independenter à tuo consensu æquè perpetratum fuisset, non fieres irregularis; uti nec, si jam patratum tuo nomine homicidium postea ratum haberes, ut habet verior cum Suar. & Covar. contra Navar. & Molin. quia ratihabitio cædem subsequens non potest esse causa illius, aut in eam influere. Si verò mandatum revocâsses quidem, at id non intimatum fuisset mandatario ante occisionem, vel consilium revocâsses, at rationes, quibus alterum permovisti ad occîdendum, non priùs enervâsses, maneres adhuc causa moralis occisionis, sicut manet causa physica, qui alteri propinavit venenum, nec istud per contrariam medicinam reddidit innoxium, licèt ante mortem secutam pœnituerit; adeóque irregularis efficereris. 5. *aut ad illud concurrit*, sive *positivè*, ferendo auxilium, robur vel animum addendo, gladium subministrando, occîdendum tenendo, vel, ne fugere posset, impediendo &c. *c. 6. cit. §. 2.* Unde, si plures occîderint aliquem, omnes fiunt irregulares, licèt non fecerint communicatô priùs consiliô & conspiratione prævia, etiam illi, qui lethale vulnus non inflixerunt, si ignoretur, quisnam illud inflixerit. *c. 18. cit. v. Quòdsi.* imò licèt de isto constet, ut habet communior ex *can. fin. caus. 23. q. 8.* quia suô auxiliô cooperati sunt omnes; ibi autem, nempe *can. fin. cit. & c. 18. cit.* omnes cooperantes dicuntur fieri irregulares: sive *negativè* concurrerit, non impediendo homicidium, cùm posset, modò ad id fuisset obligatus ex justitia vel quasi justitia, uti obligatur Magistratus erga subditum, Medicus salario conductus ad medendum, & tamen neglectâ medelâ sinens mori. Siquis autem solùm ex charitate est obligatus impedire mortem alterius, & non impedit, non fit irregularis, quamvis peccet graviter; modò per puram omissionem non impediat; quia id in nullo Jure est expressum, nec talis positivè cooperatur, cujusmodi *d. can. fin.* non haberi videntur pro irregularibus. Adde, quòd homicidium sit peccatum contra Justitiam. Si verò omissio esset conjuncta cum actu positivo, ut siquis injustè accusatum in Judicio non tantùm non defenderet, sed etiam diceret, sibi de ejus innocentia nihil constare, vel consiliô impediret alterum ab ope ferenda &c. etiam talis fieret irregularis, cùm positivè cooperaretur cum peccato gravi. 6. *licèt ignoret* &c. quia irregularitas hæc, quamvis aliquo modo habeat rationem pœnæ, quæ aliàs ignorata non incurritur, principaliter tamen imponitur in reverentiam Sanctissimæ Eucharistiæ, eò quòd videatur dedecere, ut is, qui sanguinem fudit, vel occidit, præsertim cum crudelitate & injustitia, Ordines Clericales suscipiat, vel exequatur, qui per se ordinantur ad Eucharistiam, in qua immolatur & offertur DEO Christus, mansuetissimus Agnus, qui sanguinem & vitam suam pro nobis dedit. Unde & ex homicidio licito, uti dicemus, contrahitur.

Oppones 1. In *c. 1. h. t. in 6.* ipso facto 24
excommunicatur, qui mandaverit aliquem occîdi per assassinos, *quamquam mors ex hoc forsan non sequatur*: ergo neque ad irregularitatem incurrendam requiritur, mortem actu & in effectu esse secutam. 2. Neque vice versa sufficit, mortem actu esse secutam, si vulneratus moriatur ex vulnere de se non lethali; sicut in tali casu nec pœnæ ordinariæ homicidarum subjacere vulnerantem diximus paulò antè. 3. Sixtus V. in *Constit. Effranatam.* irregularitatis pœnam decrevit in procurantes abortum, & ejectionem fœtûs, etiam non animati: ergo necesse non est actu fieri occisionem hominis. 4. *Ratihabitio retrotrahitur, & mandato æquiparatur, c. 10. de R. J. in 6.* & quidem etiam in delictis. *l. 1. ff. de vi & vi arm. §. 14. c. 33. de Simon.* ubi dicitur, *nisi postea consenseris*: ergo, si mandans incurrit irregularitatem, etiam ratihabens jam factum homicidium incurret. Confirmatur: ratihabens percussionem Clerici, suo nomine factam, incurrit excommunicationem Canonis. *c. 23. de Sent. excom. in 6.*

in 6. ergo & ratihabens occisionem suo nomine factam incurrit irregularitatem. 5. Qui non impedit homicidium, cùm posset, & teneretur, æquiparatur homicidæ. *c. 6. h. t.* §. *2. c. 47. de sent. Excom.* ergo omnis, negativè tantùm concurrens, efficitur irregularis. Ex. ad 1. à casu expresso ad non expressum, præsertim dissimilem, in odiosis non est facienda extensio, uti ab excommunicatione in *d. c. 1.* expressa ad irregularitatem; quæ juxta *c. 18. de sent. Excom. in 6.* nunquam incurritur, nisi ubi in Jure est expressum. Ad 2. Si mors sequatur ex occasione vulneris, quia fortè accessit febris vel inflammatio, quam imperitus Medicus sanare non potuit, incurritur irregularitas; quia quoad hanc danti operam rei illicitæ imputantur, quæ etiam per accidens sequuntur. *c. 11. c. 12. h. t.* licèt vulnus per se lethale non fuerit. Aliud foret, si mors contingeret ex causa prorsus extrinseca, v. g. si levissimè vulneratoMedicus præberet medicamentum noxium & mortem inferens. *c. 12. cit.* Quòd pœna ordinaria mortis non infligatur infligenti vulnus non lethale, si per accidens moriatur vulneratus, ratio est, quia leges pro hoc casu non statuerunt pœnam ordinariam mortis. Ad 3. Constitutionem Sixti quoad fœtum inanimatum abolevit Gregor. XIV. *in Constit. Sedes Apostolica,* & reduxit ad Jus Commune. Pialecius *in Praxi Episcop. p. 1. c. 1. art. 5. n. 9.* Ad 4. Ratihabitio in delictis æquiparatur quidem mandato quoad culpam, cùm utique ratam habens occisionem injustam graviter peccet, non verò quoad pœnam, præsertim irregularitatis, cùm id in Jure non sit expressum. *arg. c. 18. cit.* Ad Confirm. *N. Cons.* cùm ab excommunicatione ad irregularitatem non expressam in Jure, & quia versamur in materia pœnali, non est facienda extensio. Ad 5. In *c. 6.* non est sermo de præcisè non impedientibus homicidium, sed de concurrentibus consiliò vel auxiliò. In *c. 47.* autem est de non impedientibus percussionem Clerici in ordine ad excommunicationem incurrendam: qui casus est specialis, in Jure expressus, & in materia pœnali, ac ideo non extendendus. Adeóque negatur *Cons.* siquis teneretur ex Justitia impedire occisionem, & non impediret, etiam præcisè negativè se habendo, juxta superiùs dicta fieret etiam juxta nos irregularis.

25 Dico 5. Eandem irregularitatem ipso facto incurrunt, qui committunt homicidium culposum, seu ex quorum culpa, saltem lata & mortaliter peccaminosa, accidit mors. Sumitur ex *c. 7. h. t.* ubi presbyter, qui puerum disciplinæ causâ percussit in capite, ex qua percussione puer mortuus est. ex *c. 8. eod.* ubi Clericus non removendo falcem à tergo, in quod alius ex more regionis insiliens lethaliter est vulneratus. & *c. fin. eod. in 6.* ubi mandans aliquem verberari, licèt expresse vetuerit occîdi (mandatarius tamen fines mandati excedens occîdit) irregularis pronuntiatur. Unde & irregularitatem contrahit, qui dedit quidem operam rei licitæ, seu actionem de se licitam posuit, non tamen debitam diligentiam adhibuit, ut caveatur homicidium, quod prævidere potuit & debuit, ut siquis sclopum explodit in loco frequenti, vel projicit tegulam ex tecto, nec voce nec signo monens prætereuntes &c. & hominem fortè occîdit. Gonzal. *in c. 11. h. t. n. 8.* Item qui dat operam rei illicitæ, si haec prohibita sit tanquam periculosa, & mortis (vel mutilationis) facilè inductiva, ut si imperitus, vel Clericus aut Religiosus peritus quidem, at sine necessitate, exerceat artem Chirurgicam vel Medicam, etiam adhibitâ omni diligentiâ ad cavendam mortem, haec tamen nihilominus indè sequatur. *c. 16. h. t. c. 9. Ne Clerici vel Mon.* Idem dic de eo, qui in ebrietate fecit homicidium, cujus probabile periculum prævidit, si se inebriet. Itaterea irregularis fit, qui occîdit injustum aggressorem non servato moderamine inculpatæ tutelæ, uti si fugere sine infamia potuisset, vel aggressorem fugare, vel tenendo, humi sternendo, in parte non periculosa vulnerando &c. vim effugere. per *c. 8. & 12. h. t.* quia tunc occisio non est necessaria, sed voluntaria: ex omni autem voluntaria occisione, seu dolosa, seu culposa tantùm lata, contrahitur irregularitas. Trid. *lo. cit.* quamquam in foro Civili dictum moderamen excedens, & latâ culpâ vel etiam dolò, seu vindictæ cupiditate, occidens injustum aggressorem non puniatur pœnâ ordinariâ *arg. l. 4. C. ad L. Jul. de adult.* sed extraordinariâ, v. g. carcere, fustigatione, relegatione, mulctâ pecuniariâ &c. pro qualitate excessûs DD. communiter. Dixi autem 1. *saltem lata*, quæ nempe conjungitur cum peccato coram DEO, imò pro foro externo, licèt cum peccato coram DEO non conjungatur. Laym. & Avila *de Censuris p. 7. d. 6. sect. 1. dub. 11.* ex *c. 7. de pœnit. & remiss.* & ibi gl. *V. Negligentibus.* Concordat *can. 20. caus. 2. q. 5. & c. 9. h. t.* Suar. *de Censuris d. 45. Sect. 3. n. 7.* qui ajunt, sufficere culpam levem, & contra Panormit. Covar. &c. qui censent, etiam levissimam aliquando satis esse. Quòd autem pro foro interno non sufficiat culpa, etiam lata, merè tamen Juridica, sine admixta Theologica coram DEO, indè infertur, quòd irregularitas sit pœna spiritualis, consequenter supponat culpam, quæ afficit animam coram DEO. Molina *tr. 3. d. 77. n. 6.* Dixi 2. *mortaliter peccaminosa*: id enim contra Covarruv. & alios quosdam desumunt DD. ex *d. c. 7. de pœnit. & remiss. c. 13. c. 15. c. 22. h. t.* & ex ratione, quòd irregularitas habeat rationem pœnæ gravis. Suar. *n. 8.* Gonzal. *lo. cit. n. 1. seqq.* Oppones. In *c. 8. & 12. h. t.* Clerici declarantur esse irregulares, licèt valde probabiliter culpa non fuerit mortaliter peccaminosa, quorum unus non removit falcem in lusu, alter autem percussit aliquem cingulò tantùm. Simile quid eruitur etiam ex aliis *cc.* ergo non requiritur culpa mortalis

liter peccaminosa. §. Quamvis isti fortassis coram DEO non peccaverint mortaliter, in foro tamen Ecclesiastico & externo propter datam rei illicitæ operam, & simul non adhibitam debitam diligentiam præsumebatur culpa gravis, & sic pro foro externo declarata fuit irregularitas.

26 Dico 6. Pariter contrahitur irregularitas ex mutilatione alieni corporis. 2. & ex violenta manûs injectione in proprium corpus, etiam absque mutilatione. 3. quamvis ex vulneratione sui vel alieni corporis, citra mutilationem, vel mortem indè secutam, illa non contrahatur. 4. neque ex debilitatione membri alieni vel proprii, qua redditur inutile ad suas operationes, vel aridum. Communis. Pars 1. sumitur ex *can. 4. & fin. d. 55. c. 5. Ne Clerici vel Mon. c. fin. h. t. in 6. Clem. un. eod.* ubi mutilatio quoad irregularitatem contrahendam æquiparatur homicidio. Per *mutilationem* intelligitur truncatio vel amputatio membri vivi propriè dicti. Et hanc irregularitatem, quæ est distincta ab irregularitate ex homicidio voluntario orta, sicut imperfectum à perfecto (quamvis in Jure propter similitudinem culpæ æquiparentur) contrahunt omnes physicè vel moraliter cooperantes cum peccato mortali, sicut de ipso homicidio diximus, quia irregularitas ex mutilatione æquiparatur in Jure cum illa, quæ oritur ex homicidio voluntario, excepta tamen dispensatione, de qua infrà. Pars 2. ex *can. 4. 5. 6. d. 55. c. 3. de corpore vitiatu.* nempe propter sævitiam & crudelitatem, quam erga se exercet vim sibi inferens, licèt se non mutilet, v. g. castrando, vel aliud membrum integrum amputando, sed tantùm partem membri, v. g. digitum, vel articulum digiti sibi abscindendo. Pars 3. exinde, quia nullo Jure id legitur expressum. Pars 4. ex eodem fundamento, concordante *can. 47. caus. 1. q. 1.* quia mutilatio non est, & membrum, ad functiones inefficax redditum, in æstimatione morali manet membrum corporis, licèt mortuum vel aridum sit.

27 Dico 7. Pro irregulari se gerere, & haberi debet in dubio facti circa occisionem, seu qui dubitat, non quidem de corpore delicti, an scilicet homicidium contigerit, an fœtus, quem expulit, fuerit jam animatus animâ rationali &c. sed qui dubitat, utrùm homicidium, quod constat esse factum, contigerit ex sua culpa nec ne, an vulnus, quod inflixit, fuerit lethale, & vulneratus ex eo obierit, vel imperitiâ Medici, aut Chirurgi, aut incuriâ ipsius vulnerati, an ex vulnere à se vel aliis inflicto, an ex mandato, aut consilio suo, vel potiùs ex malitia solius mandatarii, fœminæ abortientis &c. mors secuta sit. Ita decisum est *c. 12. & c. 18. h. t.* adjecta ratione, *quòd in dubio tutior pars sit eligenda.* Dixi 1. *in dubio facti*; nam in dubio *Juris*, utrùm nempe alicui actui sit imposita à Jure irregularitas, hæc non incurritur; quia in Jure expressum dici non potest, de quo dubitatur, an tale Jus exstet; irregularitas autem nunquam incurritur, nisi in casibus Jure expressis. *c. 18. de sent. Excom. in 6.* Dixi 2. *circa occisionem*; nam ad mutilationem non est extendendum. Sanch. *l. 1. Mor. c. 10. n. 49.* quamvis enim quoad irregularitatem æquiparentur homicidium & mutilatio, solùm tamen in dubio facti de homicidio expressa in Jure est irregularitas, adeóque non extendenda ad dubium facti de mutilatione. Dixi 3. *non quidem de corpore delicti &c.* quia pro hoc casu dubio ex una non reperitur in Jure decreta irregularitas, ex altera verò parte melior est conditio possidentis suam habilitatem ad susceptionem & executionem Ordinum Clericalium. *c. 65. de R. J. in 6.*

Oppones 1. Melior est conditio possidentis. *c. cit.* ergo in nullo dubio, etiam facti quocunque, aliquis est habendus pro irregulari. 2. odia sunt restringenda. *c. 15. eod.* ergo ad nullum dubium extendenda est irregularitas. 3. quilibet censetur innocens, nisi convincenter probetur nocens: sed in dubio facti, an ex suo vulnere secuta sit mors vulnerati, vulnerans non convincenter probatur nocens, seu auctor mortis: ergo 4. ratio, cur incurratur irregularitas in tali dubio facti, est, quòd tutior pars sit eligenda in dubio: atqui hæc ratio est universalis, & procedit etiam in dubio Juris, & in dubio facti de corpore ipsius delicti: ergo in omni dubio habendus est quis pro irregulari. §. ad 1. 2. & 3. illa procedere in aliis pœnis, non verò in irregularitate, de qua oppositum est expressum in *c. 12. & c. 18. citt.* Item possunt procedere etiam de dubio Juris, & circa corpus delicti, de quo oppositum non reperitur expressum in Jure. Ad 4. quamvis illa ratio videatur esse universalis, non tamen universaliter pro omni dubio accipienda est, sed tantùm universaliter pro omni & solo dubio facti, ubi dubitatur, an ex vulnere, vel ex alia causa mors vulnerati secuta sit, an ex vulnere à te, vel ab aliis inflicto; quia de hoc tantùm dubio loquuntur *citt. cc. 12. & 18.* ad quod illa rationis universalitas restringi debet, cùm versemur in odiosis & pœnalibus. *arg. c. 15. cit.* sicut enim lex odiosa non est extendenda à casu expresso ad non expressum, ita nec ratio legis odiosæ, licèt universalis sit; cùm aliquam universalitatem, nempe ad omnes casus expressos adhuc retineat. Aliud est de pœna mortis ordinaria in occidentes statuta, quæ nunquam in casu dubio, etiam an vulnus ex se fuerit lethale, nec ne &c. locum habet; quia, ubi de vita homini auferenda agitur, non sufficiunt probationes dubiæ. *l. fin. C. de probat.* 28

Dico 8. Immunès tamen ab irregularitate sunt, qui occidunt vel mutilant licitè, scilicet absque dolo & culpa, saltem graviter peccaminosa (modò id non fiat authoritate publica) uti occidentes, vel mutilantes injustum aggressorem, ad se vel alios in vita, membris, & rebus fortunæ tam alienis, quàm propriis, defendendos; vel merè casualiter, 29

ut siquis in loco competente conorum lusu vel jaculatione se recreat, alium verò repente & ex improviso accurrentem ferit vel trajicit. Utraque pars desumitur ex *Clem. si furiosus un. h. t.* & quidem de homicidio vel mutilatione casuali his verbis: *Si furiosus, aut infans, seu dormiens hominem mutilet vel occidat, nullam ex hoc irregularitatem incurret:* & infrà, de casu necessariæ defensionis, hisce: *qui mortem aliter vitare non valens occidit vel mutilat suum invasorem.* De homicidio (& mutilatione) casuali habetur quoque in *c. 13. seq. h. t.* Ratio; quia, si contraheretur in his casibus irregularitas, tunc vel ex delicto, vel ex defectu lenitatis Christianæ: non contrahitur ut pœna *ex delicto;* cùm ponatur, occisionem fieri merè casualiter & sine culpa gravi, vel ad necessariam defensionem servato moderamine inculpatæ tutelæ: neque *ex defectu lenitatis;* cùm iste defectus supponat voluntariam occisionem vel mutilationem juxta communem: qui autem hanc facit casualiter ac præter intentionem, voluntariè non facit, nec ille, qui ex necessitate defensionis, ad quam charitas, pietas, vel etiam justitia aut incitat aut obligat; atque hinc talis occisio vel mutilatio non *voluntaria*, sed passim *necessaria* dicitur. Nec obstat, quòd Judex, vel Miles, tametsi licitè occîdat absque culpa & dolo, obligatus etiam ex justitia, fiat nihilominus irregularis ob defectum lenitatis; nam Judici, ac Militi, omnino *voluntaria* est occisio aut mutilatio, saltem in causa; quia sponte, & saltem non ita coactè, suscepit officium Judicis, vel spartam Militis. Avila *de Censur. p. 7. d. 5. sect. 3. dub. 5.* Addatur hìc, & bene notetur regula generalis, quam ex Covarruv. & communi aliorum desumptam tradit Palao *de Censuris d. 6 pu. 15. n. 9. quicunque privata auctoritate licitè occidit, irregularis non est.* Atque sic defectus lenitatis, ob quem contrahitur irregularitas, solùm reperitur in homicidio licito publica auctoritate facto.

30 Oppones 1. In *can. 6. & 8. d. 50.* pro irregularibus, & ad susceptionem, usúmque Ordinum inhabilibus reputantur, qui ob sui defensionem commiserunt homicidium. 2. In Conc. Trid. *s. 14. c. 7. de ref.* dicitur sic: *si verò homicidium non ex proposito, sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se à morte defenderet, fuisse commissum narretur: quam ob causam etiam ad Sacrorum & Altaris ministerium &c. jure quodammodo dispensatio debeatur &c. Episcopus dispensare possit:* ergo ex homicidio casuali, vel ob necessariam defensionem facto incurritur irregularitas. 3. *Clem. cit.* loquitur de illo, qui occîdit ad evitandam mortem, & quidem propriam: ergo, qui pro defensione vitæ proximi, aut rerum Fortunæ occîdit vel mutilat alterum, fit irregularis. 4. Siquis forte alterum injustè irritâsset priùs verbis contumeliosis, alapâ, stuprô filiæ vel uxori ejus illatô &c. & propterea invaderetur periculosè in vita vel membris, is autem, ut contra hunc invasorem se defenderet, occîderet vel mutilaret alterum, utique fieret irregularis: ergo saltem in hoc casu committur irregularitas ex homicidio, vel mutilatione facta ad necessariam sui defensionem. R. ad 1. Ibi non est sermo de defensione necessaria, sed incauta, & excedente limites ac moderamen inculpatæ tutelæ. Ad 2. Tridentinum explicant declarationes Cardd. subjunctæ *sessioni cit. n. 3. & in Remissionibus litt. Graca d.* apud Gallemart, quòd loquatur de eo, qui admisit culpam vel in cavendo homicidio, vel excedendo in sui defensione, ex qua quidem contrahitur irregularitas, sed dispensabilis ab Episcopo. Neque credibile est, Tridentinum voluisse corrigere *c. 13. c. 14. citt. & d. Clem. un.* cùm nullius correctionis vel à longe faciat mentionem. Ad 3. Sufficit, quòd *Clem. cit.* non excipiat eos, qui vitam proximi, vel res suas, vel membra (nam mutilatio quoad irregularitatem contrahendam æquiparatur constanter in Jure homicidio) tuentur occidendo: cùm ex aliis Juribus & communi sensu DD. colligatur sufficienter, ad incurrendam irregularitatem ex homicidio privato ortam requiri dolum vel culpam. Neque una exceptio, quam videtur facere *d. Clem.* exprimens solam vitæ propriæ defensionem, excludit aliam in aliis Juribus satis expressam, per text. *in Clem. Exivi §. Deinde.* & ibi *gl. de V. S.* Ad 4. *dist. Ant.* contraheret irregularitatem, si rationabiliter prævidisset, vel prævidere potuisset, se ab altero ob hujusmodi injustam irritationem invadendum esse. C. *Ant.* quia tunc occisio foret injusta & graviter culpabilis mediatè & in sua causa. Si rationabiliter prævidere non potuisset periculum invasionis, & ad hanc pellendam necessariæ defensionis occisivæ. *N. Ant.* quia tunc occisio nec in causa fuisset voluntaria, & sic nec mediatè nec immediatè injusta formaliter.

Dico 9. Irregulares tamen fiunt omnes 31
qui publica authoritate ad occisionem vel mutilationem scelerati directè, propinquè, & efficaciter concurrunt, effectu secuto, licet agant licitè, justè, & sanctè. Ita plerique omnes propter textus in *can. 1. d. 51. can. 21. 29. caus. 23. q. 8. c. 5. c. 9. Ne Clerici vel Mon. c. 21. h. t. c. 2. eod. in 6. c. 10. de Excess. Prælat.* Ratio; quia Ecclesia judicavit, inconveniens esse, ut Christi assecla admittatur ad incruentam DEO hostiam offerendam, & mansuetissimum Agnum (Christum) in altari tractandum, qui sanguinem fudit alienum, vel ad mortem aut ad mutilationem hominis cooperatus est, fortè inducta exemplò ipsius DEI, qui in veteri Testamento noluit sibi templum ædificari & consecrari à Davide, quòd multum sanguinis fudisset, quamvis licitè, sed à Salomone pacifico. *2. Reg. c. 7. & 1. Paral. 22.* Unde à DD. hæc irregularitas dicitur contrahi *ex defectu lenitatis Christianæ*, seu mansuetudinis, non *ex delicto.* Ex allegatis proin textibus inferunt DD. quòd irregulares efficiantur, 1. *Judex* proferens sen-

sententiam mortis vel mutilationis. 2. *Assessores, Consiliarii &c.* qui suô suffragiô vel consiliô sententiam promovent. 3. *Accusator*, vel *Denuntiator* malefactoris, si agat criminaliter, seu non præcisè suam utilitatem, sed vindictam publicam intendat, non obstante, quòd fortè protestetur contra pœnam sanguinis; si enim delictum per se illam mereatur, & ipse accuset criminaliter, protestatio est contraria facto. 4. *Advocatus* stans contra Reum. 5. *Testes*, ex quorum testimonio condemnatur reus: à multis tamen excusantur, qui non voluntariè, sed coacti mandatô Judicis testificantur. 6. *Notarius* scribens, subscribens, dictans, recitans sententiam. 7. *Ministri Justitiæ*, sententiam exequentes, & alii propinquè ad executionem *cooperantes*, uti qui applicat scalam ad suspendendum furem, satellites, qui Reum custodiæ causâ comitantur ad supplicium &c.

32 Econtra immunes ab irregularitate sunt 1. *Summus Pontifex*, utpote per *c. 6. de Elect.* illius incapax; cùm suis legibus non ligetur. 2. *Inquisitores* hæreticæ pravitatis, eorumque Consiliarii &c. licèt convictos de hæresi jubeant occidi, sic volente Paulo IV. & S. Pio V. 3. *Episcopi* & *Prælati Ecclesiastici* jus gladii habentes, qui constituunt Judicem ad causas sanguinis in genere, imò etiam circa personam particularem ream adjectâ hac vel simili clausulâ, *ut cognitâ causâ administrent justitiam*, modò Judicibus à se delegatis non mandent, ut certæ personæ mors vel mutilatio determinatè inferatur, sed tantùm generaliter, ut fiat, quod Juris est. Barb. in *c. 2. h. t. in 6. n 13.* P Schmalzgrueber *h. t. n. 102.* & alii communiter. Unde hìc non procedit *regula 72. in 6. qui facit per alium, est perinde, ac si faciat per se ipsum.* 4. *Judex Ecclesiasticus* Clericum degradatum tradens curiæ sæculari secundùm Leges puniendum (licèt Leges statuant pœnam mortis) interpositâ tamen intercessione, ut citra mortis periculum temperetur sententia; quia non directè influit in pœnam mortis, sed solùm privat reum privilegiô Clericali. 5. *Confessarius* renuens absolvere Judicem, qui detrectat ferre sententiam mortis, cùm tamen teneretur, vel hortans reum, ut fateatur crimen, quando eum ad confessionem teneri in conscientia existimat; quia incredibile est, Ecclesiam velle irregularem fieri ex actione, ad quam vi sui officii obligatur Jure Divino, cùm id nullibi satis clarè reperiatur expressum in Jure. 6. *Professor* in scholis explicans Leges pœnam mortis inferentes, uti & *Jurisperitus* privatim interrogatus de aliquo reo in particulari, an promeritus sit mortem, vel ad hanc licitè condemnari possit, si generatim solùm respondeat, & explicet, quid Juris sit, & quid Leges in tali casu statuant, vel eum secundùm Leges promeritum esse mortem. Palao & alii multi; modò non dicat suadentis in modum, hunc in particulari esse puniendum morte secundùm Leges; quia tantùm aperit rei veritatem, nec incitat Judicem ad inferendam necem, neque concurrit authoritate publica. Aliud esset, siquis publica auctoritate esset constitutus ad dandam in similibus resolutionem. 7. *Accusans* aliquem de crimine, mortem vel mutilationem non promerito, licèt Judex limites Justitiæ excedens talem morte vel mutilatione puniat. 8. Civiliter *conveniens* (licèt Clericus sit) aliquem super crimine quidem capitali, at persequens utilitatem & interesse proprium, vel patriæ, vel Ecclesiæ, vel parentum, vel aliorum propinquo sanguine sibi conjunctorum, modò expresè protestetur, se non intendere vindictam publicam, sed solùm agere ad interesse & ad reparationem illati damni, etiamsi postea mors conventi vel denuntiati sequatur, eâque prævisa sit secutura, & quamvis res suas potuisset aliter recuperare, ut notat Barb. cum Abb. Sumitur ex *c. 2. & c. 21. citt.* Idque procedit, licèt Clericus, vel alius, super crimine capitali agens civiliter, protestetur fictè contra pœnam sanguinis, ac in animo hanc optet; cùm protestatio ficta apud Judicem, fictionis & pravi desiderii ignarum, eandem vim habeat, quam syncera protestatio, Judicem potiùs avertendo, quàm alliciendo ad pœnam: atque Ecclesia tantùm judicet de externis. Aliud foret, siquis super crimine capitali ageret in Judicio civiliter ad interesse personarum extranearum, & ad damnum his jam illatum reparandum, ut eruitur argumentô à contrario ex *c. 2. cit.* ubi additur *suis* malefactoribus. 9. *Opifices*, qui gladios, furcam, vel alia instrumenta mortis conficiunt, vel qui illa afferunt; quia remotè tantùm, nec notabiliter cooperantur. 10. *Spectatores* feralis executionis, etsi Clerici sint; quia præcisè spectando, vel interessendo executioni ad hanc neque remotè neque proximè cooperantur. Nec obstat, quòd *c. 9. cit.* prohibeatur Clericis, ne intersint, ubi exercetur vindicta sanguinis, & quidem eo modo, quo ipsis prohibetur sententiam sanguinis ferre. Nam textus est intelligendus de præsentia authoritativa ad executionem aliquo modo cooperante, ut ait Gonzal. Deinde ibi non exprimitur irregularitas, sed mera prohibitio, quæ vel est abrogata, vel seclusô scandalô gravi non est gravis, ut notant alii DD. 11. Probabiliùs etiam *Clerici*, qui *assistunt Reis* ultimô supplicio afficiendis, eósque monent ad procedendum, ut breviori via incedant, scalas ascendant, manus ligandas præbeant, supponant caput carnifici ad excipiendum ictum, vel facto promovent celeriorem gressum, licèt per hæc mors acceleretur, uti docet Molin. Laym. Palao, eò quòd hæc levia sint, & quasi pro nihilo reputentur, ac insuper fiant extrajudicialiter, nec authoritate publica. Quamvis P. Suar. moneat tales, ut nec verbô, nec factô, accelerent mortem. A fortiori securi sunt, qui præter intentionem verbô vel factô illam accelerant. 12. *Infideles*, seu non-baptizati, uti Pagani, Turcæ, Gentiles

tiles &c. cùm Leges Ecclesiasticæ ad hos tanquam non subjectos se non extendant.

33 Dico 10. Ex eodem defectu lenitatis Christianæ efficiuntur irregulares, qui in bello justo offensivo per se ipsos, seu propriô factô aliquem occîdunt vel mutilant, licèt non peccent; imò etiam qui rationabiliter dubitant, num propria manu aliquem occîderint. Iterum communis ex *can.* 1. *d.* 51. *cap.* 24. *h. t. c.* 3. *de Clerico percuss.* Dixi 1. *in bello justo*; nam pugnantes in bello injusto, & cooperantes, ferendo auxilium, submini-strando arma, adhortando &c. omnes fiunt irregulares, licèt per se ipsos neminem occîderint vel mutilaverint, modò unicus indè occisus vel mutilatus fuerit; at non tam ex defectu lenitatis, quàm ex delicto. *can.* 4. *d. cit. c.* 6. §. *fin. h. t.* quia omnes fiunt una causa moralis ob commune consilium & conjunctam operam ad homicidium vel mutilationem injustam. Excipe illos, qui militibus serviunt vel assistunt in spiritualibus. 2. *offensivo*; si enim bellum foret defensivum, probabiliùs nec propria manu occîdentes incurrerent irregularitatem, saltem Laici (nam de Clericis, nisi sint Ordinis Militaris, in bello defensivo occidentibus, Doctores concedunt tantùm in casu, quo Laici non sufficiunt ad propulsandum hostem) Sumitur ex *c.* 2. *de Immunit. Eccl.* item ex *Clem. si furiosus h. t.* ubi permittitur absque metu irregularitatis defensio sui ipsius, etiam occisiva, & aliorum privatorum, in rixa privata; cur ergo hæc defensio occisiva non liceat suscepta ob defensionem Patriæ vel Ecclesiæ in bello defensivo publico? 3. *per se ipsos*; qui namque satis certi sunt, quòd propriô factô neminem occîderint vel mutilaverint, aut vulnere lethali percusserint, sive Clerici fuerint sive Laici, ab irregularitate immunes sunt, licèt à commilitonibus plurimi sint occisi. *c.* 3. *&* 24. *citt.* & ibi DD. Unde neque Duces, neque Clerici, hortantes ad fortiter pugnandum in bello justo offensivo, irregulares fiunt, modò ipsi per se non occîdant, vel mutilent, neque incitent ad aliquem in particulari occîdendum. 4. *Imò etiam, qui rationabiliter dubitant &c.* ut patet ex *c.* 24. *cit.* ubi dicitur, quòd in tali dubio consultius sit abstinere, quàm celebrare: si tamen dubium esset leve, vel potiùs scrupulus, melior foret utique conditio possidentis habilitatem ad suscipiendos & exercendos Ordines.

Oppones 1. In *Clem. Si furiosus un. h. t.* illi
34 duntaxat occîdentes vel mutilantes excusantur ab irregularitate, qui mortem aliter evitare non valentes id faciunt: sed milites, qui liberè & non coactè militiam sequuntur, & in bello justo, etiam defensivo occîdunt vel mutilant, potuissent occisionem aliter evitare, nomen non dando militiæ: ergo occîdentes etiam in bello defensivo fiunt irregulares. Ita quidem P. Engel *h. n.* 58. censet. 2. Quando plures concurrunt ad aliquod factum, v. g. ad occîdendum, censentur omnes esse una causa moralis homicidii, licèt multi istud physicè non causent; & hinc in bello injusto pugnantes, licèt per se neminem occîderent, irregulares fieri diximus: ergo etiam in bello justo offensivo pugnantes, licèt propriô factô neminem occîderint, omnes evadunt irregulares. 3. In *c.* 24. *cit.* ex quo probavimus, eos, qui in bello justo offensivo neminem occîderunt, vel de hoc conscientiam non habent, non fieri irregulares, sermo est de bello defensivo: ergo. 4. Clericis expresè & graviter prohibitum est propriis manibus pugnare *can.* 4. 5. *caus.* 23. *q.* 8. *c.* 9. §. *fin. de Voto*: ergo, si id faciant in bello justo, seu offensivo seu defensivo, licèt per se neminem occîderint, sunt irregulares. 5. In *c.* 6. §. *fin. h. t.* habentur pro irregularibus Clerici, *quos constat armatos interfuisse tanto facinori, & qui consilium dederunt &c.* ergo Clerici, si in bello compareant armati, vel hortentur ad occidendum, fiunt irregulares. 6. Idem Clerici in *c.* 5. *de pœnis* dicuntur enormiter peccare, qui *personaliter exercent conflictum, & qui alios invitant ad pugnandum*: ergo fiunt irregulares ex delicto. 8. ad 1. *Clement. cit.* loquitur de defensione privata, à qua non fit bona extensio ad defensionem Reipublicæ in ordine ad inducendam irregularitatem, cùm hæc non incurratur, nisi expressa sit in Jure. Deinde non est credibile, quòd Ecclesia eam statuerit in occidentes in bello defensivo ex eo capite, quia liberè militiam secuti sunt, cùm hoc modo impediret necessariam sui ipsius defensionem, vel patriæ, in necessitate per metum irregularitatis. Ad 2. *N. Conf. & paritatem*, quamvis enim plures, qui concurrunt ad homicidium licitum in bello justo offensivo, fiant una causa moralis, tamen Ecclesia non in omnes statuit irregularitatem, sicut in concurrentes in bello injusto; nam illi dant operam rei licitæ, &, si propterea incurrerent irregularitatem, etiam qui propria manu non occîdunt, nimis multi eam contraherent, & sic absterrerentur à bellis justis cum gravi præjudicio Reipublicæ. Ad 3. Quamvis initiò fuerit bellum defensivum, postea tamen transiit in offensivum ex parte Christianorum; quia è castro egressi infideles persecuti sunt aggressive. Ad 4. Quamvis prohibita sit Clericis pugnæ societas in bello offensivo, & in defensivo non necessario, ut Clerici personaliter pugnent, tamen non est prohibita sub pœna irregularitatis. Ad 5. Ibi est sermo non de bello, sed de occisione & aggressione privata, eáque injusta, nimirum S. Thomæ Archiepiscopi Cantuariensis: quid ergo ad bellum iustum indè inferatur? Ad 6. Textus loquitur de pugnantibus & incitantibus ad pugnandum in bello injusto, uti communiter notant cum Glossa. Neque statuit irregularitatem, sed depositionem ferendæ sententiæ.

Dico 11. Dispensare in irregularitate om- 35
ni, quæ contrahitur ex homicidio vel mutilatione

tilatione, potest Papa. 2. Episcopus verò tantùm in ea, quæ provenit ex mutilatione occulta, & ad forum contentiosum non deducta, & quæ ex homicidio non simpliciter & perfectè voluntario, uti est casuale conjunctum cum culpa gravi, factum ad sui defensionem, non servato moderamine inculpatæ tutelæ, item factum in subita rixa, uti multi volunt cum Suar. & Nav. contra Molin. & Tambur. 3. Ampliorem potestatem ex speciali privilegio quoad suos subditos ferè obtinent Prælati Regulares, extendentem se ad dispensandum etiam in orta ex homicidio perfectè voluntario injusto, imò & justo, quæ ob defectum lenitatis in causa sanguinis a Judice, & Ministris Justitiæ, ac à pugnantibus in bello justo offensivo contrahitur; licèt horum dispensationem non teneantur Episcopi admittere in foro externo, ut notat Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 12. assert. 7. n. 4.* Pars 1. evidens est; quia omnis irregularitas inducta est Jure Ecclesiastico, supra quod est Pontifex, ejus auctor. Nec obstat, quòd irregularitas orta ex homicidio voluntario injusto dicatur esse *indispensabilis*; sensus enim est, quòd difficulter & admodum rarò in ea dispensari soleat, ac ferè tantùm cum Religiosis, vel Ordinem Mendicantium ingredi volentibus, ut cum Covarruv. notat P. Pirhing *h. n. 125.* & alii. Pars 2. sumitur tum ex *can. 4. d. 21. & cap. 4. de Concess. præb.* ubi habetur, quòd inferior nihil possit in lege Superioris, consequenter nec Episcopus in Jure Communi, tum ex Trid. *s. 24. c. 6. de ref.* ibi: *liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta eâ, quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis, deductis ad forum contentiosum, dispensare*: ergo si irregularitas oritur ex mutilatione occulta, & non deducta ad forum contentiosum, vel ex homicidio non simpliciter aut perfectè voluntario, occulto &c. Episcopus à Tridentino consecutus est facultatem dispensandi; cùm Tridentinum excipiat solum voluntarium, etiam occultum, sive dein sit injustum privatâ, sive justum publicâ auctoritate commissum. Quamquam Covarruv. Diana, Lessius, & octodecim alii apud Pasqual. & Laym. *lo. cit.* dicantur tenere, irregularitatem, ex defectu lenitatis ortam ex homicidio publica auctoritate facto in Judicio sanguinis & bello justo, dispensabilem esse ab Episcopo, & Regularibus privilegium habentibus exceptô homicidiô, si id occultum esset; eò quòd per *homicidium* strictè sumptum videatur intelligi injustum & illicitum, ac perfectè voluntarium. Sed reclamare videtur praxis. Porro delictum *occultum* in ordine ad dispensationem ab Episcopo obtinendam dicitur non solùm illud, quod ita latet, ut in Judicio probari nequeat, sed probabiliter etiam, quod est *penè occultum*, seu non notorium notorietate Juris, nec notorietate facti, de quo nempe reus nec condemnatus, nec in Judicio convictus aut confessus est, & quod ultra quinque v. g. homines non sciunt, ut tenet communis cum Sanch. Navar. Barb. *de Offic. Episc. alleg. 39. à n. 21.* In ordine autem ad eandem dispensationem *non deductum ad forum contentiosum* censetur, super quo apud Judicem nondum est facta contestatio litis, & tale est, ut in Judicio cum effectu probari possit. Barb. *de Offic. Episc. alleg. 39. cit. n. 29. seqq.* P. Wiestner *h. t. n. 170. seq.* cum aliis. Pars 3. patebit inspicienti privilegia Regularibus plerisque quoad hoc punctum concessa, quæ referuntur à Roderiquez, Donato, Miranda, Pellizar. Palao. De Ordinibus Mendicantium testatur Wagnereck ad finem hujus Rubricæ, quòd eorum Superiores habeant facultatem cum suis dispensandi super irregularitate ex quovis homicidio non notorio ex speciali concessione Martini V. Quæ facultas quoad irregularitatem ex homicidio, & mutilatione, reservatur in nostra Societate Præposito Generali, sicut quoad eam, quæ contracta est ex bigamia; licèt facultas dispensandi quoad alias irregularitates communicetur omnibus Superioribus, & hi eam committant Confessariis, quibus volunt, in eadem Societate. *Compend. Privil. Societ. JESU V. dispensatio §. 5. edit. recent. Prag.*

TITULUS XIII.

De Torneamentis.

SUMMARIUM.

1. Torneamenta, & pugnæ cum bestiis.
2. 3. An, & quænam liceant.

SCiendum, ad evitanda homicidia, de quibus paulò antè, hic removeri eorum occasiones & causas, nimirum torneamenta periculosa, & in *tituli seqq.* duella, artis sagittariæ vel balistariæ exercitium. *Torneamenta*, à voce Italica *torneare*, quod est gyrare, circuire, Germanicè autem Thurnier appellata, sunt hastiludia seu pugnæ equestres, quibus Milites, vel Nobiles Equestri Ordinis, ex dicto conveniunt, & ad virium, animositatis, armorúmque tractandorum peritiæ ostensionem vel exercitium, equis insidentes congrediuntur. Cujusmodi antehac in Germania erant frequentia, & ingenti solennitate convocatis longè latéque Nobilibus primæ notæ institui solita. Sed olim quibusdam in locis magnus in his hastiludiis erat abusus, tum quia ad ostentationem virium ac audaciæ, tum & maximè quia cum ingenti vitæ congredientium periculo, cúmque armis ad vulnerandum & necandum aptis celebrabantur: hodie verò cum debitis cautelis, talique moderatione armorum adhibentur, ut per se nullum sit cædis vel gravioris vulneris periculum, &, siquid hujusmodi eveniret, per accidens & casualiter evenisse credendum foret: finis verò honestus præfigitur, nempe exercitatio in equis & 1

armis dextrè tractandis, item in signum lætitiæ ob relatas victorias, ob natales, nuptias vel adventus Principum, ad celebriores reddendas festivitates. Torneamentis vicinæ sunt Agitationes taurorum, vel ferarum, quihuscum homines in pugnam descendunt: quæ in Hispania maxime in usu sunt, atque olim valde erant periculosæ, modernis autem temporibus caveri solet adhibitis cautelis, ne indè hominibus immineat periculum mortis.

2 Dico. Quamvis Torneamenta (Agitationes taurorum) prout antiquitus erant in usu, conjuncta cum mortis vel gravis vulneris periculo, fuerint utroque Jure graviter prohibita, & sub pœna in homicidas statutâ, qui alium occiderant, & privatione sacræ sepulturæ in eos, qui ibi occubuerant, licèt pœnitentes, ut patet ex *l. un. C. de Gladiator. lib.* 11. *c.* 1. *& 2. h. t.* ac ibi notant DD. & ex Constit. S. Pii V. edita 1567. contra Agitationes taurorum. Prout tamen hodie cum debitis cautelis instituuntur, nec prohibita sunt, nec pœnæ subjacent, cùm culpâ vacent, & ratio prohibitionis cesset, uti communis habet DD. cum Abbat. in *c.* 1. *cit. n.* 8. & Barb. *ibid. n.* 4. atque tolerata praxis confirmat. Clericis tamen & ista hodiedum vetita sunt, quia referunt speciem bellicæ exercitationis, quæ dedecet personas Ecclesiasticas, & hinc sub anathematis pœna Clericis Torneamenta ista prohibuit Concilium Herbipolense, & Salisburgense, ut testis est Gonzalez in *c. 2. h. t. n. 6. &* 11.

3 Oppones 1. *l. 7. §. 4. ff. ad L. Aquil. & l. 2. ff. de Aleator.* permittitur usus Torneamentorum, etiam periculosorum & temerè susceptorum, prout antiquitus instituebantur: ergo non utroque Jure erant prohibita. 2. In Concil. Vienn. *Constit. Passiones.* Clemens V. prohibuit sub excommunicatione reservata etiam moderata hastiludia propter immodicos sumptus, quos cupiebat in subsidium belli sacri ad recuperandam terram sanctam impendi: ergo. R. ad 1. Illas leges sustulit posterior lex *un. C. de Gladiat. cit.* Ad 2. Prohibitionem Clementis ad instantiam Regis Galliarum & Germaniæ Principum revocavit Joan. XXII. *in Extrav. un. h. t.* ut haberentur milites exercitati.

TITULUS XIV.

De Clericis pugnantibus in Duello.

SUMMARIUM.

1. *Duellum quid, & quas requirat conditiones.*
2. *Solenne, & privatum: licitum & illicitum.*
3. *Quæ duella sint licita.*
4. *Quænam illicita.*
5. 6. 7. *Acceptare, magis offerre, duellum præcisè ob punctum honoris, omni Jure est prohibitum.*
8. *Juxta alios tamen id permissum est, si non præcisè honor, sed etiam bona Fortuna, & officium aliàs sint amittenda.*
9. 10. *Quæ sint pœnæ illicitè duellantium, & concurrentium. Et quis ab hoc peccato possit absolvere.*
11. *Quid? si Clericus pugnet in Duello.*

SCiendum 1. *Duellum*, quasi duorum bellum, Græcè *Monomachiam*, quæ est pugna unius cum uno, dictum, communiter quidem sic definiri, *est singulare certamen inter duos ex condicto susceptum*; accuratiùs tamen & in ordine ad incursionem pœnarum melius à Filliuccio, Bonac. Thoma Tamburino in *Decal. l. 2. c. 39. n. 1. 24. &c.* Gobat. *tr. 7. casu 18. n. 572. Theol. Experim.* sic describi posse: *est certamen singulare ex privatis causis & ex condicto ab utraque parte deliberatè susceptum, designato tempore & loco, ad occisionem, mutilationem, aut gravia vulnera infligenda.* Unde præsè sumptum duellum non est 1. si belli Duces ex utraque parte hostili mittant certum militum numerum (non enim est necesse, ut tantùm unus cum uno, seu duo inter se certent) ad pugnandum, v. g. decem contra decem; quia tale certamen non *privata ex causa*, sed publica auctoritate ad bonum publicum suscipitur, & est pars belli. 2. si duo ex occasione rixæ deveniant ad provocationem, & durante iracundiæ æstu ad aliquem locum progressi digladientur: aut si ad occursum inimici excandescas, eúmque statim provoces, & cum illo congrediaris: aut si exortâ inter duos in domo vel Ecclesia rixâ, & mox egressi ad vicinum forum vel plateam strictis gladiis se petunt: aut si unus morantem in certo loco inimicum conspicatus domum eat, ut gladium afferat, ac postmodum pugnet cum illo &c. quia non congrediuntur *ex condicto* seu conventione per aliquod temporis intervallum prævia. Aliud foret, si unus ad alterum diceret: *exspecta hic, dum afferam arma*: vel: *vade & affer gladium, hic te exspecto*: vel: *exeamus ad illum locum, & ibi congrediamur*: vel: *in hoc loco non decet pugnare, sed veni mecum in publicam plateam.* 3. si Titius, dum offert Cajo singulare certamen, statim eum aggreditur gladiô; quia non est certamen utrinque deliberatè ac sponte initum: nam Cajus cogitur se defendere, & Titius est instar aggressoris. 4. si duo se provocent ad pugnandum certo tempore & loco, & ibi in hunc finem compareant, at pugna aliunde impediatur; quia certamen non est actu *susceptum*. 5. si tantùm designetur tempus, non verò *locus*, vel locus, non verò *tempus* ad congrediendum, ut si unus ad alterum dicat, *veni foras, exeamus* (komb heraus) vel: *cras horâ octavâ compareas ad duellum*: vel *invito te ad duellandum in platea propè cœmeterium extra portam.* Si quis tamen provocatus ad certum locum, & certum tempus, egrederetur illuc tali tempore, licèt non condixerit expresè ad duellandum, duellum tamen secuturum prævi-

dens

derit, illúdque postea sequatur, mihi videtur verum duellum; quia talis egressus tali tempore non est indifferens, nec causa certaminis tantùm per accidens, sed ex condicto tacito. 6. si se invitent ad pugnandum in certo loco & tempore, at sine armis, ad occîdendum vel graviter vulnerandum cum periculo vitæ per se aptis, licet per accidens sequatur mors, v. g. ad pugnandum virgâ, baculo levi, vel acinacibus ligneis brevibus, mit Dusacken / uti in spectaculis solent die Feder-Fechter und Marx-Brûder / pugnis &c, aut si mulieres congrediantur evulsione crinium, laceratione vultûs unguibus &c.

2 Sc. 2. Duellum dividi 1. in solenne & privatum. *Solenne* est, quod fit cum certis ritibus & forma, nempe adhibitis *patrinis* seu *secundantibus*, ut vocant, litteris provocatoriis, vulgò Chartell / ac ferè in loco congredientibus securitatem præstante, quem vocant *campum francum* &c. Econtra *Privatum* est, quod quidem ex condicto, ac designatis certo tempore & loco fit, at sine ulteriori solennitate. 2. in *Licitum & Illicitum*, prout nempe causa duelli fuerit justa vel injusta. Hic igitur inquirendum, quodnam duellum sit licitum, vel non. Proinde

3 Dico 1. Licitum est duellum 1. in casu, quo DEus ipse daret expressè facultatem duellandi. 2. ob bonum Reipublicæ assumptum, v. g. ad finiendum bellum, ejúsque calamitates declinándas, aut ad parcendum sanguini, qui effunderetur, si totus exercitus utrinque collideretur: sic bellum justum gerens Princeps hosti potest offerre duellum, ut ex quolibet agmine unus (vel plures pari numero) in singulare certamen descendant, ea conditione, ut victoria sit penes illum exercitum, cujus deputatus ad duellum fuerit victor: modò per tale duellum victoria non reddatur magis dubia, quàm esset, si cum omnibus copiis dimicatio fieret. 3. ad defensionem vitæ, vel bonorum etiam, necessariò susceptum, ut si tibi aliquis intentet certam mortem, direptionem bonorum, incendium domûs, nisi cum ipso (non cum tertio, qui est innocens) congrediaris duellô. Aliud est, si susciperetur præcisè ad defendendum honorem, uti dicemus in Assertione tertia. 4. susceptum ob defensionem honoris Divini, Religionis, boni communis, ut siquis non cesset blasphemare DEum, profanare res sacras, persequi Rempublicam, nisi cum ipso duellum ineas. 5. si duobus, ob delicta ad mortem damnatis, injungatur duellum, ut, qui alterum occîderit, vitæ gratiam habeat. Pars 1. claret, cùm DEus sit dominus vitæ & necis hominum. Pars 2. defenditur à plerisque; quia non est ratio, cur duo, vel pauci quidam, non possint congredi ad mortem vel gravia vulnera inferenda, cùm toti exercitus id possint, atque sic multorum parcatur sanguini, & ærumnis ex bello in plures redundaturis. Accedit exemplum Davidis cum Goliath duellantis, Edu-

ardi III. Angliæ Regis Philippum VI. Valesium, Caroli V. Imperatoris Franciscum I. Galliæ Regem, Caroli Ludovici Electoris ad Rhenum Comitem Turenium, ad singulare certamen ex simili causa provocantium. Ad idem se obtulisse constat S. Wenceslaum Regem, nemine improbante. Pars 3. probatur ex illis principiis, ex quibus suprà cum communi omnium licitum esse docuimus, occîdere injustum aggressorem vitæ & bonorum, servato moderamine inculpatæ tutelæ, si nempe alia ratio & modus non suppetat, se vel sua defendendi. Nam talis offerendo vel acceptando duellum potiùs ex necessitate, quàm voluntate, atque invitus eligit tam atrox remedium, & periculum dubium ad evitandum certum, adeóque minus malum ad declinandum majus; quod utique prudenter agit, & sic licitè. Pars 4. difficultatem non habet; quia bonum honoris Divini, Religionis, Reipublicæ, longè majus est, & præferendum bono privato vitæ propriæ, vel bonorum Fortunæ: cur ergo non liceat istud exponere pro illo defendendo? cùm etiam liceat ob propriæ vitæ privatum bonum duellare. Pars 5. suadetur inde, quia Juri Naturali non repugnare videtur, utrumque mortis reorum constitui ministrum Justitiæ in alterum, ad exequendam mortis sententiam, ut adeò tum publicæ justitiæ zelô, tum propriæ vitæ servandæ studiô rectè suscipiatur duellum, licet à Judice non facilè deferendum sit, & vix sine peccato possit.

Dico 2. Illicitum verò est duellum, quod 4 suscipitur 1. ad ostentationem virium, audaciæ, armorum peritiæ. 2. ad spectantium oblectationem. 3. ad vindicandam injuriam, vel ex odio &c. 4. ad manifestandam veritatem, innocentiam, vel ad objecti criminis purgationem: qua de causa ut in lite dubia dignoscerent rei veritatem, antiqui sæpius duellum pro remedio adhibuerunt, aliis probationibus destituti, idque non Judices tantùm deferebant, sed & litigantes ad singulare certamen confugiebant (sie gebrauchten das Faust-Recht) ea lege, ut is causam perderet, qui in pugna succumberet. Ita omnes quoad omnia membra; quia duellum ex hujusmodi causis offerre, vel acceptare, repugnat omni Juri, Naturali ac Divino, Civili & Canonico; sic enim ob finem vanum, stolidum, peccaminosum, &, uti fit in ultimo casu, superstitiosum (quia simul intervenit tentatio DEI) vita propria & aliena in manifestum discrimen adducitur: quod utique contra rectam rationem, atque contra *Jus Naturale* est, ac intrinsecè malum, maxime cùm non tantùm vitam corporalem tum suam, tum proximi, quem occîdere molitur duellans, sed etiam spiritualem animæ, & æternam felicitatem uterque perditum eat miser, & æternùm futurus miser, qui occubuerit: quod repugnat Justitiæ, & Charitati tum erga se, tum erga proximum;

cùm nemo sit dominus vitæ suæ, aut alienæ, uti nec membrorum, ut se aut alium occidere possit vel mutilare, nisi DEus dederit potestatem, quam utique in dictis casibus non concedit, sed positivè negat per generalem prohibitionem, *non occides. Exod. 20. & Deut. 5.* ac per generalem reservationem dominii in vitas hominum, *ego occidam, & ego vivere faciam. Deuter. 32. v. 39.* Quare & *Juri Divino* repugnat duellum ex hujusmodi causis vanis, vel peccaminosis susceptum. Nec in ullius humani Principis potestate est illud concedere, cùm nihil possit contra Jus Divinum ac Naturale. Sed & *Juri Civili* adversatur, ut DD. cum Brunnem. *in l. un. C. de digladiat. lib.* 11. colligunt tum ex *cit. l.* tum ex aliis, quibus Leges prohibent & vindicant homicidia. Imò speciali sanctione monomachiam anno 1668. severissimè prohibuit Leopoldus Imperator *glor. mem.* cum consensu Statuum in Comitiis Ratisbonensibus congregatorum, pœnámque capitis statuit in eum, qui in duello alterum occiderit, saltem si fuerit provocans, ut refert Gobat in *Theol. Experim. to. 1. p. 1. tr. 7. n. 573. in Appendice duellari.* quæ constitutio spectat ad Jus Novum Romano Germanicum. Denique contrariatur vel maximè *Juri Canonico*, ut patet ex *can. Monomachiam 22. caus. 2. q. 5. ex c. 2. h. t.* ac præcipuè ex Tridentino, quod *sess. 25. c. 19. de Ref.* sic detonat: *detestabilis duellorum usus, fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur: Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones &c. qui locum ad monomachiam in terris suis inter Christianos concesserunt, eo ipso sint excommunicati &c. qui verò pugnam commiserunt, & qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidæ juxta SS. Canones puniri debeant, &, si in ipso conflictu decesserint, perpetuò careant Ecclesiastica sepulturâ. Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in Jure quàm facto dederint, aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non spectatores, excommunicationis ac perpetuæ maledictionis vinculò teneantur: non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine, etiam immemoriali.* Similia habent Pontifices in suis Constitutionibus, uti Jul. II. Leo X. Clemens VII. Pius IV. *in Constit. Ea, quæ. ann. 1560.* maximè Gregor. XIII. *in Constit. Ad tollendum. 1582.* & Clem. VIII. *in Constit. Illius vices. 1592.* qui ultimi duo Tridentinum extenderunt etiam ad duella privata, ubi *nulli patrini sociive ad illa vocati fuerint, nec loci securitas habita, nullæve provocatoriæ litteræ, aut denuntiationis Chartulæ præcesserint*, eò quòd *non minùs cruenta, & animæ & corpori noxia* sint, ac solennia. Atque hæc certa sunt, in dubium tamen revocant, an pariter illicita sint duella, quæ ineuntur ea conditione, ut cessetur, quamprimum alteruter fuerit vulneratus, aut post certum congressuum vel ictuum numerum? Item quæ suscipiuntur fictè, ac sine animo sese vulnerandi, sed tantùm ut legibus duelli satisfiat per rixam levem ex condicto initam, donec ab aliis dirimantur pugnantes. Sed videtur indubitatum, utraque esse illicita: priora quidem; quia per se periculosa sunt etiam quoad vitam: posteriora autem, quia scandalum præbent, & Clemens VIII. prohibuit quoque duella non fatalia: quamquam ad hanc prohibitionem forte dici posset, eam solùm afficere duella, quæ per accidens non sunt fatalia, non verò per se & ex intentione congredientium. Id tamen verum esse concedo, quòd posteriores, nempe fictè duellantes, excommunicationem & alias pœnas non incurrant. Pertinaciùs contendunt, ac dubium movent perversi quidam scioli, vel imperiti, utrùm acceptare liceat duellum ad evitandam timiditatis notam, atque ob punctum honoris? Ad quod &c.

Dico 3. Illicitum est omni Jure, Naturali, Divino, Humano utroque acceptare duellum (multò magis offerre) præcisè ob punctum honoris, seu ad declinandam ignominiam vel dedecus. Eruitur Assertio ex præcedente, quia hæc causa non est talis, ob quam DEus censeri possit dedisse potestatem auferendi vitam alteri, vel suam prodigendi: & sanè si ob causam evitandi existimatum ex recusato duello probrum liceret duella suscipere, Respublica innumeris lacerateretur cædibus cum summa pernicie civium, animarum æquè, ac vitæ corporalis jacturas irreparabiles facientium; eò quòd homines plurimi circa punctum honoris sint admodum delicati, mirabiles, imò insani, dum nescio quas leves honoris perstrictiones, & verbula paululum aculeata, omissum in titulo apicem, & similia crepundia stolido phantasmate tanquam ingentem honoris voraginem in suo sibi cerebro depingunt, similes fatuis, qui phantasiâ corrupti verba quædam nullatenus pati sustinent, & his offensi ad saxa, cultros &c. gravem injuriam, ut sibi stolidè imaginantur, ulturi convolant: si ergo ob honoris punctum duellare liceret, periculum manifestum foret & promissimum perpetuarum cædium; atque ideo duella ex hoc capite prohiberi omni Jure necesse fuit. Probatur ulteriùs solidissimè ex decisione Alexandri VII. qui anno 1665. tanquam scandalosam & perniciosam proscripsit hanc propositionem numero 2. *vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*: unde optimo licentiam asserens nullatenus defendi ut probabilis potest. Prob. 3. ex ratione: acceptatio duelli nec est necessarium, nec idoneum remedium ad defendendum honorem, & dedecus avertendum: ergo licita & permissa non est ex hoc capite: *necessarium* non est, quia honor defendi potest alio modo, nempe vel apud competentem Judicem, vel si provocatus protestetur publice, se duellum non recusare ex timiditate aut ignavia, sed ex reverentia erga leges, Divinam æquè ac Humanam, duella gravissimè & sub infamiæ nota prohibentes, imò sub pœ-

nâ-

na æterni supplicii in inferni ignibus: se tam stolidum non esse, ut tanta temeritate sibi infamiam, DEI odium, vitæ temporalis ac æternæ jacturam, æternos rogos comparet; quod nemo audet, nisi insanus, desperatus, & extremè sceleratus fuerit: DEum, animam suam, ac vitam sibi chariorem esse, quàm ut tam manifesto discrimini tam temerè & inconsultò objiciat, interim se paratum esse, ac semper fore, cuicunque aggressori, etiam provocanti, si se aggressus fuerit, obviare, utì decet virum fortem; tantùm illos, qui ob vilitatem, cruditatem, insciriam & ineptudinem suam ex bene factis, honesti honoris consequendi incapaces sunt, gloriam sibi quærere in rixis privatis, quas insana levitate, ac desperatâ audaciâ, honestissimis quibusque & vera laude conspicuis obtrudunt petulantissimè: indignos prorsus esse, cum quibus vir cordatus contra omnia Jura congrediatur. Talis protestatio laudem ingentem feret apud omnes cordatos, bonos Christianos, prudentes & æquos rerum æstimatores. Sed nec est *idoneum* remedium; quia duellare non est fortitudinis, quæ nulla est sine justitia, *Novell. 69. pr.* nulla sine comite prudentia, consilio, & ratione. Aristoteles 3. *Eth. c. 7. & 8.* sed est extremæ temeritatis & dementiæ, dum propria & inimici vita temporalis morti, anima verò æternæ calamitati ob fumum vel umbram honoris phantastici, qui revera honor non est, objicitur: quid honoris sit in eo, quòd quis passione abreptus & sui impotens, imbellium fœminarum instar, imò ferarum ratione carentium, in suam & alienam perniciem ruat? certè si hoc fortium esset, nemo majorem fortitudinis laudem reportaret, quam rabidæ feræ, & furiosi, mente destituti, insanique homines. Bone DEus! quomodo honorem tuetur duellum suscipiens? vel enim erit victus, vel victor? si victus, utique hoc ipsi glorioſum non erit, ac insuper tanquam infamis & notoriè decedens in peccato mortali, ac diaboli præda, perpetuò carebit sepulturâ sacrâ, tanquam indignus, qui vel mortuus inter fideles toleretur: si victor, iterum tanquam infamis, & gravissimi sceleris, nempe homicidii & duelli, contra omnes leges suscepti, reus vel in alienas terras aufugere debebit, vel in carnificis manus incidet. &c. Majorem certò laudem apud omnes verè sapientes, & honestatis amantes, sibi comparabit, qui passionibus suis temperans infame & summe temerarium duelli remedium detrectabit. Prob. 4. Qui duellum ex hac causa acceptat, duplicis homicidii, Divina & Humana lege prohibiti, reum se facit, nempe proximi, cui vitam intendit eripere, & sui ipsius, dum morti, vel saltem sorti, temerè & contra omnem rationem se objicit.

6 Oppones 1. Secundùm statuta Ordinis Equestris S. Jacobi inter alia interrogatur Candidatus Ordinis, an nunquam reculaverit duellum provocatus, &, si recusâsse deprehenditur, tanquam ignavus repellitur: ergo acceptare duellum ex causa defendendi honoris non est illicitum; cùm iste Ordo sit approbatus ab Ecclesia. 2. Ad res temporales tuendas licitum est suscipere bellum: ergo & duellum: ergo etiam ad tuendum honorem. 3. Ad tuendum honorem licèt occîdere injustũ aggressorem, si honor aliter defendi nequeat; cùm pari passu ambulet honor & vita: & ideo *ad tit. de Homicid. n. 8.* diximus, virum equestrem, cui probrosum est fugere, ad fugam non teneri, sed licitè occîdere aggressorem præcisè ob defensionem honoris, alio modo non conservabilis: sed provocatus ad duellum invaditur ab altero in honore, quem alio modo conservare nequit, nisi acceptando duellum; nam ea est mundi persuasio, ut, si Miles, vel Nobilis (aut Studiosus) provocatus non acceptet, habeatur pro infami, timido, effæminato, & indigno, qui toleretur in congressibus, mensis, compotationibus, & societate Nobilium vel Militum &c. Er wird für Ehrloß gehalten/ und wird in der Schlacht-Ordnung nit bey ihm gehalten/ Er ist ein Ledfeügen/ ein H. kein ehrlicher Cavalier/ kein rechtschaffner Soldat/ kein braver Kerl &c. Nec juvat, si protestetur, se duellum recusare non ex ignavia aut timiditate, sed justo DEI timore, ex reverentia legum &c. quia id non creditur. 4. Contingit quandoque, ut Officiali bellico, duellum non acceptanti, vel non offerenti, si læsus est, non pareant ampliùs milites, & sic non suscipiens duellum amittat cum honore ac fama simul officium suum: an ergo huic non licebit duellum? Id sanè nimis arduum & difficile videtur.

7 R. ad 1. In illo Ordine non repellitur tanquam indignus, qui recusavit duellum ex causa, ne DEum offenderet, sed ex timiditate, fugiendo provocantem. P. Viva ad propositionem citatam ab Alex. VII. damnatam, & alii passim. Ad 2. N. ultimam *conseq. & suppositum*, quòd per recusationem duelli amittatur verus honor, & quòd per acceptationem duelli defendatur. Ad 3. *N. Min.* talis enim nondum est invasus, sed tantùm invitatus ad pugnam: neque per hanc invitationem vel provocationem invaditur honor ita, ut alio modo, vel per Superiorem & Judicem, vel per protestationem superiùs insinuatam conservari vel reparari non valeat. Imò nec absolutè honor invaditur, aut aliquid patitur per detrectationem duelli saltem apud prudentes, probos, cordatos; improbi autem, imprudentes, & vulgares homines, qui vel rei gravitatem non apprehendunt, vel omnia Jura susque deque habent, ac scelus pro virtute, cæcam passionem pro fortitudine &c. non sunt curandi. Unde non hæc Mundi melioris, sed perversi & excæcati persuasio est. Præterea esto, quòd sit communis Mundi persuasio, propterea tamen duellum non fit licitum, utpote intrinsecè malum, & pro omnibus circumstantiis, in quibus Auctor vitæ non dat potesta-

tem ſuſcipiendi duelli: quòd autem non det, quando agitur de puncto honoris tantùm, patet ex noſtris probationibus, & evidenter ex citata propoſitione damnata, Etiam Mundi (nempe perverſi, & à diabolo excæcati) perſuaſio eſt, comeſſationibus & voluptatibus indulgendum, ultionem de inimicis ſumendam &c. an propterea hujusmodi aſſeres licita? Neque propter corruptum totius Mundi judicium quocunque modo licet defendere honorem contra Dei & Naturæ Leges, vel contra rectæ prudentiæ rationem. Toleranda foret omnis ignominia, ſiqua apud totum Mundum (quod tamen in recuſante duellum non eſt timendum, cùm melior & ſanior pars hominum potiùs laudet tanquam prudentem & virtutis veræ ſtudioſum) oriretur exinde, quòd quis vellet obſervare legem DEI, v. g. ſi ignominiam incurreres, quòd obſerves legem caſtitatis, legem de honorandis parentibus, legem de non occîdendo innocentem &c. quantò magis, ſi tantùm timenda ſit ignominia apud diſcolos depravatæ & mundana cæcitate in vertiginem actæ mentis homines. Quæſo te, prudenter ageres, vel ad id induci te patereris, ſiqui hominum te invitarent ad omnia tua bona projicienda, vel in certum periculum vocanda, habituri te, nî faceres, pro homine avaro? Certè non puto: cur ergo ita deſipias, ut propter quorundam perverſum judicium, qui te aliàs pro ignavo habebunt, ſi non facias, vitam tuam, & cum hac omnia temere in extremum periculum conjicias? ſtultus es, ſi hoc non capis, vel perverſiſſimus tui hoſtis, ſi capis, & tamen facis. Dic tali, qui te ſimilibus verbis laceſſit: *ſi es vir honeſtus: genuinus Nobilis: cordatus Miles, pugna mecum gladiò, aut globò &c. tamdiu es talis &c. donec mecum duellum ineas &c.* dic, inquam, tali: *ſum & manebo honeſtus, cordatus &c. licèt duellum tecum non committam: quod recuſo, non quia te timeo, ſed quia DEum timeo: quòd autem non te timeam, videbis, quando me aggredi tentaveris: tuam provocationem meritò contemno, quia idem ſonat, ac ſi diceres: ſi es honeſtus, cordatus, genuinus Nobilis, vade mecum ad furandum, adulterandum, rapiendum aliena &c.* Siqui tibi nolint credere proteſtanti ſeriò, quòd duellum recuſes ob DEI timorem, non ex ignavia, cogita id credi ab aliis melioris & ſanioris mentis, nec tibi propter illorum fanaticum judicium in corpore & anima pereundum eſſe, vel tam propinquum ſalutis periculum eſſe ſubeundum, imò certam veri honoris jacturam. Ad 4. hìc tangitur difficultas non levis, ſpeciali examine digna. Unde

8 Quæres, quid cenſendum de caſu, quo recuſans duellum periclitatur de amittendo officio, ſtatu, & dignitate ſua, præſertim ſi exinde competens ſtatui ſuſtentatio pendeat, an ſaltem ad declinandam ignominiæ notam, cum amiſſione officii &c. conjunctam, licebit duellum acceptare, vel etiam offerre, ſi aliud non ſuppetat medium? Similem caſum refert & reſolvit P. Seybold in *Dicaomachia ſua p. 2. ſect. 4. §. 1. n. 14. ſegq.* nempe hunc: Cajus obſcuro genere natus, ſed officio bellico nobilis, ad quod ſua virtute elatus fuerat, è nobiliſſima quadam familia Germaniæ uxorem duxerat: neſcio qua occaſione dein idem Cajus ab alio quodam magnæ nobilitatis Officiali bellico, ejusdem ferè & non multùm ſupra Cajum eminentis officii, arundine ignominioſè eſt percuſſus. Nobilitatem invaloris reveritus nullâ ulsu eſt defenſione Cajus: vulgatur res in exercitum: Officiales reliqui contra eum proteſtantur, negant, cum eo ſtare milites velle, eúmque tanquam imbellem è Caſtris exeſſe jubent. Princeps Imperii, in cujus cohorte centurionem (einen Hauptmann) agebat, à Cajo imploratus, reponit, ſe non removere ipſum ab officio, cogere tamen Officiales & milites aliorum Principum ſe non poſſe, ut cum ipſo ſtent in armis, eúmque tolerent: ipſe ſibi proſpiciat. Fruſtra omnia, remedium retinendi vel recuperandi officium erat nullum, niſi monomachia ſeu duellum, quòd tamen Cajus non arripuit, & ideo privatus officiò atque ad priſtinæ fortunæ ſtatum redactus ad ruricolas ſe contulit cum ſua Perilluſtri conjuge, ubi cum magna paupertate multis jam annis luctatur. Novi & ego, niſi vehementer fallar, hunc exauctoratum centurionem, eique paucis abhinc annis ipſus locutus ſum non ſine commiſeratione. Ad hunc caſum reſpondet P. Seybold, quòd Cajo non modò licitum fuiſſet, contra percutientem arundine in continenti ſe defendere, etiam defenſione occiſiva, ſi aliter non potuiſſet evitare ignominiam, ſed etiam acceptare duellum ſi fuiſſet provocatus, imò offerre quoque duellum, poſtquam vidit, aliud medium non ſupereſſe ad honorem & ſimul officium ſuum, unde ſe & nobilem uxorem competenter ſuſtentare neceſſe habuit, retinendum vel recuperandum. Ratio; quia in hoc caſu non præcisè agebatur de puncto honoris, ſed etiam de ſtatu ſimul & officio, conſequenter de rebus quoque Fortunæ neceſſariis ad vitam convenienter ſtatui ducendam; proinde injurioſus percuſſor fuit perpetuus aggreſſor in rebus Fortunæ magni momenti, aliter non recuperabilibus; propter quam cauſam DEus, Natura, & Jura permittunt defenſionem etiam occiſivam, uti nos *tit. de homicid. n. 6. 7.* diximus; cùm etiam ex intervallo invaſorem rei ſuæ, aliter non recuperabilis, liceat occidere juxta comunem, ſi præcisè intendatur per pugnam recuperatio rei, non vindicta, vel laus fortitudinis. Nec videtur illicitum eligere periculum mortis propriæ *incertum* ad evitandam *certam* officii ac indè dependentium bonorum jacturam, & ſic minus malum eligere præ majori; modò Cajus probabilem ſpem victoriæ habuiſſet; ſi enim ipſi moraliter certum fuiſſet, ſe occîdendum, temerè & ſic illicitè certo vitæ periculo propter officium & rei Fortunæ, quæ minoris ſunt momenti, ſe objeciſſet. Favet huic doctrinæ Leſſ. *de J. & J. l. 2.*

l. 2. c. 9. n. 49. Laym. *l. 3. tr. 3. p. 3. c. 3. n. 3.* P. Wiestner *h. t. n. 5.* allegans plures. P. Reiffenstuel *n. 31. eod. tit.* Ita ille. Ne autem hujusmodi Officialis bellicus conjiciatur in tantas angustias, ac necessitatem duellandi, providere sua auctoritate deberet supremus Militiæ Princeps, aut is, cui & iste Princeps subjacet, saltem nisi monomachias ad evitanda majora mala permittere necesse haberet. Utrùm verò hi Principes Supremi invenire medium non possint, quo detestabilis duellorum usus, imò in hujusmodi casibus etiam necessitas tollatur, ipsis considerandum relinquitur. Certè si possint, & non faciant, in conscientia tuti non sunt, severam aliquando rationem coram Divino tribunali propterea reddituri, tanquam causa tantorum & tot malorum.

9 Dico 4. Pœnæ illiciti, & propriè dicti duelli sunt 1. rogus infernalis, nisi in vita adhuc expietur hoc grande delictum. 2. excommunicatio latæ sententiæ in ipsos duellantes, patrinos, consilium in causa duelli dantes, spectatores, & Principes ac Magistratus, locum duello concedentes (qui insuper jurisdictione & dominio hujus loci exuuntur, si eum ab Ecclesia obtineant, si ab alio domino directo, ad hunc revertitur dominium) item infamia perpetua cum amissione omnium bonorum in ipsos duellantes, ac denique privatio sepulturæ sacræ, si isti in ipso conflictu decesserint, statutæ à Tridentino *sess. 25. c. 19. de Ref. cit.* 3. Has pœnas, quas Tridentinum in *solenniter* duellantes tantùm decrevisse videtur, exasperavit Pius IV. in *Constit. Ea, quæ*, superiùs *cit.* statuendo pœnas crimini læsæ Majestatis proprias, inhabilitatem ad faciendum testamentum &c. Gregorius XIII. autem in *cit. Const. Ad tollendam*, extendit eas etiam ad duella privata, & excommunicationi subjecit quoque dominos locorum ea permittentes, item omnes mandantes, arma, equos, vel alia subsidia scienter subministrantes, vel socios se præbentes, auxilium vel consilium dantes (ex composito spectatores) & quidem, licèt in loco designato comparentes postmodum pugnam non commiserint. Clemens VIII. verò ampliavit excommunicando Duces bellorum, duella permittentes, civitates verò, oppida, castra &c. in quorum territoriis, Magistratu sciente & non contradicente, fiunt, interdicendo, ac simul suæ absolutioni reservando hanc excommunicationem & hoc interdictum. 4. de Jure Civili si provocans occidit provocatum, est pœna ordinaria homicidii, nempe gladius. Knipschilt *de Nobilit. l. 2. c. 3. n. 117.* referens plures, Carpzov. &c. si pugna non est secuta, quia v. g. provocatus non comparuit, pœna arbitraria, puta pecuniaria, carceris &c. si graviter vulneravit vel mutilavit provocatum, juxta Berlichium *p. 4. concl. 16. n. 16.* puniendus foret pœna ordinaria, sed alii negant, cùm vi consuetudinis conatus sine effectu non soleat puniri pœnâ ordinariâ. Si verò provocatus occîdit provocantem (hoc enim discrimen faciunt Practici) mitiùs & extra ordinem puniri volunt ex ratione, quòd ignoscendum sit ei, qui provocatus se ulcisci voluit. *l. 14. §. 6. ff. de bon. libert.* in quantum videlicet excesserit. Berlich. *p. 4. concl. 17. n. 9.* Interim si observaretur pragmatica sanctio ad instantiam Legatorum Imperialium confirmata à Leopoldo Imperatore anno 1668. ut refert P. Seybold *lo. cit. sect. 3. §. 2. n. 5. & sect. 6. §. 7. n. 7.* quoad pœnam ordinariam homicidii non deberet fieri discrimen *inter provocantem & provocatum, offendentem & offensum*, nec habetur *respectus personarum, statûs & propinquorum.*

Circa pœnas Juris Canonici aliqua adhuc 10
notanda sunt. 1. eas incurri ipso facto, ita ut in excommunicatione, interdicto, privatione sepulturæ sacræ in casu notorii duelli (si enim notorium non esset, deberet Parochus rem priùs deferre ad Episcopum, antequam excludat sepulturâ) nec sententiâ declaratoriâ criminis opus sit, licèt ea requiratur ad amissionem bonorum, jurisdictionis, & dominii, atq; ad infamiam juris incurrendam. 2. Constitutiones citatas Pontificum probabiliter in Germania nunquam esse promulgatas, & quoad reservationem excommunicationis, & alias extensiones ad duella privata &c. ex ignorantia ob defectum vel promulgationis vel acceptationis sufficientis in usum nunquam deductas esse. Laym. *lo. cit. c. 5. n. 4.* Mendo, Pirhing, Gobat; pariter & Tridentinum quoad temporales pœnas proscriptionis bonorum, infamiæ, privationis, jurisdictionis, usu non esse receptum in nostris partibus putant alii, & probat praxis. Quin verò quoad excommunicationem, & privationem sepulturæ, etiam ex privatis duellis incurrendam recepta sit Constit. Greg. XIII. dubitari vix potest, & nemo est, qui dubitet, ait P. Reiffenstuel *h. t. n. 41.* Si tamen excommunicatio (quæ propter duellum, saltem solenne, certò incurritur etiam in Germania, nisi aliquem per accidens excuser ignorantia) foret etiam reservata Pontifici, possent Religiosi Mendicantes nihilominus ab ea absolvere in foro conscientiæ vi privilegii Patribus Societatis à Clemente VIII. concessi ad absolvendum à casibus Papæ reservatis extra Italiam, exceptis casibus Bullæ Cœnæ, ut refert Laym. *d. n. 4.* Diana *p. 5. tr. 14. resol. 103.* Gobat *tr. 7. n. 573.* Comitolus *lib. 6. Moral. q. 17.* La Croix. *l. 3. p. 1. n. 861.* & alii. 3. Spectatores duelli, saltem solennis, excommunicari tunc, quando *ex composito*, & *de industria*, ut Tridentinum explicant Greg. XIII. & Clem. VIII. seu datâ operâ, quasi approbant duellum, & suâ præsentiâ animant duellantes, unde siquis clam, à duellantibus non animadversus, spectet, vel casu veniat ad locum pugnæ, ac ibi, curiosus etiam, maneat, excommunicatus non est. 4. In ordine ad privationem sepulturæ verba Tridentini, *in ipso conflictu decesserint*, idem sonare, ac in *ipso loco duelli.* Neque in loco

in loco sacro sepeliendus est, qui in stadio occubuit, auff dem Platz geblieben ist / qui priùs dedit signa pœnitentiæ, ut expresè declarat Rituale Romanum jussu Pauli editum *tit. de Exequiis*, ita loquens: *negatur sepultura Ecclesiastica morientibus in duello, etiamsi ante obitum dederint signa pœnitentiæ.* Putant tamen La Croix *n. 864.* & Tambur. si talis in loco conflictûs ante obitum confessus fuerit & Sacramentaliter absolutus, eum dici posse post conflictum moraliter decessisse, & sic non privandum sepulturâ sacrâ. Nec obstare existimant dictum Rituale, cùm minùs sit *dare pœnitentiæ signa*, quàm *Sacramentaliter confiteri.* Si autem sufficerent quælibet pœnitentiæ signa ad hoc, ut aliquis non in ipso conflictu decessisse credendus sit, rarò privationis sepulturæ pœna haberet locum, cùm etiam lethaliter vulnerati ordinariè aliquantisper supervivere soleant, ac dare signum pœnitentiæ.

11 Quæres, quæ pœnæ specialiter in Clericos duellantes, de quibus peculiarem facit mentionem præsentis tituli *Rubrica*, statutæ sint? R. præter illas, quæ in Tridentino & Pontificum Constitutionibus sunt communes omnibus duellantibus, in *Bullâ Pii IV. cit.* etiam statuitur privatio beneficiorum & inhabilitas ad illa. item in *c. 1. h. t.* depositio à beneficio & officio minùs rigorosè dicta, & prout coincidit cum suspensione, sed ferendæ sententiæ: at hæc pœna per priores videtur esse abolita. Irregularitas in eum, qui occîdit, est communis omnibus homicidiis injustis. Qui plura desiderat de duellis, conferre potest Pignatelli *to. 9. Consultat. 88.*

TITULUS XV.
De Sagittariis.

SUMMARIUM.

1. Sagittarii & Balliſtarii qui?
2. 3. Quando & ſub qua pœna prohibitum ſit exercere, vel alios docere hanc artem.

1 SCiendum, per *Sagittarios* hìc intelligi eos, qui olim ex arcubus simul & semel plures sagittas, & per *Balliſtarios*, qui ex balliſtis seu catapultis saxa noverant dextre in hostem jácere cum strage plurium simul & semel: hodie verò, cùm arcus & sagittæ, atque antiqui moris balliſtæ in desuetudinem abierint, illos, qui ex Tormentis, & Mortariis bellicis glandes, globos plumbeos, pilas ferreas vel lapideas in hostes hostiúmque urbes & arces ejaculandi artem sciunt & exercent.

2 Dico 1. Illicitum & *h. t.* prohibitum est Christianis dictam artem Tormentariam docere Infideles, seu non-baptizatos, item eandem exercere pro Infidelibus contra Christianos. *c. un. h. t.* quia sagittarum & balliſtarum usui hodie succesſit usus Tormentorum & Mortariorum, ex quibus jaciuntur globi, pilæ, lapides magni ponderis &c. Unde si Christiani & Catholici iisdem utantur contra Infideles, vel contra se invicem in bello justo, non est illicitum, ut docet praxis tolerata, & ratio, quòd nihil referat, quibuscunque armis vel modis justum gerens bellum militet. per *can. 2. cauſ. 23. q. 2.* modò Tormentarii &c. non adhibeant alias artes illicitas, incantationes, superstitiones, venena, quibus inficiuntur glandes, ad certiùs jaculandum vel longiùs, ad magis nocendum &c. In bello injusto sicut pugnare, ita & hanc artem exercere per se prohibitum est.

3 Dico 2. Pœna in illicitè exercentes hanc artem inter Christianos, sive in bello justo sive injusto, est excommunicatio ferendæ sententiæ. per *c. un. cit.* latæ autem, & Pontifici reservatæ, si exerceatur pro Infidelibus contra Fideles, vel si eam doceantur Infideles. *arg. c. 6. de Judæis, & Bullæ Cœnæ*, ubi arma, & alia belli instrumenta deferre ad Infideles, Paganos, Turcas &c. sub excommunicatione reservata vetitum est.

TITULUS XVI.
De Adulteriis, & Stupro.

SUMMARIUM.

1. Ingreſſus.
2. 3. Adulterium quid & quotuplex.
4. Indè oritur Actio tum Civilis, tum Criminalis. Quæ ſit pœna adulterii.
5. Quis ſuper eo, & ad quid agere poſſit civiliter, & mixtè.
6. An adultera conjunx teneatur in conſcientia ſuum delictum prodere marito, vel proli ſpuriæ, ad cavendum marito vel legitimis liberis damnum.
7. Quinam criminaliter accuſare adulterium uxoris:
8. Et an etiam uxor adulterium mariti poſſit.
9. Ac intra quod tempus debeant.
10. Adulterium ſufficienter probatur per Præſumptiones violentas.
11. Quis Judex in cauſa adulterii.
12. Fornicatio, & Concubinatus quid.
13. Stuprum tam Violentum, quàm Voluntarium.
14. Inceſtus, Sacrilegium, & Lenocinium.
15. Ac Vitium contra Naturam, ſcilicet Sodomia, Beſtialitas, Mollities ſeu Pollutio.
16. 17. Fornicatio ſimplex eſt peccatum grave etiam contra Jus Naturale. An & quam habeat pœnam.
18. Quæ ſit pœna Stupri.
19. A quo alenda ſit proles ex ſtupro, fornicatione, vel alio illicito concubitu nata.
20. Præſertim ſi dubitetur de patre prolis.
21. Quæ ſit pœna Inceſtûs.
22. 23. Quæ Sacrilegii, & Lenocinii.
24. Item Sodomiæ perfectæ & imperfectæ, ac Beſtialitatis, item Mollitiei.
25. Peccata Luxuriæ non conſummata.
26. Delectatio Venerea, Senſualis, Moroſa &c.
27. Cogitatio Venerea, Speculativa & Practica.
28. 29. 30. Delectatio Carnalis, Pollutio, Diſtillatio, quæſita vel admiſſa.
31. 32. Quando ſit peccatum mortale per conſenſum directum vel indirectum.
33. 34. 35. Delectatio ſpiritualis, ſenſibilis, & Venerea an ſint peccata gravia.

36. 37.

36. 37. An in re Venerea detur parvitas materiæ.
38. 39. 40. Cogitatio practica vel speculativa, aspectus, verba, lectio, gestus turpes &c.
41. 42. 43. Item choreæ, oscula, tactus, an & qualia sint peccata.
44. 45. Et ponere actiones, ex quibus oriuntur ac prævidentur motus turpes &c.
46. 47. Quid liceat Sponsis & Conjugibus.

1 SIcut huc usque de delictis, proximo in corpore & vita noxiis, adeóque quinto Decalogi præcepto adversantibus, ita nunc recto ordine agitur de delictis luxuriæ, proximi thorum vel pudicitiam violantibus, sextóque Decalogi præceptô prohibitis: quamvis autem *Rubricæ* exprimat duas duntaxat species luxuriæ, adulterium & stuprum, Canonistæ tamen indè occasionem arripiunt tractandi etiam de aliis speciebus.

§. I.
De Adulteriis.

2 Sciendum 1. Adulterium, quamvis in largiori acceptione quandoque dicatur omnis culpa carnalis non conjugalis. *can. 4. caus. 32. q. 5. A. inter stuprum 10. ff. de V. S.* quare & tota *Lege Jul. de Adult.* adulterium & stuprum confunduntur, ut monet Jurisconsultus *l. 6. §. 1. ff. ad d. L. Jul.* strictè tamen sumptum definitur esse *voluntaria alieni thori violatio. can. 2. caus. 36. q. 1.* scilicet per copulam carnalem cum persona alienô conjugiô ligata. Unde duplicem continet malitiam, unam luxuriæ, quia est concubitus viri & fœminæ Matrimoniô inter se non junctorum, alteram injustitiæ, quia est concubitus cum conjuge alieno, vel aliena, & sic alterius conjugis violatur jus, fidésque in Matrimonio data. Hæc injustitia non tollitur, licèt vir vel uxor consentiat in adulterium consortis, cùm adhuc inferatur injuria DEO Authori Naturæ duas personas indissolubili nexu sibi invicem duntaxat per initum inter se Matrimonium adstringenti, item statui Matrimoniali: unde Innoc. XI. damnavit hanc propositionem: *copula cum conjugata, consentiente marito, non est adulterium, adeóque sufficit in Confessione dicere, se esse fornicatum.* Id concedo, quòd pars consentiens in adulterium consortis agere non possit super injuria, ut sibi illata; cùm liberè & validè consentienti non fiat injuria. *c. 27. de R. J. in 6.* validè autem consentit, quamvis illicitè in quantum ipsius quà talis attenditur jus prohibendi copulam conjugis cum persona alia. De Jure Civili quidem maritus, si commisceatur cum soluta, non habetur nec punitur ut adulter, sed tantùm ut stuprator. *l. 34. ff. ad L. Jul. de adult.* bene tamen de Jure Canonico, per *can. 19. q. 5. cit.* sicut est adulter Jure Divino & Naturali; quia Jus Canonicum considerat principaliter violationem fidei conjugalis, Jus Civile autem principaliter attendit incertitudinem prolis, & ideo solùm uxorem, cum alio commixtam, punit ut adulteram, eò quòd inducatur incertitudo, an secuta proles sit adulteri vel proprii mariti. De neutro autem Jure pro adulterio propriè dicto habetur, siquis tantùm sponsam de futuro alienam carnaliter cognoscat, ut habet comunior sententia. Nec obstat *l. 13. §. 3. ff. & l. 7. C. ad L. Jul. de adult.* ubi asseritur, crimen adulterii etiam in sponsa vindicari posse; quia hæ Leges non dicunt, hoc delictum esse adulterium, sed solùm permittunt sponso vindicare per actionem injuriarum corruptionem sponsæ tanquam crimen ipsi injuriosum, & adulterio propinquum.

Sc. 2. Adulterium dividi in *simplex*, quando una tantùm pars est in conjugio, altera autem soluta: & in *duplex* seu *bilaterale*, quando utraque pars est ligata propriô conjugiô seu quando maritus commiscetur cum uxore aliena, aut uxor cum marito alieno. Cæterùm tam simplex, quàm duplex, committitur etiam casu, quo præcessit divortium quoad thorum inter conjuges, quia manent ligati vinculo matrimoniali. 3

Sc. 3. Ex adulterio nasci actionem innocenti conjugi duplicem, *Civilem*, qua petitur divortium seu separatio quoad thorum & cohabitationem. *Nov. 117. c. 8. & c. 5. de divort.* de qua ad *tit. de Divort. & tit. de donat. int. vir. & ux.* in libro IV. vel qua petit maritus ab adultera, & hujus complice, alimenta pro prole adulterina, aut liberi legitimi exclusionem illius à successione secum in bonis paternis, & suo modo etiam in maternis. Et *Criminalis*, qua non agitur ad interesse, sed ad vindictam publicam, ut pœna à Jure statuta infligatur adulteranti: quæ *pœna Criminalis* de *Jure Canonico* Antiquo respectu Laicorum erat excommunicatio, si contumaciter in adulterio persisterent. *c. 6. h. t.* respectu fœminarum detrusio in monasterium ad agendam pœnitentiam. *c. 19. de convers. conjug.* Sed hodie contra Laicos propter adulterium, licèt mixti fori sit, in praxi non amplius solet procedi criminaliter in foro Canonico, sed id relinquitur foro sæculari: respectu Clericorum verò, si de adulterio convicti vel confessi in Judicio fuerint, depositio ab officio & beneficio ferendæ sententiæ, & detrusio in Monasterium. *can. 10. 11. d. 81.* sed detrusio in Monasterium (nisi alicubi exstet specialiter erectum pro pœnitentibus) non amplius est in usu, eique succesit incarceratio, vel mulcta pecuniaria, vel alia pœna arbitraria. De *Jure Civili* Legis Juliæ *de adulteriis* olim fuit pœna deportationis seu exilii. *l. 5 ff. de quæst.* postea pœna gladii à Constantino Imp. statuta. *l. 30. §. 1. C. ad L. Jul. de adult.* quamvis *Auth. Sed hodie. eod.* eam mitigaverit quoad fœminas Justinianus Imperat. Eandem gladii pœnam innovâsse videtur Carolus V. *in Constit. Pœnal. art. 120.* Verùm hodie in praxi ferè nullibi solet adulterium primum, sive duplex sive simplex fuerit, puniri morte, ut testatur experientia, sed vel relegatione, vel statione ante fores Ecclesiæ cum accensa face, vel mulctâ pecuniariâ, vel aliâ pœnâ pro diversa loci consuetudine: de Jure Bavarico 4

propter adulterium ſimplex primum vulgares per menſem incarcerandi cum pane & aqua, vel æquivalente leviori victu, & inſuper ſi ſint divites, centum libris, quæ faciunt 113. florenos & 26. crucigeros, minùs divites dimdia parte plectendi ſunt; quæ mulcta applicanda eſt tum piis cauſis tum manifeſtatori: ſi verò hanc mulctam ſolvendo non ſint, poſt incarcerationem per tres dies dominicos continuos cum candela ante templi fores ſtare debent: ſi adulterium eſt duplex, in iisdem perſonis vulgaribus non eſt recipienda pecunia, ſed poſt duram incarcerationem tribus diebus dominicis continuis ante templi fores cum candela ardente, cum virga in manibus ferro incluſis, & denudatis brachiis collocandi ſunt. Propter adulterium ſecundum (intellige non pluries, etiam ex intervallo, repetitum, ſed poſt primum jam punitum iteratò commiſſum) relegandi in perpetuum ſunt extra Bavariam. Siquis bis punitus tertia vice deprehendatur reus, traditur Judici Criminalium, puniendus pro exigentia circumſtantiarum. Landß und Policey-Ordnung *lib. 5. tit. 9. a. 1. ſeqq.* Quæ pœnæ in *Novella vel Mandato*, 1635. edito, exaſperata eſt non tantùm in adulterio primo ſimplici, ſed etiam in duplici primo: ſecundum verò cum conjugata puniri ibidem gladiò jubetur, uti & fœmina conjugata, ſive nobilis ſive ignobilis, ſecundum adulterium committens. Quæ Novella reperitur apud D. Widmont in fine *Pandectarum.* Alibi alia ſunt ſtatuta, & conſuetudines, quæ utique ſervari debent. Ubi autem pœna eſt arbitraria, caveri debet, ne nimis remiſsè puniantur adulteria, ne indè detur occaſio huic graviſſimo ſceleri. De *pœna Civili* adulterii, quæ conſiſtit in privatione juris petendi debiti conjugalis, divortio quoad thorum & cohabitationem, ac in amiſſione dotis, utroque Jure ſtatutis, jam egimus *titulis 19. 20. in lib. IV.* Hic inquirendum, quis agere ſuper adulterio poſſit *civiliter*, quis illud accuſare *criminaliter*, ubi debeat, & quomodo probare adulterium.

5 Dico 1. Civiliter agere ſuper adulterio, & quidem in ordine ad intereſſe poſſunt, ſolus maritus & uxor innocens in ordine ad lucrandam dotem, vel donationem propter nuptias: maritus & liberi legitimi ad petenda alimenta prolis adulteræ ab adultero & adultera, atquè ad prolem ſpuriam excludendam ab hæreditaria ſucceſſione. 2. licèt maritus priùs accuſaverit criminaliter. 3. in ordine ad divortium verò & (quæ actio eſt quaſicriminalis, ſed privata non publica, & ideo hæc actio tendens ad divortium *c. 5. de procurat. in f.* vocatur *mixta inter civilem & criminalem*) ſolus maritus, vel viciſſim ſola uxor adversùs maritum adulterum. Pars 1. conſtat indè, quia hi ſoli, non alii, per adulterium conjugis, vel matris, in ſuo intereſſe ſunt læſi. Pars 2. ex *l. un. C. quando Civil. act.* ubi decîditur, quòd actio Civilis non præjudicet Criminali, & utraque intentari poſſit, nec referat, quænam priùs intentetur; quamvis non utraque ſimul proponi in eodem Judicio poſſit, ſaltem æquè principaliter. *gl. in l. un. cit. v. utraque*; quia criminalis eſt dignior. Pars 3. exinde, quia in ſolius conjugis innocentis favorem à Jure conceſſum eſt inſtituere divortium, quo proinde uti, vel illi renuntiare pro libitu poteſt, nec ad alios id pertinet. Si tamen innocens adulterum ſemel accuſavit criminaliter, hoc judicio finito non poteſt regredi ad actionem mixtam in ordine ad divortium, & ad lucrandam dotem; nec vice verſa, ſi aliquando egit ad divortium, & ad lucrandam dotem (vel donationem propter nuptias) hoc Judicio finito transire ad accuſandum criminaliter, ut habet communis ex *l. quod Senatusconſultum 6. ff. de Injur.* ibi: *planè ſi actum eſt publicò Judicio, denegandum eſt privatum; ſimiliter ex diverſo.*

Quæres, an adultera, quæ concepit & pe- 6
perit prolem ex adulterio, teneatur in conſcientia ſuum delictum aperire marito, vel proli ſpuriæ, ad cavendum marito damnum ex alenda prole adulterina, vel reliquis liberis legitimis aut aliis hæredibus ad cavendum damnum ex ſucceſſione hæreditaria prolis ſpuriæ orituram? R. 1. ſi alio modo, v.g. ex bona adulteri, vel ſuis paraphernalibus, parciùs vivendo &c. poſſit cavere damnum, non tenetur, ut facilè conſpirant omnes. Si tamen id non poſſit. R. 2. neque tunc obligatur ordinariè id manifeſtare: non quidem *viro*, quia ex tali revelatione ſubiret periculum vel mortis ſibi aut adultero, aut filio ſpurio inferendæ, vel ſaltem perpetuæ exprobrationis, diſſidiorum, rixarum, & odiorum tum inter ſe tum inter propinquos, vel etiam divortii; quæ faciunt moralem impotentiam cavendi damnum per manifeſtationem delicti; moralis autem impotentia excuſat. Non *proli adulterinæ*; quia hæc regulariter non tenetur credere matri, etiam juranti, vel in articulo mortis aſſerenti, ſe eſſe ſpuriam vel ex adulterio ſuſceptam, uti communiter docent Canoniſtæ in *c. per tuas. de probat.* & Legiſtæ *in L. poſthumus ff. de liber. & poſth.* item Lugo & alii contra Molin. Confirmatur: ſæpe prudenter præſumi poteſt tam de marito, quàm de ejus liberis legitimis, quòd malint aliquod præjudicium pati in bonis Fortunæ, quam uxorem vel matrem ſuam ita infamari & confundi vel coram ſe tantùm; præſertim ſi eſſet periculum diffamationis etiam apud alios, ex qua in ſe quoque redunderet aliqua macula, dolor, triſtitia. Item, ſi maritus moraliter aliunde eſſet certus, prolem, quam genuit ſua uxor, non eſſe ſuam, nihilominus tamen aleret, & ad hæreditatem admitteret nihil objiciendo uxori, quam amat tenerrimè; videretur talem prolem quaſi adoptare, nec velle uxorem obligare, ut delictum ſibi fateatur, ne confundatur, & triſtetur nimiùm. Atque ex hoc capite aliquando excuſavi à manifeſtando Matronam, alias longè honeſtiſſimam, & à viro ſuo ſynceriſſimè ac ardenter amatam. Dixi, *ordinariè*; nam ſi adultera jam aliàs eſſet profligatæ famæ, vel abjectæ conditionis;

ditionis: si maritus esset vir valde bonus, à quo nihil gravis indè incommodi timendum: si filius verisimiliter esset crediturus matri, & ab hæreditate abstenturus &c. tunc deberet vel marito, vel filio manifestare, in articulo mortis saltem, vel per Confessarium, vel per chirographum à se relictũ, præsertim si ageretur de successione in regno vel ducatu, & ipsa alio modo damnum mariti, vel legitimorum hæredum declinare non posset. Sed & in casu, quo non tenetur manifestare delictum, pro posibili debet prædictum damnum impedire, parciùs vivendo, solertiùs administrando rem domesticam, suadendo proli adulteræ, ut ingrediatur Religionem, juris succedendi incapacem, plus reliquis liberis legitimis, vel mariti hæredibus, relinquendo de bonis suis, vel dando in vivis. Sed & adulter pro viribus tenetur, cavere prædicta damna, si moraliter ipsi certum sit, se esse patrem, probabiliùs etiam, licèt non suaserit, vel positivè non cooperatus sit ad hoc, ut adultera marito supponeret prolem spuriam; quia tam adulter, quàm adultera, fuit causa positivè influens in hæc damna, ut adeò singuli teneantur pro rata, &, si una pars nihil conferre possit, singuli in solidum. Vid. Less. *l. 2. c. 10. dub. 6. de J. & J.*

7 Dico 2. Accusare adulterium criminaliter potest 1. maritus. 2. post maritum nolentem, aut cessantem, pater adulteræ. 3. post hunc reliqui cognati & propinqui, quos verus dolor ad accusandum impellit. 4. his deficientibus vel negligentibus extranei quoque, &, cùm adulterium sit delictum publicum, quilibet de populo, modò sit mas & major 25. annis. *l. 2. §. 8. l. 3. l. 4. ff. l. 30. C. ad L. Jul. de adult. & l. 43. §. 10. de Rit. Nupt.* & passim DD. qui indè deducunt, non quemlibet statim admitti ad accusationem adulterii, sed prædictum ordinem esse observandum.

8 Quæres, an etiam vicissim uxor possit criminaliter accusare maritum de adulterio? R. de Jure Civili antiquo non. *l. 1. C. ad d. L. Juliam de adult.* bene tamen de Jure Canonico. *can. quidquid 22. caus. 32. q. 5.* cùm de Jure Canonico adulterium in utroque conjuge sit damnatum. *can. fin. q. cit.* & cùm vir & uxor, in adulterio deprehensi, *non judicentur ad impæria*, h. e. inæqualiter. *can. 4. caus. cit. q. 1.* & ibi Glossa. Atque hanc Juris Canonici ordinationem facto receptam esse in Imperio quoque Romano, patet ex *Constit. Pœn. Caroli V. art. 120.* Neque opponas 1. quòd adulterium uxoris sit longè gravius, quàm mariti, partim quia indè sequitur incertitudo prolis, & periculum est supponendi marito partûs alieni, partim quia uxor majorem debet reverentiam ac honorem marito, tanquam capiti suo, quàm maritus uxori. 2. quòd, quando Jus Civile & Canonicum discrepant inter se, quodlibet observandum sit in suo foro, consequenter in foro Sæculari non liceat uxori accusare maritum adulterum criminaliter, licèt permittatur in foro Canonico. Nam R. ad 1. quamvis hæ duæ rationes dispositionem Juris Civilis antiqui facere potuerint valde rationabilem, non minùs tamen rationabilis est dispositio Juris Canonici, & Constitutionis Carolinæ, Juris recentioris, ut nempe magis compescatur virorum vaga subinde libido, & succurratur debiliori sexui injuriam passo. Ad 2. Hodie post Constitutionem Carolinam idem obtinet de Jure Civili, quod de Jure Canonico, atque ideo idem in utroque foro observandum.

Petes, intra quod tempus criminalis accu- 9
satio adulterii facienda sit? R. à marito (consequenter & ab uxore) item à patre adulteræ intra 60. dies utiles, à die soluti per divortium Matrimonii numerandos. *l. 3. & l. 4. citt. l. 30. ff. eod.* Ab extraneis verò post elapsos illos 60. dies (uti & à marito, & patre, at jure extraneorum) intra 4. menses utiles. *l. 4. cit. & l. 11. §. 6. ff. eod.* Omnino autem ac in perpetuum extinguitur acculatio adulterii, sicut & aliorum delictorum carnis, quæ puniuntur per *L. Jul. de adult.* uti stupri, lenocinii &c. per viam præscriptionis intra 5. annos à tempore commissi criminis continuos. *l. 5. C. eod.* nisi adulterium sit conjunctum cum incestu; tunc enim non nisi 20. annis eidem præscribitur, sicut aliis criminibus.

Dico 3. Ad probandum legitimè & Judi- 10
cialiter adulterium sufficiunt præsumptiones violentæ, seu ortæ ex talibus indiciis, ut inducatur certitudo moralis, & prudenter dubitari non possit de patrato scelere, uti v. g. sunt, si nudus & nuda in eodem lecto deprehendantur: si mulier aliàs suspecta inveniatur sola cum solo, tempore & loco ad peccandum apto &c. sed in casibus particularibus judicare, an indicia sint talia, quæ sufficiant ad moralem certitudinem delicti, & ad pœnam adulterii ordinariam inferendam, spectat ad Judicem. Sumitur ex *l fin. C. de prob. c. 12. de Præsumpt.* & ex hac ratione; quia, cùm hoc delictum soleat committi in locis secretis, absque arbitris & testibus, sine instrumentis desuper erectis, ferè nunquam posset affici pœnâ ordinariâ (cùm tamen sit crimen gravissimum, & Reipublicæ perniciosum valde) nisi sufficerent præsumptiones ex indiciis delicto valde propinquis, & cum eo ordinariè conjunctis haustæ, seu violentæ & valde vehementes. Ne autem contingat condemnari innocentem, ex indiciis moralem certitudinem non facientibus ad pœnam ordinariam procedi nequit, licèt fortè ad divortium, vel ad pœnam extraordinariam; uti sunt, si uxor à proprio viro discedat, & viro de incontinentia suspecto adhæreat: si viro inscio vel invito clàm accedat & pernoctet in domo viri suspecti: si absente marito, vel ignorante, à viris, vel juvenibus, clàm & noctu frequentetur: si in loco occulto deprehendatur sola cum viro alio admittens oscula & amplexus &c. Vid. Menoch. *l. 5. præsumpt. 41.* Masc. *de probat. concl. 57.* Sanch. *de Matrim. l. 10. d. 12. à n. 40.* Farinac. *in Pra-*

xi de delictis carnis. Pirhing *h. t. n. 12. seqq.* P. Schmalzgrueber *eod. n. 93. seq.*

11 Quæres, quis sit Judex competens in causa adulterii? R. 1. si agatur criminaliter ad vindictam publicam, uterque, tam Ecclesiasticus quàm Sæcularis, est competens, & datur locus præventioni; quia adulterium est crimen mixti fori. *l. 30. C. ad L. Jul. de adult. c. 5. de Procurator. c. 8. de for. comp.* nam per adulterium infertur injuria Sacramento Matrimonii, & ideo *sacrilegium* est & vocatur *l. 30. cit.* Excipe, nisi agatur ad pœnam sanguinis & capitalem, tunc enim ad solum sæcularem deferri debet. R. 2. si agatur civiliter, vel mixtè, ad divortium, solus Ecclesiasticus est adeundus. *c. 5. cit. c. 3. 4. de divort.* quia agitur de dissolutione Matrimonii quoad thorum, & sublata obligatione ex Matrimonio orta: ergo movetur quæstio Juris super Matrimonio, quod est Sacramentum, & aliquid spirituale, atque ideo privativè ad Judicem Ecclesiasticum pertinet; qui etiam rectè cognoscit de causa dotis amittendæ vel restituendæ, si incidenter cum causa divortii proponatur. *c. 3. de donat. int. vir. & ux. arg. l. 3. C. de Judic.* R. 3. si causa dotis principaliter deducatur ad Judicium, vel præcisè agatur ad interesse temporale & rei familiaris, velut ad restitutionem eorum, quæ maritus impendit in alenda prole adulterina sibi supposita, vel hæreditatis, quæ legitimis hæredibus est subtracta per prolem spuriam, cognitio & judicatura videtur soli Judici politico esse propria, utpote de re merè temporali.

§. II.

De Stupro, & aliis criminibus Luxuriæ consummatæ.

12 Sciendum 1. præter *Adulterium* plures adhuc dari species Luxuriæ consummatæ; nimirum Fornicationem: Concubinatum: Stuprum: Incestum: Sacrilegium: Raptum: Polygamiam: Lenocinium: Sodomiam: & Vitium contra Naturam. *Fornicatio, à fornicibus* seu locis obscuris, sub quibus olim scorta seu meretrices Romæ solebant prostare, dicta, & specificè sumpta, est concubitus soluti cum soluta jam defforata. Personæ *solutæ* hìc appellantur non modò, quæ sunt extra vinculum Matrimonii, sed etiam quæ nullo alio vinculo, puta Voti solennis, Ordinis Sacri, Consanguinitatis, aut Affinitatis ligatæ sunt, & ad liberè contrahendum validum inter se Matrimonium habiles. Dixi 1. *specificè sumptæ*, nam generaliter & latè accepta denotat omnem concubitum illicitum & extra-Matrimonialem. *Concubinatus* autem est frequentata fornicatio, & quidem de Jure Civili, si fœmina, cum qua quis consuetudinem habet, detineatur domi instar uxoris, de Jure Canonico autem, sive in propria sive in aliena domo detineatur talis fœmina soluta. Quare Concubinatus non differt à Fornicatione, nisi quòd cum eadem fœmina sæpius committatur idem delictum consummatum. Et hinc ad distinctionem à concubinatu, utì & à stupro, aliisque speciebus dicitur *Simplex* fornicatio.

Sciendum 2. *Stuprum*, quamvis in sensu latiori 13
significet ferè omnem coitum illicitum, sicut fornicatio, strictiùs tamen esse concubitum illicitum cum virgine priùs adhuc incorrupta, & nunquam defforata, vel cum vidua honestè vivente, non præcedente pactione conjugali. §. *Item lex 4. Inst. de publ. Judic.* strictissimè autem esse illicitam virginis defforationem, non præcedente conjugali pactione. *can. 2. caus. 36. q. 1. v. stuprum autem.* Verba, *non præcedente pactione conjugali*, non videntur esse necessaria ad essentiam stupri explicandam, sed tantùm in ordine ad pœnam stupri incurrendam; quia ut stuprator non punitur, qui cum virgine sibi desponsata præmaturè concumbit, licèt rectè puniatur pœnâ arbitrariâ. Lauterbach *ad L. Jul. de adult. §. 37.* Dividitur in *violentum*, quo opprimitur & defforatur virgo invita, scilicet renitens non tantùm manibus pedibúsque, sed etiam vociferatione auxilium implorans: ex cujusmodi clamore pro foro externo etiam probatur vis illata, teste Berlich. *p. 4. decis. 41. n. 69.* & Masc. *de prob. vol. 4. concl. 1417. n. 26.* aliisque. Et in *non-violentum* seu *voluntarium*, quod infertur virgini in sui violationem consentienti. Si omnino liberè consentiat, non fit ei injuria, & sic nullum Injustitiæ peccatum, sed luxuriæ tantùm committitur; si per dolum aut metum injustè incussum adigatur ad consentiendum, est & dicitur stuprum violentum *secundùm quid*, involvitque simul peccatum contra Justitiam, sicut absolutè violentum, quod propriissimè dictum struprum est, quando nimirum totis viribus obnixa opprimitur virgo per vim absoluta. Per stuprum omnino liberè ac voluntariè admissum neque parentibus puellæ infertur injuria, ut habet communior & probabilior; quia illa usum corporis & membrorum suorum à parentum jure independentem habet non minùs, atque si jam corrupta sit.

Sciendum 3. *Incestum* esse concubitum in- 14
ter personas consanguineas, vel affines, in eo gradu, in quo vi Juris Divini vel Humani prohibentur inter se contrahere Matrimonium, uti sunt tam consanguinei lineæ rectæ & obliquæ, quàm affines, usque ad quartum gradum inclusivè: quia verò affinitas orta habens ex copula illicita post Tridentinum non dirimit Matrimonium ultra secundum gradum, ideo in ulteriori gradu habita copula cum affini tali non reputatur amplius pro incestu. Porro incestus committi potest vel sub prætextu & colore Matrimonii, contrahere attentando incestuosas nuptias, ut vocat *l. fin. C. de incestis nuptiis*, vel sine attentatione nuptiarum. *Sacrilegium*, prout est delictum carnis, & ad incestum revocatur, est concubitus cum persona DEO dicata per votum continentiæ. Et licèt pro foro interno verè committatur sacrilegium, in Confessione Sacramentali specialiter exprimendum, si unus vel uterque delinquens voto simplici

cast-

castitatis ligatus sit, vel concubitus non omnino consummatus, in foro tamen externo contentioso, nisi concubitus sit consummatus, & quidem cum fœmina voto solenni castitatis ligata (nam vir, licèt sit Clericus in Sacris constitutus, vel Religiosus, non ut reus sacrilegii punitur, sed tantùm fornicationis) non reputatur pro sacrilegio. *Lenocinium* est delictum, quo uxor, liberi, virgines, aut aliæ fœminæ prostituuntur aliis ad illicitum commercium. Cujus etiam reus fit maritus, qui scit, suam uxorem sæpius adulterari, & incorrigibiliter, eam tamen nec dimittit, nec accusat. *l. 2. C. ad L. Jul. de adult. can. 10. cauſ. 32. q. 1. c. 3. h. t.* De *Raptu* & *Polygamia* nihil attinet hic ampliùs dicere, cùm de illo *ad Tit. I. à n. 117.* de ista verò *ad Tit. IV. à n. 8. in lib. IV.* quantùm satis est, jam egerimus.

15 Sc. 4. *Vitium contra Naturam* in genere luxuriæ turpissimum, gravissimum, & nefandissimum esse, atque distingui in tres species: prima est *Sodomia*, dicta ab urbe Sodoma, quam propterea ignis cœlò delapsus absumpsit. *Gen. 19.* aliáque est *perfecta*, quando coëunt duo ejusdem sexûs, si nempe mas cum mare, vel fœmina concumbat cum fœmina: alia autem *imperfecta*, quando quidem servatur diversitas sexûs, non tamen vas naturale, ut si vir cum fœmina (sive uxor sit sive alia) coëat in vase non ordinato ad generationem, sed in alio, v. g. præpostero, coxendice &c. Secunda species est *Bestialitas*, seu commixtio carnalis sive coitus hominis cum bruto. Quò etiam referre potes concubitum cum dœmone in hominem se transfigurante: licèt hoc peccatum sit specie diversum à bestialitate, bestialitas verò sit ejusdem speciei, qualecunque fuerit brutum, cum quo fit congressus. Tertia vitii contra naturam & infima species est *Mollities*, seu *Pollutio*, quæ est voluntaria seminis humani effusio absque omni concubitu, seu est fluxus seminis è lumbis decisi, & descendentis ad partes obscænas, causatus à vehementi comotione spirituum genitalium: estque peccatum semper mortale, si studiosè procuretur, aut cum plena advertentia & deliberatione admittatur, imò est pejor fornicatione.

16 Dico 1. Fornicatio simplex (uti & Concubinatus) est quidem peccatum mortale, repugnans Juri non Divino tantùm, sed etiam Naturali. 2. Pœnam tamen de Jure Civili nullam habet. 3. Licèt vi consuetudinis & particularium statutorum apud plerasque Nationes honestatis laude florentes puniri soleat variè. Pars 1. quòd sit peccatum mortale, & Juri Divino Positivo repugnans, clarè est de Fide ex illo *Ephes. 5. scitote, quòd omnis fornicator & immundus non habet hæreditatem in Regno DEI.* Et ex *5. Gal.* ubi S. Paulus fornicationem refert inter opera carnis, de quibus in fine addit: *qui talia agunt, Regnum DEI non consequentur.* Quòd verò repugnet Juri Naturali, & intrinsecè mala sit, insinuat idem Doctor Gentium *ad Rom. 1.* ubi etiam infideles gentes, quæ Jus Divinum Scriptum & Positivum non cognoverunt, fornicando peccare docet, dum ait: *servierunt creaturæ potiùs quàm creatori -- propterea tradidit illos DEus in reprobum sensum, ut faciant ea, quæ non conveniunt, repletos omni iniquitate, malitiâ, fornicatione, avaritiâ, nequitiâ, plenos invidiâ, homicidiô &c.* Conspirat communis Catholicorum sensus contra Caramuelem, cujus hanc propositionem, *tam clarum videtur, fornicationem secundùm se nullam involvere malitiam, & solùm esse malam, quia interdicta, ut contrarium omnino rationi dissonum videatur,* proscripsit Innoc. XI. anno 1679. Accedit ratio; quia fornicatio simplex adversatur ex natura sua rectæ educationi prolis, quam tamen Natura intendit: quæ ratio fundatur in universali periculo, & ideo, licèt in quibusdam casibus particularibus, ubi fornicantes specialiter providerent de bona prolis educatione, cessaret, Lex tamen Naturalis propterea non cessat, cùm maneat periculum generaliter. Excipe, nisi DEus, in cujus dominio sunt humana corpora, & proles omnes, expresè id permitteret. Pars 2. firma est ex negatione Legis, quæ statuat pœnam. Quid Jus Canonicum statuat, & quomodo puniat Clericos maximè, si sint fornicarii, vel concubinarii, invenies *in lib. III. Tit. II. n. 3. seqq.* Pars 3. clarescet, si praxim & statuta particularia locorum attenderis. In Bavaria nostra juxta *Mandatum seu Novellam 20. Sept. 1635.* editam fornicantes prima vice præter mulctam pecuniariam puniuntur domi suæ, & quidem mas per unam vel duas hebdomades mit Sprenger oder Eisen / fœmina verò per 4. aut 5. dies mit der Geigen. Secunda vice deprehensi præter mulctam pecuniariam duplicatam severiùs puniuntur, nempe vir relegatur aus dem Gericht oder Hoffmarck/ fœmina per 8. vel decem dies plectitur mit der Geigen/ iterum domi suæ. Tertia vice si redeant, mas relegatur aus dem Rent-Ampt / fœmina aus dem Gericht/ oder Hoffmarck. Quarta vice relegantur ex provinciis Bavaricis omnibus tum fœmina quàm mas. Utrum in Praxi ubique observetur quoad omnia iste rigor, noverint Practici.

Oppones 1. DEus ipse præcepit Oseæ Pro- 17
phetæ: *sume tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum Oseæ 1.* ergo fornicatio non est intrinsecè mala, & Jure Naturali prohibita. 2. Naturali inclinationi hominum est valde conveniens: ergo non est contra Legem Naturæ. 3. Eadem est passionis ac voluptatis vehementia in copula conjugali, quæ est in fornicaria: ergo, si illa non repugnat Juri Naturali, nec ista repugnabit. R. ad 1. Fornicatio non est absolutè contra Jus Naturale, sed conditionatè, nisi nempe DEus, in cujus dominio sunt humana corpora, det potestatem: licèt tali casu fortè non esset fornicatio in rigore accepta. Deinde DEus non præcepit Oseæ, ut extra conjugium procrearet filios, sed ut conjugem duceret fœminam fornicationibus priùs deditam, ex qua suscepti filii matrem essent imitaturi fornicando, uti Scripturæ Interpretes, præsertim Corne-

lius à Lapide, notant. Ad 2. perversa hominum natura etiam inclinatur ad incestus, adulteria, pollutiones &c. ergo hæc delicta non sunt prohibita Jure Naturali? Quis sanæ mentis admittet hanc consequentiam? Aliud est Naturam sensualem ac perversam inclinari ad aliquid, aliud Naturam Rationalem, cui plane repugnat fornicatio. Ad 3. *N. Ant.* cum S. Th. & communi; nam copula conjugalis fit ex intentione Naturæ tanquam necessaria ad propugnandum genus humanum, non autem fornicaria: conjugibus Christianis dat DEus speciales gratias Sacramentales ut Author Supernaturalium, conjugibus autem non-Christianis auxilia naturalia ut Author Naturæ, ut moderatiùs & intra limites honestatis utantur commercio carnali, quæ non dantur solutis. Si & conjuges ex libidine inordinata excedant, quoad modum, & ipsi peccant. Quæ autem de Fornicatione diximus, à fortiori intelligenda sunt de Concubinatu, cùm ex frequentia actuum non minuatur, sed augeatur delictum. *c. fin. de Consuet. c. 5. de eo, qui duxit.* Quod ut caveatur, neque sponsis cohabitationem in iisdem ædibus ante Nuptias permittit Jus Bavaricum. Landś- und Policey-Ordnung *l. 5. tit. 9. art. 16.*

18 Dico 2. Pœna stupri violenti (Noth-Zucht) & perfecti, de Jure Civili est capitalis, si oppressa sit fœmina honestæ aliàs vitæ: imperfecti autem & attentati olim deportationis aut fustigationis, hodie arbitraria. *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. crim. l. in eadem 3. §. præterea 4. ff. ad L. Jul. de vi publ. Constit. Pœnal. Caroli V. art. 119.* Dixi *violenti*, quo nomine probabiliùs non venit, si fœmina blanditiis, muneribus, promissionibus, fraude aut fallaciis inducta sit ad consentiendum, uti notant complures cum Tusco & Farinac. quia aliàs ferè semper pœna capitis foret infligenda; cùm similia ferè nunquam absint. De Jure Bav. *tit. 9. cit. art. 18.* eadem est pœna mortis, si per potum amatorium sit inducta fœmina. Si verò violentia non intervenit, de Jure Civili quidem est decreta publicatio dimidiæ partis bonorum in stupratorem honestæ conditionis; & verberatio cum relegatione in stupratorem vilioris conditionis. §. *Item Lex Julia 4. Inst. de publ. Judic.* at non, nisi agatur criminaliter super stupro non-violento. Si autem agatur civiliter, uti frequentiùs contingit, in foro Civili observatur dispositio Juris Canonici, quod stupratorem condemnari vult ad dotandam vel ducendam violatam. *c. 1. & 2. h. t.* de quo vide dicta *in lib. IV. Tit. I. n. 9. 10.* ubi *n. 7. & 8.* pariter videbis, ad quid obligetur stuprator fictè promittens Matrimonium. Si stuprator esset Clericus, præter dotationem violatæ *c. 1. cit.* statutam olim deponebatur ab officio. per *can. 44. caus. 2. q. 7.* hodie autem arbitrariè punitur (salva tamen dotatione) nimirum vel incarceratione, vel mulctâ pecuniariâ, vel suspensione &c. In Laicos autem hodie propter stuprum (sicut propter adulterium, & alia crimina mixti fori) non ampliùs soletprocedere Judex Ecclesiasticus per pœnas Juris Canonici, sed relinquit castigationem Judici Laico. Engel *h. t. n. 8.* Cui Judici, licèt nemo agat criminaliter, integrum tamen adhuc est stuprum non violentum in utroq; delinquente juxta consuetudinem & statuta plectere, sicut propter fornicationem simplicem plecti solent. Vid. Haun. *to. 6. tr. 2. n. 596. &c.* Cæterùm probatio stupri, uti & simplicis fornicationis, iisdem ferme modis fieri potest, quibus adulterium probari diximus *n. 10.* Si stuprator aliquando fassus est, se rem habuisse cum puella, hæc duplicem habet pro se præsumptionem (nisi aliunde ex indiciis contrariis elidatur) nempe quòd fuerit virgo, & quòd fuerit seducta blanditiis importunis, promissionibus &c. ut condemnari sibi alter debeat vel ad dandam dotem, vel ad se ducendam, prout voluerit, nisi is oppositum probet.

19 Quæres, à quo alenda sit proles ex stupro, fornicatione, vel alio illicito concubitu suscepta? R. per se ab eo, qui pater est prolis, exceptô duntaxat alimentô lactis, si mater per se ipsam lactare possit. Molin *tr. 2 d. 161. n. 11.* Barb. *in c. 5. de eo, qui duxit.* Brunem. *in l. 9. C. de patr. potest.* Coler. apud Berlich. *Concl. pract. p. 4. Concl. 38. n. 41. seqq.* & alii multi. Sumitur ex *c. 5. cit.* ubi Jus Canonicum correxit *Auth. Ex complexu C. de incest. nupt.* spuriis alimenta paterna adimentem, & quod alimenta liberos illegitimos ac spurios quodammodo legitimis coæquat; atqui liberis legitimis primô triennio mater tantùmtenetur præstare alimenta lactis, non verò alia, uti nec vestitum, habitationem, lectum, medicamenta, sumptus puerperii: ergo ad ista etiam primô triennô obligatur pater, uti per reliquos annos ad totam alimentationem, donec proles per ætatem & vires se ipsam alere possit. Dixi tamen, *per se*, nimirum secluſa consuetudine loci diversa, vel speciali conventione inter fornicantes &c. item nisi pater ob paupertatem non posset suppeditare alimenta; tunc enim obligaretur mater. text. & DD. *in c. 5. cit.* atque in defectu matris quoque transiret obligatio ad avos. *per l. 5. §. 1. & 5. ff. de agnoscend. lib.* Neque opponas notos illos versiculos glossæ *in c. fin. de conver. Infid. v. post triennium*, communiter receptos: *mater alit puerum trimum, trimúmque minorem; majorem trimô pascere patris erit.* Concordat *l. 9. cit.* ubi trimo dare alimenta jubetur pater: ergo ante triennium obligatur mater ad omnia, uti plane sentiunt plurimi. Accedit, quòd in *d. c. 5.* uterque parens obligetur ad alimenta spuriis danda secundùm facultates suas. Nam R. Glossa & leges citatæ meliùs intelliguntur præcisè de alimentis lactis, quia quoad alimenta Jus Canonicum illegitimis æquè ac legitimis provisum cupit. Deinde *l. 9. cit.* loquitur tantùm de legitimis, de quibus aliunde constat, quòd etiam ante triennium ali debeant à patre, excepto lacte nisi mater per se nequeat lactare; tunc enim impensis patris constituenda foret nutrix.

In l. l.

In *l. 5.* obligatur quidem uterque parens, at non conjunctivè, sed successivè, ita ut mater in defectum patris primùm obligetur.

20 Sed quid Juris, si dubium sit, quisnam sit pater prolis ex illicito concubitu natæ, eò quòd constet, vel suspicio sit, plures cum eadem fœmina concubuisse? R. 1. Si de uno constet, quòd cum tali fœmina rem habuerit, quia vel confessus vel convictus de eo est, cæteri autem negant, nec graves contra alios militant præsumptiones, ille solus tenetur: si tamen gravia adessent indicia & præsumptiones, quòd eadem fœmina etiam cum aliis fornicata sit, huic deberet priùs deferri juramentum, quo se purget à suspicione fornicationis cum alio vel aliis habitæ, certùmque infantis patrem prodat, antequam illi soli totum onus alimentationis imponatur, ut notat König *h. t. n. 30.* cum Carpzov. & Mævio. R. 2. si de duobus (vel pluribus) constet, quòd commercium carnale habuerint cum fœmina prolem enixa, imprimis attendendum est, respectu cujus coincidat tempus partûs, ubi quandoque creditur juramento fœminæ. Berlich. *concl. 38. n. 57. &c.* vel etiam cui respondeat physiognomia prolis. Deinde an non intercedat impedimentum dirimens inter stupratam & unum corrivalem, non verò alterum, & tunc onus alimentationis imponitur non habenti impedimentum; cùm in dubio proles sit habenda potiùs pro naturali, quàm pro spuria. Si denique cum nullo intercesserit impedimentum Matrimonii, & ex circumstantiis colligi satis nequeat, quisnam sit pater determinatè, singuli pro rata debent concurrere ad alendam prolem, & onus dividi in singulos, ut tenet communis cum Lugo *d. 13. n. 19.* Idem est de reparatione damnorum, si indè aliqua quibusdam sint orta.

21 Dico 3. Pœna incestûs simplicis (h. e. non commissi sub colore Matrimonii) de Jure Civili communi non est satis determinata, neque in *Constit. Carolina*, quæ *art. 117.* se refert ad Jus Imperiale antiquius; unde & DD. inter se differunt. Communior ex *l. 38. pr. & §. 3. ff. ad L. Jul. de adult.* ubi, licèt dicatur humaniùs tractari solere quàm adulterium, commissum tamen incestum, saltem inter consanguineos lineæ rectæ, majus esse delictum adulteriô asseritur, putat statutam esse pœnam mortis, saltem in consanguineos lineæ rectæ, imò & in fratres & sorores inter se comixtos. Alii econtra mitiùs puniendum existimant, tum quia in *Codice* non reperitur pœna mortis, tum quia in *l. siquis viduam. 5. de quæst. in Digestis* punitur tantùm deportatione, cui hodie successit fustigatio, das Ruthen-Aushauen. Litem videtur decîdisse Ordinatio Criminalis Josephi I. *art. 19. §. 21.* incestum inter parentes & liberos, fratrem & sororem, privignum & novercam, privignam & vitricum, socerum & nurum gladiô puniri mandantis. Rectè attenditur in particularibus locis consuetudo, vel statuta specialia. De Jure Bavarico recentiore, contento in *Novella 3. Aug. 1700. edita*, in consanguineos in linea rectà decreta est pœna ignis: in affines lineæ rectæ in primo gradu, utî si commisceantur vitricus & privigna, noverca & privignus, socer & nurus, socrus & gener, pœna gladii: in alios consanguineos collaterales in secundo gradu, & affines collaterales in primo gradu, fustigatio cum relegatione perpetua Dixi 1. *Simplicis*; si enim cum velamine conjugii perpetratus sit, est privatio dignitatis, confiscatio bonorum (si liberos habeant, his cedunt) & exilium, si sint conditionis honestioris: fustigatio verò, si sint viles. *Auth. Incestas C. de incest. nupt.* Intellige hæc, nisi inter tales personas sit attentatum matrimonium, quas propter arctam conjunctionem, etiam seclusis nuptiis, pœna asperior, nempe mortis, juxta dicta manet. Dixi 2. *de Jure Civili*; quippe de Jure Canonico Incestus simplex, in quo quis contumaciter perseverat, excommunicatione ferendæ sententiæ puniendus est. per *can. 9. caus. 35. q. 2.* Si maritus sit, peccans cum consanguinea uxoris suæ, ipso Jure privatur potestate exigendi debitum conjugale. *c. 1. de eo, qui cognovit* &c. Si contrahantur incestuosæ nuptiæ scienter, incurritur excommunicatio latæ sententiæ, in quocunque gradu prohibito illæ attententur. *Clem. un. de consang.* Si Clericus quocunque modo se reum faciat incestûs, ab ordine, officio, & beneficio deponendus est, præsertim si cum adulterio conjunctus sit. per *can. 10. 11. d. 81.* Imò & Sacerdos filiam spiritualem corrumpens, quam ex Baptismo levavit, vel in Confirmationis Sacramento tenuit. per *can. 8. 9. caus. 30. q. 1.* quin & qui filiam Confessionis carnaliter cognovit. Pirhing *hic. sect. 3. n. 6.* Nota, in pœna incestûs in utroque foro attendi computationem graduum consanguinitatis & affinitatis secundùm Jus Canonicum.

Dico 4. Pœna Sacrilegii, quo quis corrumpit Monialem, est capitalis seu mortis de Jure Civili *l. 5. C. de Episc. & Cler. Nov. 123. c. 43.* De Jure Canonico Laicus excommunicatur, Clericus autem ab Ordine depositus & beneficiô privatus in Monasterium detruditur ad agendam pœnitentiam. *can. 6. & 28. caus. 27. q. 1.* Monialis autem se violari passa in arctius Monasterium detrudi, aut perpetuo carceri mancipari debet. *can. 11. 25. 28. 30. caus. & q. cit.* Dixi, *Monialem*; nam qui aliam, voto simplici castitatis ligatam, violat, etsi Clericus in Sacris, vel in Religione constitutus sit, determinatam in Jure pœnam non habet, nec pro Sacrilego habetur in foro externo, licèt revera sit, sed tantùm pro fornicatore. Clarus *lib. 5. §. Fornicatio n. 8.* Farin. Menoch. 22

Dico 5. Pœna Lenocinii probabiliter est gladius, si parentes liberos, vel maritus uxorem prostituat. *l. 2. §. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* Si prostitutio fiat ab aliis personis, pœna est arbitraria. v. g. fustigatio, relegatio, præcisio aurium &c. pro qualitate delicti & personarum. 23

Dico 6.

24 Dico 6. Pœna Sodomiæ perfectæ de Jure Civili non tantùm est infamia ante omnem accusationem & condemnationem, sed etiam gladius de Jure Antiquo. *l. 31. C. eod.* de Moderno autem Constitutionis Carolinæ *art. 116.* ignis, quo vel vivi, tam patiens quàm agens, vel priùs strangulati vel capite plexi concremantur. Dixi 1. *Sodomiæ:* sed eadem ignis pœna in *cit. Carolina art. 116.* extenditur ad *bestialitatem,* ac ita quidem, ut non tantùm homo, sed & brutum consumatur flammis ad imitationem Veteris Legis *Levit. 20. v. 15.* Quo modo ante paucos annos prope Dilingam, ubi tum morabar, in pago ditionis Ulmensis combustum scio Juvenem rusticum unà cum equo, cum quo peccaverat. Dixi 2. *perfectæ;* quamvis enim pari rigore Sodomiam imperfectam puniri velint Clarus, Farinac. Menoch. & alicubi soleat, eam tamen alii probabiliùs obnoxiam esse affirmant pœnæ extraordinariæ, ac mitiori. propter *l. 1. §. 2. ff. de Extraord. Crim.* ibi: *perfectò flagitiò puniuntur capite.* Concubitus *cum dæmone,* cùm non facile contingat, nisi apud magos & sagas, unà cum magia plectitur. *Mollities* verò seu *Pollutio,* quæ tertia species est vitii contra naturam, quia vix unquam ad forum contentiosum deducitur, cùm nemine conscio exerceri soleat, pœnam ordinariam non habet: si tamen deduceretur, extraordinariâ fustigationis, relegationis &c. rectè coërceretur teste Haun. *to 6. tr. 2. n. 575.* Dixi 3. *de Jure Civili:* nam de Jure Canonico reus Sodomiæ, saltem perfectæ, excommunicari, si Laicus sit, si verò Clericus, ab Ordine depositus, beneficiò & officio privatus, in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi debet. *c. 4. de Excess. Prælat.* Imò Clericus juxta *Constit. Horrendum* S. Pii V. editam 3. Sept. 1568. degradatus tradi debet Curiæ Sæculari, secundùm Leges Civiles puniendus, modò, ut notat Suar. *de Censuris d. 31. sect. 4. n. 21. 22.* hoc crimen consummatum, sæpius frequentatum, & notorium sit. Si verò Sodomita sit in conjugio constitutus, uxor innocens ab eo facere divortium potest non minùs, quàm propter adulterium. *arg. can. 7. cauſ. 32. q. 7.* Id quod procedit etiam ob Sodomiam imperfectam, & bestialitatem à viro commissam. S. Th. *in 4. d. 35. q. un. a. 1.* Abb. Pont. Sanch. Wiestner &c. Si tamen vir cum propria uxore invita Sodomiam committeret, non permittitur ei divortium propterea perpetuum, sed solùm ad tempus, quamdiu nempe vir ab hoc scelere renuit desistere. Sanch. *l. 10. d. 4. n. 8.* Pirh. *ad tit. de divort. n. 5.* Quamvis etiam in hoc casu perpetuum divortium permittant alii cum D. Antonino & Schambogen *eod. tit. n. 4.*

§. III.

De aliis delictis Luxuriæ non consummatæ, nimirum Delectatione morosa, Osculis, Tactibus &c.

25 Sciendum 1. Luxuriæ, quæ in genere dicitur esse usus vel appetitus sensûs seu delectationis venereæ, qui fit cum commotione seminis vel spirituum generationi servientium circa partes corporis Venereas, actus alios esse perfectos seu consummatos, in quibus nempe fit actualis effusio seminis, de quibus hucusque, alios autem imperfectos & non consummatos, in quibus ad ultimum terminum seu ad seminis decisionem non devenitur, uti sunt actus interni delectationum morosarum & desideriorum; quæ oriuntur vel ex cogitatione, vel aspectu, vel tactu &c. rerum turpium, seu venerearum, causante aliquam sensationem intra corpus, quæ ad tactum pertinet, ex commotione seminis, & spirituum genitalium. La Croix *l. 3. p. 1. n. 886. & l. 5. n. 95.* Quamvis autem de his Canonistæ alias tractare non soleant, utpote considerantes delicta principaliter pro foro externo in ordine ad pœnas a jure inflictas vel à Judice humano infligendas, tamen in gratiam eorum, qui Theologiæ Morali nunquam studuerunt, cujusmodi ex meis DD. Auditoribus sunt plurimi, hoc loco breviter explicare placet, an & quando delectatio carnalis, aspectus, oscula, tactus, turpiloquia &c. sint peccata mortalia, cujus rei notitia speculativa omnibus perquam utilis vel etiam necessaria est ad facilius evitanda hæc peccata lubrica, vel si lapsi sint, ad ritè exponenda in Confessione.

Sc. 2. *Delectationem* in genere esse simplicem complacentiam in aliquo objecto: si hoc objectum est turpe, quo nomine hoc intelligitur tale, quod ad luxuriam seu Venerem spectat, est *turpis,* seu *venerea,* quæ nimirum sentitur circa partes genitales per commotionem seminis vel spirituum, generationi deservientium, seu qua commoventur partes obscœnæ corporis, vel saltem spiritus genitales circa illas; nam generationi, ad quam ex natura sua ordinantur, præsidem statuebant *Venerem* Gentiles. La Croix *l. 3. p. 1. n. 889. 894. & l. 5. n. 93.* Atque hæc delectatio Venerea, vel turpis, vocatur quandoque *carnalis,* vel *sensualis,* imò etiam *sensibilis,* aut *sensitiva.* Quamquàm *sensibilis* vel *sensitiva,* & nonnunquam etiam *sensualis* accipiatur in alio sensu, quæ nimirum oritur ex proportione seu connaturalitate, quam res habent cum organo alicujus sensûs corporis humani, sine ulla commotione circa partes genitales, licet eam saltem remote apta sit causare, sed ferè circa pectus, vel aliquem sensum auditûs, tactûs &c. duntaxat per motum spirituum vitalium: cujusmodi delectatio percipitur ex visu picturæ, tactu holoserici mollis aut felis blandæ, auditu Musicæ, odoratu floris, gustu sacchari &c. La Croix *cit. n. 93. seq.* Dominicus Viva *in propositionem 40. ab Alex. VII. damnatam n. 4.* Delectationi carnali Venereæ, & sensuali opponitur *Spiritualis,* quæ nempe est in sola voluntate, &, licet forte sit de turpi, cum nulla tamen commotione turpi in corpore conjungitur. Tam carnalis quàm spiritualis dicitur *delectatio morosa,* quando voluntas eam advertens deliberate admittit,

mittit, & sic *moratur*, seu se detinet in illa: vel etiam ex hac ratione, quòd voluntas in ea sistat, moretur & quiescat, nec ad opus pergere intendat. Unde non ratione temporis appellatur morosa, cùm possit in unico instanti haberi. Porro si voluntas non sistat in oblectatione interna circa rem turpem, sed illam quoque facere cupiat, est & vocatur *desiderium turpe*.

27 Sc. 3. Cogitationem vel cognitionem in re Venerea posse esse vel speculativam, vel practicam, per practicam tamen non intelligendo illam, quæ præscribit modum vel media exercendi delectationem Veneream, uti hanc vocem sumunt Philosophi, sed in alio sensu, uti videbimus. *Speculativa*, ut præ cæteris bene explicat Cardenas *in Crisi disp. 42. n. 92. 127. & disp. 43. n. 9. & 15.* est, quæ quidem objectum delectabile proponit, at non delectabiliter & modo provocante ad delectationem carnalem: sic studens casibus, vel explicans materiam luxuriæ, vel Confessarius, dum legit, explicat, audit, loquitur turpia, de his cogitare, eorúmque delectabilitatem cognoscere potest, quin tamen provocetur ad delectationem, vel oriatur motus, aut sensatio, quando sistit in sola contemplatione objecti. *Practica* verò quando cognoscitur objectum turpe modo delectabili & provocante ad delectationem sensibilem vel carnalem, ita ut moveantur spiritus carnales: qui motus tamen apud timoratos accidit involuntariè, præter-vel contra intentionem. Conformiter utrique cogitationi oritur *delectatio* vel *Speculativa*, qua quidem percipitur delectabilitas objecti, tamen non ita, ut voluntas provocetur, aut moveatur ad amorem vel desiderium rei turpis, vel *Practica*, qua ita percipitur delectabilitas objecti, ut voluntas etiam provocetur aut moveatur ad eam amandam vel desiderandam. Porro cogitatio practica provocativa pro diversitate temperamenti carnis, cognitionis magis vel minus vivacis, & hominis ad turpia magis vel minùs proni potest esse vel *tepida*, quæ parùm provocat seu commovet spiritus genitales: vel *intensa mediocriter*, quæ vim habet mediocrem excitandi spirituum commotionem: vel *vehemens*, quæ vehementem & summam excitat spirituum seminalium commotionem, ac re ipsa determinat ad pollutionem. La Croix *p. 1. cit. n. 896.* P. Karchne in *tract. de Actib. hum. diff. 1. n. 82. 83.*

28 Sc. 4. Sicut cogitatio interna, ita actus quosdam externos provocare posse ad commotionem spirituum & partium genitalium corporis, consequenter ad delectationem carnalem, scilicet aspectum proprii vel alieni corporis, picturarum aut comœdiarum minùs honestarum, congressûs animalium, turpiloquia, cantiones amatorias, choreas, maxime oscula & tactus impudicos, vel minùs pudicos: hos autem actus externos, uti & tactus, sicut de cogitatione practica diximus, posse esse vel tepidos, vel intensos, vel vehementes. Karchne *n. 83. cit. v. Notandum tertiò.*

Interim te monitum velim, quòd ex hac doctrina de motu, & cogitatione practica, tepidis & mediocriter intensis, non sequatur in delectatione Venerea, dari parvitatem materiæ; quia non sunt ipsa delectatio, sed causa duntaxat commotionis, in cujus positione dari potest peccatum veniale, vel etiam nullum, uti discES ex *n. 32. 34. 42.* & maximè *n. 44.*

Sc. 5. Per cogitationem & actus prædictos delectationem carnalem, vel etiam ipsam pollutionem, aut distillationem (quæ differt à Pollutione per hoc, quòd in pollutione effundatur verum semen & ordinariè cum vehementi delectatione, carnisque commotione, per distillationem verò non verum semen ad generationem destinatum, sed humor quidam subtilior, inter semen & urinam medius, ordinariè cum minori delectatione & carnis commotione, imò quandoque imperceptibiliter seu absque carnali motu) ab operante intendi posse, vel non intendi; item intendi posse vel directè per se, vel indirectè in causa per se connexa cum delectatione carnali, aut pollutione secutura, licèt fortè per accidens hæc impediatur. 29

Sc. 6. Etiamsi nec directè nec indirectè 30
prius fuerit intenta delectatio Venerea, vel pollutio, posse tamen ex postfacto eam approbari, & voluntariè admitti per consensum voluntatis, plenè vel non plenè deliberatum. Et hoc casu delectatio vel pollutio dicitur esse *admissa*, in priori autem, ubi intenditur directè vel indirectè, *quæsita*. Atque per hanc intentionem vel consensum denique oritur peccatum: nam sine voluntatis libera cooperatione peccatum non datur, quicunque turpes & impuri motus oriantur in homine. Hic autem nota, multos decipi, vel se ipsos decipere, dum sibi persuadent, se non consensisse, si voluntatem non habuerint exequendi, & ipso opere patrandi fornicationem, stuprum, sodomiam, vel alium actum externum: aliud enim est consensus in opus, & aliud consensus in delectationem prohibitam: uterque consensus est peccatum, licèt specie diversum: unus facit delectationem morosam, alter desiderium pravum.

Sc. 7. Circa consensum, quo completur 31
peccatum, ex P. Christophoro Schorer *Theol. Ascet. p. 3. s. 6. c. 6. n. 6.* notanda esse sequentia. 1. Si sensibus vel rationi præcisè repræsentetur objectum turpe, vel aliter peccaminosum, non esse peccatum. 2. neque motum sensualitatis, qui ad hanc repræsentationem consequitur, & rationem prævertit; cùm sit naturalis & ex fomite contra voluntatem, vel saltem ab hac non procedat. 3. neque delectationem huic motui naturaliter conjunctam, quæ secum trahit sine omni deliberatione partem inferiorem rationis & voluntatis, vel potiùs phantasiæ & appetitûs sensitivi: imò si superior ratio talem motum advertens statim resistat per actus contrarios, saltem virtuales, meritum comparatur. 4. si verò ratio superior hæreat nonnihil,

primis suggestionibus & motibus non resistat, uti posset, peccatum quidem committitur, sed, si ratio alterius rei attentione occupata impediatur, ob defectum advertentiæ plenæ adhuc leve, & erit delectatio subreptitia: sed hæc diu durare non solet, cùm rationem exercitet suô objectô. 5. si verò plenè advertat suggestionem, neque tamen contra eam insurgat, sed ex negligentia & torpore sinat motum illum aliquâ temporis morâ extendi, licèt nondum deliberationem aut consensum elicuerit, peccatum veniale delectationis committitur, majus minúsve, pro modo negligentiæ. 6. quòdsi post delectationem hujusmodi non resistatur, sequitur consensus: qui si ex vehementi impulsione præcedat adhuc plenam deliberationem, & hac superveniente ratio resistat, rejiciátque motum, necdum peccatur mortaliter, etsi proximè accedatur. 7. quando verò plena deliberatione actualiter vel virtualiter habitâ consensus accedit, peccatum mortale est, si objectum sit graviter illicitum, sive dein in ipsum opus tendat consensus, sive in solam delectationem cogitatione sumptam. Ubi insuper notat, dæmonem vel sensum subinde tentationes injicere sub enuntiatione consensum significante, *volo hoc facere &c.* cùm tamen longissimè absit voluntas consensûs; qui neutiquam ex incidentibus verbis, sed vero suo proprio actu dijudicandus est. La Croix *l. 5. n. 226.* Ex quo apparet, peccatum mortale non committi, licet res, circa quam habetur delectatio, sit graviter illicita, nisi accedat consensus perfectus prævia advertentiâ seu cognitione malitiæ & deliberatione plenâ, sed ex imperfectione actûs, nempe vel advertentiæ vel deliberationis, aut ob negligentiam in resistendo, evadere veniale. Siquis post advertentiam nec positivè resistat, nec positivè consentiat, delectationi & motibus venereis involuntariè excitatis, sed habeat se negativè, an peccet graviter vel leviter, disputatur. P. Karchne *n. 102.* respondet cum distinctione, & dicit, eos, qui Venereis sunt assueti, item quando motus & delectatio est *vehemens* & summa, peccare mortaliter non resistendo positivè, ob periculum scilicet consensûs, qui hoc ipso & actualiter videtur dari in hujusmodi personis, si se tantùm habeant passivè: in aliis autem putat tantùm esse veniale, ut siquis timoratus curiosè studeat arti Medicæ aut Anatomicæ, cui displicet delectatio, etsi non reprimat positivè, vel cessando. Less. *lib. 4. c. 3. n. 118.* Imò Tannerus, Azor & Sanch. apud La Croix *lib. 5. n. 110.* putant, nullum esse peccatum, siquis habeat justam causam se habendi permissivè, ut si probabiliter timeat, ne positivè resistendo magis augeat tentationem, ut sæpe fit apud meticulosos: si jam conatus est resistere, & nihil profecit: si deberet abrumpere actionem honestam ac utilem, v. g. studium, auditionem Confessionum &c.

Sc. 8. Ad hoc, ut censeatur aliquis indirectè consentire in delectationem Veneream 34
vel pollutionem, quam prævidet secuturam ex suo actu, & causa, quam ponit, vel saltem prævidere potest, sive ut eam censeatur velle in sua causa, observandum esse, causas hujusmodi posse esse vel *licitas* per se, vel saltem *indifferentes*, uti est equitatio, aut alius corporis situs commodus, cauta collocutio cum fœmina, lautiùs prandere aut cœnare intra limites tamen temperantiæ: vel esse *utiles* aut *necessarias*, uti studere casibus de rebus obscœnis, audire Confessiones de obscœnis peccatis, medendi vel aliâ justâ causâ tangere partes corporis verecundas &c. vel esse *illicitas*, & ex his aliquas non pertinere ad genus luxuriæ, uti est nimius esus & potus, etiam ex voluptate; aliàs verò esse *in genere luxuriæ*, quæ iterum sunt in duplici classe; aliæ enim *notabiliter & vehementer* influunt ad excitandam delectationem vel pollutionem commovendo spiritus genitales ac partes venereas, uti est tactus valde impudicus, maximè verendorum alieni corporis absque necessitate, vel aspectus nudæ fœminæ non fortuitus, aut obiter factus, sed fixus &c. item cogitatio Venerea practica vehemens, ut suprà descripsimus, cujusmodi sunt causa per se efficax commotionis carnalis: aliæ autem *leviter & non notabiliter* influunt, & provocant Venerem per se, uti curiosus aspectus mulieris formosæ, vel etiam nudi pectoris non fixus, levis & jocosus fœminæ tactus, compressio manuum, curiosa lectio turpium, confabulatio amatoria ob vanitatem, aut ad amorem vanum conciliandum. Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 45. n. 18. & d. 46. n.* 10. 11. 15. His præmissis

Dico 1. Delectatio merè spiritualis circa 35
materiam Venereamest peccatum mortale. Communis cum S. Thoma 1. *2. q. 74. a. 1.* Ratio, quia est delectatio de objecto graviter prohibito; cùm in materia Venerea non detur parvitas materiæ, uti dicemus. Quòd autem non accedat delectatio carnalis, est per accidens; nam delectatio spiritualis de tali objecto per se est causa commotionis spirituum genitalium, in qua consistit delectatio carnalis. Sicut ergo, qui sibi complacet deliberatè de homicidio spiritualiter absque delectatione sensibili, peccat graviter, quia objectum est graviter prohibitum, ita etiam spiritualiter delectans cogitatione rei Venereæ. Oppones. Licet gaudere de pollutione, quæ evenit in somno: ergo, g. licet de ea gaudere ut utili ac bona, in quantùm inde absque culpa minuitur materia tentationis, vel consulitur valetudini. *C. Ant.* quatenus est Venereè delectabilis. *N. Ant. & Cons.*

Dico 2. Delectatio merè sensibilis, seu sen- 36
sitiva, vel sensualis, aut tactiva, prout eam distinximus à Venerea & carnali, per se vacat culpâ. Dominicus Viva *in propos. 40. ab Alex. VII. damnatam n. 4.* & alii communiter. Dum *per se*, per accidens enim fit peccatum veniale, si quæratur præcisè ideo, quia blandè de-

fixa

ficit sensum, & in hoc fistatur. Sumitur ex propositione ab Innoc. XI. damnata, sic sonante: *comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem non est peccatum &c.* aut si indè oriretur periculum leve & remotum delectationis carnalis & Venereæ. Neque ex hoc sequitur, dari parvitatem materiæ in re vel delectatione Venerea, sed solùm quòd detur parvitas peccati ex parte periculi levis & remoti. Interim in praxi cautos esse oportet omnes, præsertim propensiores ad vitia carnis, ne hac doctrinâ de delectatione sensibili & sensuali abutantur, & indè occasionem sumant etiam excusandi à mortali delectationes vere carnales & Venereas, maximè juvenes, laxioris aliàs conscientiæ; cùm hæc res subtilis & periculosa sit, & sensibilis delectatio subinde difficulter discernibilis à carnali in praxi.

35 Dico 3. Delectatio Venerea morosa, nempe vel deliberatè admissa, vel studiose quæsita, in personis Matrimoniò non ligatis semper est peccatum mortale, licet in ea fistatur, & desiderium peccandi opere ipso non sit conjunctum. Cardenas *disp. 41. à n. 54.* & alii communissimè, id desumentes tum ex SS. litteris, *omnis, qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, jam mœchatus est in corde suo. Matth. 5. Omnis fornicator & immundus, aut avarus non habet hæreditatem in regno Christi & DEI. Ephes. 5.* Notetur verbum, *immundus*: tum ex ratione, quia talis delectatio est causa per se & ex natura sua tendens ad profusionem seminis, & commotio spirituum genitalium, ac seminis, in qua consistit hæc delectatio, est inchoata profusio, teste Galeno *l. 14. de usu partium. c. 9.* & aliis passim, quæ cùm in personis solutis sit peccatum mortale juxta omnes, etiam erit directè & voluntariè ponere causam per se ordinatam ad illam profusionem, licèt fortè per accidens completè non sequatur. Dixi 1. *Delectatio Venerea*, sive dein oriatur ex cogitata fornicatione præterita aut futura, sive alia re turpi. 2. *licèt in ea fistatur* &c. si enim accederet desiderium efficax fornicandi, adulterandi &c. esset aliud specie peccatum, & in Confessione Sacramentali exprimendum. 3. *semper*, Siquidem

36 Dico 4. in re & delectatione Venerea voluntariè admissa, vel quæsita, non datur parvitas materiæ, adeóque ex hoc capite nunquam est peccatum veniale. Communissima, & ita vera, ut opposita Caramuelis & aliorum apud Diana non videatur esse probabilis. Prob. 1. omnis delectatio Venerea, deliberatè quæsita vel admissa, ex intentione naturæ & per se ordinatur ad generationem & copulam, cùm sit commotio seminis & spirituum genitalium, & inchoatio copulæ vel effusionis seminis: ergo, quibus illicita graviter est copula & actus generationis, etiam graviter erit illicita delectatio Venerea voluntaria. 2. quia qui voluntariè se oblectat Venereè, quantumvis modicè, exponit se periculo proximo progrediendi ad majorem delectationem, quæ est mortalis culpa, propter lubricitatem & nimiam proclivitatem naturæ, propter quam in hac materia nemo potest dicere: eousque me oblectabo, talem præcisè motum v. g., & non majorem; cùm in corruptæ nostræ naturæ arbitrio non sit terminum præscribere; sicut, qui in præcipiti positus unum duntaxat vel alterum gradum descendere vult, exponitur proximo periculo labendi ulteriùs: vel sicut, qui accendit unum granum pulveris nitrati adjacens cumulo aliorum, manifestè se exponit periculo accendendi & alia contigua: qui autem amat periculum, peribit in illo. 3. nisi Natura sub mortali prohiberet etiam minimam delectationem Veneream voluntariè admissam, gravissimum inferretur præjudicium propagationi generis humani; cùm indè sequeretur frequentissima profusio & frustratio humani seminis, ex oblectatione voluntaria, quam sibi homines facilè fingerent modicam, certò secutura: ergo debuit sub mortali prohibere. 4. Clemens VIII. & Paulus V. præceperunt denuntiari Inquisitoribus Fidei, qui asserrent, in osculo ob delectationem Veneream habito non contineri crimen lethale. Unde aliqui apud Mendo putant, oppositam sententiam esse damnatam. Sed quidquid sit de hoc, saltem in Societate Jesu *in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis &c. præcipitur, ne quis in Societate publicè vel privatim non modò ut veram & probabilem, sed ne ut tolerabilem quidem ulla ratione, doceat opinionem eorum, qui tradunt, in re Venerea exiguam aliquam delectationem deliberatè quæsitam propter levitatem materiæ excusari à mortali, aut placere sibi significet, aut secundum illam consilium cuiquam det.* Et hoc præceptum Claudii Aquavivæ V. Generalis non modò approbavit Vincentius Caraffa VII. Generalis ejusdem Societatis (uti & Congregatio Generalis IX. *decreto* 24.) sed etiam extendit ad delectationem non quæsitam, sed naturaliter obortam & voluntariè admissam cum consensu voluntatis.

Oppones 1. In delectatione levi potest abesse periculum pollutionis proximum & consensûs in copulam, nec indè vehementer turbatur ratio: ergo non est, cur dicatur esse peccatum grave. 2. Ultra 20 Doctores apud Mendo docent, in materia luxuriæ dari parvitatem materiæ. Et P. Sporer, insignis Moralista, *in tyr. Sacram. p. 4. n. 340.* allegans alios docet, distillationem sine delectatione non esse mortale: ergo ex auctoritate probabile est, dari parvitatem materiæ. 3. Goswinus Nickel X. Generalis Soc. JESU per Revisores Romanos respondit, posse absolvi à Patribus Societatis virum doctum sibi confessum, & non recedentem ab opinione sua, quam judicat esse probabilem, quòd in hac re detur parvitas materiæ: ergo. R. ad 1. Licèt dictum periculum in casu particulari forsan abesset, non tamen propterea lex in periculo generali, quod semper datur, fundata cessat. Deinde in omni delectatione Ve- 37

nerea datur gravis difficultas, ut vincatur, vel ut ea non adducat aliam graviorem. Ad 2. Aliqui ex illis DD. in re Venerea admittunt quidem leve peccatum, at non ex levitate materiæ vel oblectationis, sed ex imperfectione actûs, h.e. quia non adest plena cognitio vel advertentia ad malitiam, vel non plenus consensus, vel non satis deliberatus: quod & nos admittimus. Qui aliter sentiunt, ob adductas pro assertione rationes non sunt audiendi, nec solus numerus facit sententiam absolutè probabilem. La Croix *l. 5. n. 101.* P. Sporer cum allegatis à se intelligi debet de casu, quo quis præcisè patitur & permittit talem motum, & sic neque leve peccatum erit. P. Sanch. qui *l. 9. d. 46. n. 9. de Matrim.* aliquando docuerat oppositum, revocavit iterum *lib. 5. in Decal. c. 6. n. 12.* Ad 3. Per illud responsum neutiquam fuit approbata probabilitas oppositæ sententiæ, sed solummodo Confessariis permissum, ut Pœnitenti aliàs rite dispositò dent absolutionem, quod non est consilium dare juxta oppositam opinionem, sed in ea, cujus qualiscunque probabilitas, à Pœnitente existimata, nondum clarè elisa est auctoritate Ecclesiæ, præcisè relinquere.

38 Dico 5. Cogitatio merè speculativa de re Venerea de se peccatum non est, secluso nempe consensu in aliquam delectationem vel spiritualem vel carnalem de illa, quia non placet res cogitata, sed cogitatio, seu notitia veritatis, quam quis speculando assequitur. Karchne *n. 114.* cum S. Th. Sanch. Cardenas. 2. Cogitatio autem practica, sed tepida, imò & mediocris, de se est peccatum veniale, nisi nempe sit periculum vehementis commotionis spirituum & consensûs, unde fieret grave: si verò contra voluntatem esset illa commotio levis, tolleretur omne peccatum. Ratio, quia de se non est causa notabiliter influens in commotionem carnis gravem. Cardenas *disp. 42. n. 127. 138. &c.* Karchne *n. 83.* Si tamen aliquis illam quæreret, vel in eam consentiret, peccaret mortaliter juxta La Croix *l. 3. p. 1. n. 897.* Aliud siquidem est delectatio Venerea, etiam parva, deliberatè quæsita vel admissa, & directè volita, quæ semper est peccatum grave: aliud sine ratione gravi voluntariè ponere causam per se leviter, & non vehementer, influentem in delectationem Veneream, seu commotionem spirituum non vehementem, utì est cogitatio Venerea practica, tepida tantùm, aut etiam mediocris. Unde ex data doctrina non sequitur, dari parvitatem materiæ in delectatione Venerea; cùm longè aliud sit delectatio, quàm causa delectationis seu influxus in illam: & aliud, quòd detur parvitas in delectatione quæsita, vel voluntariè acceptata, & aliud, quòd detur parvitas in causa delectationis non quæsitæ, non acceptatæ, utì ponens cogitationem practicam tepidam, & non vehementem, non quærit, nec acceptat, utì suppono, delectationem. Cardenas *d. 45. n. 70. & 190.* Vel (ut loquitur Karchne *n. 721. v. dixi*) non datur parvitas materiæ in delectatione Venerea *directè* voluntaria, bene tamen in voluntaria *indirectè*, dum quis vult causam de se tantùm leviter influentem & graviter non prohibitam, vel eam non aufert, seclusò tamen semper consensu, vel periculò proximò consensûs in delectationem: hoc enim conforme ait fragilitati humanæ cum Vasq. *1. 2. d. 108.* Denique 3. Cogitatio Venerea practica vehemens per se est peccatum mortale. Card. *d. 42. n. 118. & 131.* cum communi; quia ex natura sua & per se graviter provocat ad Venerem, determinat ultimò, disponit ac perducit etiam invitum ad pollutionem, adeóque hujus est causa per se. Si tamen necessitas valde urgens exposceret talem cogitationem, & periculum consensûs abesset in delectationem, per accidens posset haberi sine peccato; sicut excusari potest aspectus turpis partium inhonestarum fœminæ, ex causa necessitatis, in Medico vel Chirurgo Medicinam applicante, licet talis aspectus aliàs & per se sit peccatum mortale, quia per se graviter provocat ad Venerem. Ex quibus infertur, siquis ex justa causa vult præcisè speculativè cogitare de rebus Venereis, v. g. ex causa studii Casuistici, & invito occurrit cogitatio practica, eum non peccare, modò absit periculum consensûs in commotionem vel delectationem; habet enim se merè passivè relatè ad commotionem: tunc autem invitus patitur talem cogitationem provocantem, quando mallet illam abesse, & tantùm adesse speculativam, quam ex justa causa ponit vel continuat. Karchne *n. 115. in fine.* Dein nec illum peccare graviter, qui vacat cogitationi speculativæ cum periculo prævisо incidendi in practicam, etiam graviter provocativam, at sine periculo consentiendi in illam. La Croix *lo. cit.* cum Cardenas.

39 Dico 6. Aspectus rerum de se non inhonestarum, ex quo nulla oritur commotio carnalis, vel licèt præter intentionem oriatur turpis motus, at sine periculo consensûs, culpâ vacat. 2. venialis tamen erit, si tales aspectus per se possunt, vel solent in aspiciente leves motus excitare, & fiunt absque animo Venereo, & absque justa causa, sed ex curiositate tantùm, vel levitate, modò iterum periculum consensûs absit in delectationem Veneream indè subortam: utì v. g. est aspectus commixtionis animalium, fœminarum in partibus non inhonestis, propriì corporis &c. 3. gravis autem est culpa, si objectum sit valde turpe, per se graviter ad libidinem provocans quoslibet, v. g. partes inhonestæ alieni corporis, præsertim alterius sexûs, licèt delectatio non intendatur directè: vel licet objectum de se non sit ita turpe, intendatur tamen delectatio Venerea, ut si ex tali intentione aspiciatur facies puellæ: vel siquis ex aspectu rei minùs honestæ prævideat periculum proximum consensûs in aliquam delectationem Veneream. Sporer & alii communiter. Ubi tamen justa, gravis, & sufficiens causa vel utilitatis vel necessitatis co-

hone-

honestaret talem aspectum, etiam de se graviter provocantem ad commotionem carnalem, & abesset periculum consensûs, culpâ vacaret vel omnino, vel saltem mortali, si fortè causa non esset plenè sufficiens, vel aliqua accederet negligentia in cohibendo consensu.

Antequam in Assertionibus pergam, sollicitè obtestor Lectores, specialiter Juvenes, in hac re periculosiores, quorum præcipuè commodis & eruditioni laboro, ac salutem unicè anhélo, ut ea, quæ *sequentibus numeris* dicam (& quæ jam in præcedentibus dixi) non perfunctoriè aut animô minùs rectô perlegant, sed mente ad DEum erecta, veritatis syncerô studiô, ac secluſa curiositate vitiosa, ad suam ac aliorum conscientiam meliùs dirigendam ritè conentur intelligere, & adhuc cautiores sint in praxi circa lubricam hanc materiam; quamvis enim illa existimem vera, vel saltem verè & speculativè probabilia esse, practicè tamen facilè contingere potest, præsertim apud eos, qui in delectationes vel actus Venereos sunt magis proclives, laxioris conscientiæ, vel facilius aut sæpius labuntur, ut hac salubri aliàs doctrina abutantur, & sub prætextu limitationum, ex quibus à peccato mortali vel veniali excuso, se ipsos decipiant, sibi incautè persuadendo, se à peccato gravi immunes esse etiam tunc, quando re ipsa vel quærunt, vel voluntariè, ut apud hujusmodi pronum est, admittunt delectationem verè Veneream. Miseri sanè & prorsus perversi, si medicinam, quam contra hanc animæ pestem parare studeo, in venenum sibi convertant, & laborem meum, quem totis viribus in ipsorum salutem impendo, in suam ipsorum perniciem.

40 Dico 7. Verba turpia, lectio obscœnorum, spectatio comœdiarum turpium, cantiones inhonestæ, gestus, litteræ vel dona amatoria, si fiant tantùm ex levitate, curiositate, ostentatione ingenii, vano solatio &c. & absque scandalo gravi, sunt tantùm levia: uti &, siquis ad turpiloquium rideat sine delectatione Venerea, nisi esset talis persona, quæ risu authoritatem daret, aut approbaret. 2. mortalia verò peccata, si fiant animô impurô, & cum delectatione turpi directè intenta, vel deliberatè admissa: aut cum gravi scandalo sive periculo ruinæ spiritualis seu propriæ seu aliorum. Busenbaum, Filliuc. Sanch. *de Matrim. l. 9. d. 46. n. 31. seqq.*

41 Dico 8. Choreæ secundùm se non sunt malæ, nec actus libidinis, sed lætitiæ. 2. facilè tamen fiunt malæ, vel venialiter propter vanitatem, petulantiam, amorosa verba aut gestus &c. vel mortaliter, si fiant ex malo fine, & intentione se ipsum vel alios concitandi ad libidinem aut Venereum delectationem, cum tactibus impuris, osculis libidinosis, gestibus graviter scandalosis &c. Et de hujusmodi choreis turpibus & lascivis, & chorearum abusu, uti sæpius contingere nimis est certum, intelligendi sunt SS. PP. graviter detonantes contra illas. Filliuc. Cajetan. La Croix *l. 3. p. 1. n. 887.*

Dico 9. Oscula non obscœna, uti & amplexus, si fiant officii causâ, vel ex more patrio, vel amoris honesti, aut benevolentiæ augendæ ergo, non sunt peccata, licet per accidens suboriatur commotio & delectatio Venerea, modò absit consensus in illam. 2. Si autem fiant ex vanitate, levitate, petulantia, joco, vel etiam sensualitate, prout hæc dicit sensualem ac naturalem affectum, non delectationem Venereum, sunt peccata venialia; licèt, sed citra consensum, & intentionem, sequatur commotio Venerea & delectatio. Idem videtur esse in osculo teneræ ætatis affectuoso ex amore hujus ætatis, vel ex sensibili delectatione propter mollitiem teneræ carnis. Sanch. Sporer. Less. Filliuc. Sanch. Dian. Busenbaum. 3. Oscula tamen directè intenta ad delectationem Venereum percipiendam, licèt nihil aliud intentatur, & absit periculum consensûs in pollutionem &c. sunt peccata mortalia, uti constat ex decisione Alexandri VII. hanc propositionem ordine 40am. damnantis: *est probabilis opinio, quæ dicit: tantùm esse veniale, osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusô periculô consensûs ulterioris & pollutionis.* Ubi per tò *sensibilis* intelligitur *Venerea*, uti notat Viva ac alii plerique omnes. Idem tenendum de osculis, quæ figuntur cum ardore vel mora, saltem ordinarie, propter morale periculum consensûs in delectationem Venereum, ad quam per se tendunt ex natura sua: uti & fixa in parte valde impudica, propter gravem indecentiam. Valde quoque periculosum, & ideo quibusdam grave videtur esse peccatum, si per osculum intendatur delectatio mere sensibilis; quia practicè loquendo videtur ipsis moraliter impossibile, ut cum tali delectatione sensibili deliberatè quæsita non adsit periculum proximum delectationis Venereæ. La Croix *l. 3. p. 1. n. 894.* cum aliis contra alios, excipit tamen eum, penes quem post deliberatè quæsitam vel admissam delectationem sensibilem per se loquendo non est periculum proximum delectationis Venereæ, aut si hæc per accidens oriatur, consensûs in illam. Siquis verò directè nec Venereum nec sensibilem delectationem intendat, motus tamen Venereos ex osculo secuturos prævideat, absque periculo tamen consensûs, probabiliter (quamquam oppositum sit longè tutius) non est peccatum mortale, sed tantùm veniale. La Croix *n. 893.* cum Vasq. Less. Gobat, Sporer &c. quia sunt tantùm indirectè voliti in causa, non mortaliter peccaminosa. 42

Dico 10. Tactus proprii vel alieni corporis in parte honesta, si fiant ex causa rationabili, vel naturali fine non malo, vel juxta morem patriæ &c. carent culpâ, licèt oriantur præter intentionem, & sine periculo consensûs, commotiones turpes. 2. si fiant ex joco, levitate, petulantia &c. etiam in parte nuda alieni corporis, ejusdem tamen sexûs, 43

vel ſuper veſtes alterius ſexûs, vel in catellis, & ſimilibus animalculis, etiam ad genitalia, peccatum eſt, at ordinariè veniale tantùm, ſi abſit periculum proximum conſenſûs in delectationem veneream, quæ indè fors oritur. 3. ſi verò per tactum intendatur delectatio Venerea, vel etiam omnino pollutio, vel deliberatè admittatur, clarè peccatum mortale eſt: uti &, ſi ſit tactus partium inhoneſtarum alieni corporis, maximè alterius ſexûs; cùm talis ex natura ſua graviter concitet motus Venereos, etiam apud invitum: niſi nempe graviſſima cauſa exigat talem tactum, & abſit periculum conſenſûs in delectationem Veneream. Iterum La Croix *n. 887.* cum Buſenbaum, item *n. 903. ſeqq.*

44 Dico 11. Ponere actiones de ſe bonas, vel ſaltem indifferentes, quas tamen ſuadet aliqua cauſa neceſſitatis, utilitatis, vel etiam aliqua naturæ convenientia, quamvis prævideatur indè oritura commotio & delectatio carnalis, vel etiam ipſa pollutio, ſi abſit periculum conſenſûs in illam, nullum eſt peccatum, uti ſtudere, vel audire Confeſſiones de rebus obſcœnis, ex cauſa neceſſitatis vel utilitatis cautè loqui cum fœmina, equitare, cubare ſupinum, tangere proprium corpus ex juſta cauſa, edere ac bibere ſervatâ temperantiâ &c. 2. Ponere actiones de ſe illicitas, etiam mortaliter, non tamen pertinentes ad genus luxuriæ, licèt indè oriatur vel prævideatur commotio carnalis, vel etiam pollutio, ſi tamen abſit periculum conſenſûs in eam, non eſt peccatum mortale in genere luxuriæ, ſed tantùm veniale, uti ſumere nimium potum, etiam ad crapulam usque vel ebrietatem, edere carnes diebus vetitis cum prævisione pollutionis &c. 3. idque verum eſt etiam de actionibus, quæ pertinent ad genus luxuriæ, ſed in ſe tantùm leviter influxivæ ſunt in commotionem carnalem vel pollutionem, & ideo in ſe tantùm leviter peccaminoſæ, uti cogitatio practica de objecto Venereo tepida aut levis, ſine ſufficienti cauſa, ex qua honeſtetur, ſuſcepta, nonnulli aſpectus mulierum, nonnulli tactus, v. g. manuum fœminæ, nonnullæ lectiones librorum obſcœnorum, nonnullæ comœdiæ, nonnulla verba amatoria, dum ad conciliandum vanum amorem altera perſona vocatur *cor, anima mea* &c. & univerſim illi aſpectus, oſcula, tactus &c. quos in ſuperioribus aſſertionibus diximus non excedere peccatum veniale. 4. Mortale autem eſt, in genere luxuriæ, ponere actiones vel cogitationes practicas, vehementer provocativas Veneris, & graviter influxivas in commotionem & delectationem Venereamaut pollutionem, ad quam per ſe & ex natura ſua tendunt, licèt abeſſet periculum conſenſûs in delectationem vel pollutionem, quæ prævidetur ſecutura (niſi daretur urgens neceſſitas eas exercendi, & ſimul abeſſet periculum conſenſûs) ſic graviter peccaminoſa eſt cogitatio practica vehemens, oſculum laſcivum, moroſum, & cum ardore, aſpectus vel tactus valde impudicus & nudus &c. non obiter factus, v. g. pudendorum alterius ſexûs.

Ratio *primæ* partis, quam teſte Sanch. *d. 45. n. 4.* tenent omnes (qui tamen *n. 21.* monet, fieri peccatum veniale, ſi ſine omni juſta cauſa exerceantur) ratio, inquam, eſt, quòd nullus effectus, prævisus ſolùm in cauſa, ſit voluntarius ac imputabilis ad culpam, niſi quando cauſa poteſt & debet vitari: ſed actio de ſe bona, vel ſaltem indifferens, poſita ex cauſa aliqua rationabili, licèt indè prævideatur oritura delectatio Venerea, aut pollutio, non debet vitari; cùm alias teneremur innumeras actiones neceſſarias, vel utiles, vel naturæ convenientes vitare, non ſine gravi incommodo, & plurimis ſcrupulis. Adde, quòd jus ſuum proſequenti per media de ſe licita non poſſit imputari effectus, nec directè nec indirectè intentus, ſed per accidens ſecutus, uti in præſenti ſequitur pollutio, vel delectatio Venerea. Karchne *n. 79. 88.* Longe igitur aliud eſt directè intendere aut admittere delectationem vel pollutionem, quod ſemper eſt grave, & aliud velle vel potius permittere in cauſa intenta aut volita. Ratio *ſecundæ* & *tertiæ*, quam tradit utramque Dominic. Viva *lo. cit. n. 16.* Karchne *n. 91.* cum Suar. Vaſq. Sanch. Salas, Leſſio &c. eſt, quia de ſe non ordinantur, vel graviter influunt ad delectationem Venereamvel pollutionem: neque verè & mortaliter ſunt cauſa illius; cùm ſequatur per accidens; nam cauſa per accidens non eſt moralis, imputabilis, & vera cauſa pollutionis &c. ſed illi, qui exercet actionem, etiam mortaliter illicitam, non tamen pertinentem ad genus luxuriæ, vel pertinentem quidem, at leviter tantùm de ſe illicitam, per accidens oritur delectatio Venerea aut pollutio, ac præter intentionem, &, uti ſupponitur, ſine conſenſu, ejusque periculo: ergo delectatio aut pollutio ei non eſt imputabilis ad culpam mortalem. Neque pollutio in tali caſu, fortè ſecuta, conſideratur & eſt effectus virtutis generativæ, ſed virtutis naturalis expultivæ. Sanch. *n. 15.* cujusmodi pollutio, non liberè intenta, nec procedens ex appetitu, aut cauſis per ſe & notabiliter ad illius fluxum concurrentibus, ſed præcipuè proveniens à virtute expulſiva, infert damnum notabile proli generandæ, ſed ſæpe eſt in ejus commodum, &, cùm ſemen vi naturæ expellatur, talis expulſio ex ſuo genere non eſt contra ordinem naturæ. Sanch. *n. 14.* Ratio *quarta*, quam nemo negat, vel negare poteſt propter propoſitionem ab Alex. VII. damnatam, & *n. 42.* recitatam, aliáque decreta Pauli V. & Clem. VIII. &c. eſt clara, quia polluto eſt peccatum grave ex Jure Divino. *1. Cor. 6.* ubi *Molles*, ſeu pollutionem procurantes, excluduntur à regno DEI, & ex Jure Naturali, quia repugnat generationi, dum fruſtratur ſemen, cujus adminiſtrationem Natura conceſſit præcisè conjugibus in ordine ad propagandum genus humanum, adeóque eſt intrinſecè mala: ergo etiam grave peccatum

eſt

est contra Jus Naturale ac Divinum procurare vel ponere causam per se efficacem & connexam cum pollutione: atqui omnes actus in genere luxuriæ mortaliter peccaminosi, & in pollutionem notabiliter influentes, sunt causa per se efficax pollutionis: ergo. Etsi enim ejusmodi motus vehemens spirituum genitalium, ex quo sequitur pollutio, vel qui ad hanc per se vehementer provocat, sit tantùm volitus indirectè, nempe in sua causa, v. g. osculo lascivo, aspectu vel tactu valde impudico &c. tamen imputatur ad gravem culpam; cùm talis causa sit per se efficax & vera delectationis Venereæ & pollutionis, atque graviter illicitum sit indirectè velle aliquid in sua causa, quando graviter illicitum est directè ipsam causam velle, intendere, vel procurare. Quod dicitur de pollutione, directè vel indirectè intenta, cum communi intelligendum quoque est de *Distillatione*, quæ fit cum sensu carnis & commotione spirituum generationi servientium, ita ut ei cooperari vel causam præbere sit vel non sit peccatum, grave vel leve, sicut de pollutione dictum. Sanch. Laym. alii.

45 Oppones 1. Non licet ponere actionem de se licitam, si ex ea prævideatur secuturum homicidium, fornicatio &c. ergo neque, si ex ea prævideatur secutura pollutio: à fortiori, si actio secundùm se sit illicita. 2. si aliquis voluntariè delectetur morosè, at non diu, in re Venerea, vel desideret copulam carnalem in mente &c. peccat mortaliter in genere luxuriæ, & tamen pollutio indè præter intentionem secuta ipsi non imputatur, ut docet Sanch. *n. 22.* ergo ponere actionem mortaliter peccaminosam in genere luxuriæ non semper est indirectè velle pollutionem. 3. Si pollutio est intrinsecè mala, tunc datur obligatio eam naturaliter vel in somno cœptam reprimendi omni possibili modo: sed hoc est falsum. R. ad 1. *N. Cons.* disparitas est, quòd homicidium causet damnum irreparabile, & fornicationis prohibitio strictiùs obliget, quàm pollutionis, licèt hæc pejor sit illâ; nam fornicatio non sequitur nisi ex causis naturâ suâ ordinatis ad coitum mediante appetitu sensivo, pollutio verò sequi potest & prævideri secutura ex causis licitis, vel leviter tantùm illicitis. Deinde homicidium, fornicatio &c. retinent semper suam turpitudinem objectivam, non verò pollutio, per accidens secuta, & prout est actus virtutis expulsivæ, sicut expellitur sudor. Vid. Sanch. *l. 9. d. 45. n. 14.* Karchne *n. 43. 44. 78. 95.* Ad 2. *C. Ant. dist. Cons.* si illa actio vel cogitatio in his circumstantiis non efficaciter commovere apta sit spiritus genitales vehementer & in summo. *C. Cons.* secus. *N. Cons.* Ad 3. *N. sequelam:* est quidem obligatio non promovendi, vel positivè cooperandi ad cœptum aliunde naturalem seminis fluxum, non tamen est obligatio impediendi, vel cohibendi, ne natura in somno v. g. vel aliunde irritata se exoneret; hoc enim non est procurare, sed pati fluxum humoris, ne corruptus noceat. Sed, ut evitetur consensus, taliter patiens DEUM oret, & ab omni tactu abstineat. Sanch. *n. 16.*

Quæres, an hucusque dicta de delectatione Venerea, osculis, tactibus &c. etiam procedant in Sponsis & Conjugibus, an verò his liceat plùs, quàm personis solutis? R. 1. Sponsis de futuro liciti sunt actus pudici in signum benevolentiæ exerciti, seclusô tamen pollutionis periculô, uti amplexus, oscula, tactus non impudici, locutiones amatoriæ, aspectus affabiles; quia Sponsalia dant jus ad talia signa amoris & benevolentiæ mutua ad conciliandum futurum Matrimonium: quamvis ego & ista non facilè suaderem. Si verò per ejusmodi actus pudicos intenderent delectationem sensitivam vel carnalem, verius est, eos peccare mortaliter (sicut ipsis sub mortali prohibitum est delectari de copula futura in Matrimonio, uti communiter docent etiam ipse Sanch.) Perez, Gobat, Viva *n. 23.* Karchne *n. 109.* & alii contra Sanch. *d. 46. n. 47. 48.* cum aliis plurimis. Ratio, quia quibus est illicita copula carnalis, & pollutio, etiam prohibita esse videtur delectatio carnalis, proximè disponens ad copulam, aut pollutionem, cùm sit inchoatio illius: sed sponsis æquè est prohibita copula, & pollutio, quàm solutis: ergo. Est hæc doctrina longè conformior doctrinæ de osculis ob delectationem carnalem habitis erutæ ex propositione damnata ab Alex. VII. de quâ suprà. Actus autem impudici, & vehementer de se provocantes ad Venerem etiam seclusô periculô pollutionis non minùs in sponsis, quàm in aliis solutis, sunt peccata gravia. 46

R. 2. Conjugibus licent delectatio Venerea, aspectus, turpiloquia, oscula, tactus etiam impudici &c. si referantur ad copulam; cùm enim hæc ipsis sit licita, etiam ea, quæ ad hanc ordinantur, licita erunt. Si tamen ordinentur ad majorem duntaxat voluptatem, seclusô tamen pollutionis periculô, est peccatum veniale, quia à mortali excusat status conjugalis; veniale autem infert inordinatio finis. Propter eandem causam tactus, oscula, cogitationes Venereæ practicæ, aspectus &c. ob solam delectationem absque animo perveniendi ad copulam ipsam assumpti à conjugibus, non sunt mortale, modò absit periculum pollutionis, & non excedant limites naturalis honestatis, & actus non sint Sodomiæ imperfectæ proximi, in qua re habent, ut attendant conjuges; quia sic possunt graviter peccare, & utinam non frequenter ita peccarent! Pariter probabiliùs non peccant graviter se ipsos libidinosè tangendo ad captandam voluptatem, aut morosè se oblectando in cogitatione copulæ habitæ vel habendæ, modò absit periculum pollutionis. Si autem prædicta exerceantur cum periculo pollutionis propinquo, etiam in conjugibus sunt peccata mortalia, cùm ipsis pollutio Jure Naturali æquè prohibita sit, quàm aliis, consequenter & ea, quæ ad 47

illam

illam per se tendunt. Sanch. Gobat, Diana, Karchne *à. n. 103* & alii. Si tamen conjuges exercerent tales actus impudicos in loco, ubi pollutio, aliàs indè secutura, impediri facilè potest per copulam, excusarentur; quia sic referentur ad suum finem à Natura & Deo ipsis permissum. Oppones. Diximus superiùs, quòd delectatio Venerea, & commotio spirituum sit inchoatio profusionis seminis: ergo neque conjugibus licita est absque mortali in iis circumstantiis, ubi copulam habere nequeunt. R. *N. Cons.* quamvis sit inchoatio profusionis prædictæ, tamen non infert periculum proximum semper illius actualiter secuturæ, quia multis adhuc modis subditur potestati voluntatis. La Croix *l. 5. n. 97.* Neque hæc delectatio per se est in specie pollutionis, sed potiùs in specie fornicationis, utì probat Carden. *d. 44. c. 2. à. n. 18* sed in conjugibus se oblectantibus circa copulam inter se, vel non repræsentando sibi alias personas, habitam, neque ad speciem fornicationis pertinet, cùm in his ordinetur per se ad generationem, quæ ipsis licita est; adeóque in ipsis, si desit periculum pollutionis, non erit peccatum mortale. Venialiter autem peccant, si se oblectent præcisè ex causa voluptatis, sicut ipsa copula, præcisè ex causa voluptatis habita, est ipsis venialiter peccaminosa.

TITULUS XVII.

De Raptoribus, Incendiariis, & Violatoribus Ecclesiarum.

SUMMARIUM.

1. *Connexio Titulorum subsequentium cum præcedentibus.*
2. *Quid sit Rapina, Vis publica & privata, Pradatio, Grassatio, Robboria.*
3. *Quid & quotuplex Incendium.*
4. *Et Violatio Ecclesiarum.*
5. *Pœna Rapinæ de Jure Civili, sive agatur civiliter sive criminaliter. Item Robboriæ & Pradationis.*
6. *Pœna Rapinæ de Jure Canonico.*
7. *Pœna Incendii dolò vel culpâ causati.*
8. *An in dubio dolò vel culpâ causatum præsumatur.*
9. *Pœna Violationis Ecclesiarum.*

1. Sicut in *Titulis* præcedentibus explicata sunt delicta, proximi vitam, membra, aut pudicitiam lædentia, adeóque quinto & sexto Decalogi præcepto adversantia, ita in sequentibus veniunt explananda delicta, proximum in bonis & rebus Fortunæ lædentia, adeóque septimo & octavo Decalogi præcepto contraria, nimirum Rapina, Incendium, Violatio & spoliatio Ecclesiarum, Furtum, Usura, Crimen Falsi, Sortilegium, & Collusio. *Raptor* autem, de quo in præsenti, alius est *Personarum*, maximè mulierum, libidinis vel Matrimonii causâ, & alius *Rerum* (Germanicè Rauber) delictum prioris vocatur *Raptus*, de quo egimus *Tit. 1. l. IV. à. n. 117.* posterioris *Rapina*, de qua hic. Unde

Sciendum 1. *Rapinam*, strictè acceptam, 2. esse *ablationem injustam rei alienæ mobilis vi factam.* In re communis cum Hostiens. Covar. Molin. *tr. 2. de J. & J. d. 683. n. 2. ex l. 2. seqq. ff. de vi bonor. raptor.* Duplicem infert proximo injuriam, unam in rebus, quas raptor contrectat, utì fur, seu auferendo transfert de loco in locum, *l. 52. §. 19. ff. de Furt.* alteram personæ, cui vim infert, & hinc gravius quoque peccatum est, quàm furtum. Dixi 1. *strictè acceptam*; nam latè dicit omnem acceptionem injustam, & sic furtum quoque comprehendit, latissimè autem etiam retentionem rei alienæ. 2. *ablationem*; quare raptor non est, qui rem alienam destruit tantùm vel deteriorat, licèt dolò & malitiâ id faciat. 3. *injustam*; hinc rapinam non committit, qui in extrema necessitate, vel in bello justo, res alienas etiam per vim aufert. 4. *rei*, cujuscunque, etiam minimæ *pr. Inst. de vi bonor. rapt.* cùm delicta non ex parvitate materiæ, sed ex pravitate affectûs & scelerato animo fiant; licèt ob parvitatem materiæ sæpius minuantur. 5. *alienæ*; qui enim rem suam, vel quam putat esse suam, per vim aufert, non punitur ut raptor, quamvis incurrat pœnam *l. 7. C. Unde vi*, vi cujus auferens propria auctoritate rem suam, vel sibi debitam, ab alio possessam (non meè detentam) perdit dominium, vel jus, quod in ea habuit. 6. *mobilis*; nam res immobiles, utì domus, fundi, non propriè rapiuntur vel auferuntur, sed violenter invadi dicuntur, Unde rapina ab *Invasione* differt, & contra invasorem non *actio bonorum raptorum*, sed *interdictum Unde vi* competit. 7. *vi factam*, sive dein sit vis armata, sive sine armis. *l. 2. §. 1. ff. eod.* sive in actu secundo inferas, sive tantùm paratus sis inferre, si tibi resisteretur. *l. 1. §. 3. ff. eod.* sive inferas per te ipsum, sive per alios tibi auxilium ferentes. per *l. cit. §. 3. l. 11. ff. ad Leg. Aquil.* Et per hanc vim differt Rapina à Furto, item à *Concussione*, quæ est delictum, quo alicui terror sine vi parata incutitur pecuniæ vel alterius rei extorquendæ causâ. *l. 1. l. 2. ff. de Concussion.* quia hoc casu potiùs intervenit vis *compulsiva* per metum, quàm *ablativa*. Cæterùm *vis*, quæ fit cum armis, dicitur *publica*, utì & illa, quæ fit à persona publica, vel in personam publicam, licèt sine armis, aut quæ violat Jus publicum: quæ verò fit sine armis, & à persona privata in privatam, sine juris publici violatione, appellatur *privata*. Perez apud Haun. *tom. 6 tr. 2. n. 608.* quamvis iste ibidem addat ex Carpzov, hodie vim publicam à privata ex armis solùm discerni. Utraque sufficit, & alterutra requiritur ad Rapinam. Interim *Vis publica*, licèt multùm accedat ad *Violationem Pacis publicæ*, ab hac tamen discrepat per hoc, quod in hac vis major & hostilis, cui vix resisti possit, coadunatis pluribus hominibus, præcedente tractatu & communi consilio adhibeatur. Gall. *de Pace publ.*

publ. c. 4. n. 1. seqq. P. Krimer *lib. V. n. 971.* Rursus, quamquam Rapina sit valde vicina *Prædationi* seu *Viarum Grassationi* (Practici vocant *Robboriam*, Hungari verò die grûne Arbeit/ als die zwischen Stauden und Hecken verricht wird contra iter agentes. Frölich *in Nemesi p. 2. l. 4. tit. 15. n. 1.*) propter violentiam, cum ea tamen non coincidit; quia Prædatio superaddit violentæ ablationi rerum insidiosam aggressionem in viis, sive publicis sive occultis, at citra occisionem; nam si accederet occisio, esset *latrocinium* proprie dictum, si verò non accedat, & fiat in viis, est deprædatio, grassatio, robboria, vel latrocinium, (ut in Jure etiam nuncupatur) impropriè tantùm. Si hæc prædatio fiat palàm ac in viis publicis cum insidiis, eam exercentes dicuntur grassatores vel prædones *famosi*, vel *publici*, si verò furtim & in viis occultis, puta in sylvis, locis desertis &c. simpliciter prædones vel grassatores vel Robbatores. Gillhausen *in notis ad Carolinam Constit. Pœn. art. 126.* cum Damhoud. *in Praxi Crim. c. 102. n. 1.* Denique definitioni Rapinæ aliqui cum Molina & aliis addunt verba, *lucri faciendi causâ*; sed non videntur necessaria; quia per tò *ablatio* jam satis excluditur à ratione rapinæ, siquis tantum destruat, vel deterioret rem alterius cum illius damno.

3 Sc. 2. *Incendium*, à quo nomen habent *Incendiarii*, de quibus *Rubrica*, esse damnum igne datum. Est triplex. 1. *Dolosum*, quando quis dolò malò, seu deditâ operâ, animoq; deliberatò, ædificia, domos, prædia, pagos, oppida, Ecclesias, aut bona aliena alia, v. g. fœnum, segetes, fructus, per se vel per alios, appositò igne incendit ac devastat, vel ad hoc scienter consilium auxiliúmve præstat. *can. 8. caus. 12. q. 2. c. 6. de injur.* Et hujusmodi propriè vocantur *Incendiarii*, Brenner/ vel, Mord-Brenner/ nisi illos, qui mercede sunt ad id conducti, vel necandi aut spoliandi causâ faciunt, vocare velis Mord-Brenner/ reliquos autem, qui ex odio, vindictæ, nocendi libidine, & sine intentione lucri, spolii, aut necis attentant, simpliciter Brenner. 2. *Culposum*, quod quidem non fit deditâ operâ, & studiosè ac scienter, non tamen absq; culpa negligentiæ, vel imprudentiæ: quæ culpa potest esse vel lata, vel levis, vel levissima. 3. *Casuale*, quod absque dolo & culpa évenit, meróque casu, ita ut prævideri, vel averti non potuerit.

4 Sc. 3. *Violationem Ecclesiarum* hìc non denotare actum, quo Ecclesia dicitur pollui, ut reconciliatione indigeat, sed violentam effractionem & spoliationem earundem. Unde Violator Ecclesiæ hoc loco dicitur, qui Ecclesiam aut alium locum Sacrum, vel Religiosum, violenter effringit & spoliat. Consequenter differt à fure Sacrilego, qui sine effractione aut violentia locis sacris illata furripit res sacras (vel etiam non sacras spectato Jure Canonico. *can. 21. §. Sacrilegium caus. 17. q. 4.* & *Constit. Carolin. art. 171.*) de loco sacro. Nec violator Ecclesiæ est, qui tantùm violenter illam effringit, exinde tamen nihil aufert: requiritur proin effractio & spoliatio copulativè.

Dico 1. Pœna Rapinæ, si agatur criminaliter, de Jure Civili hodierno scripto est ultimum supplicium, gladii vel aliud pro consuetudine loci, sine discrimine personarum, & quantitatis rerum vi ablatarum, vel an semel aut sæpius contigerit. 2. si verò agatur civiliter tantùm contra raptorem, & intra annum, est quadruplum, cui simplum inest. Pars prior habetur in *Constit. Pœnali* Caroli V. *art. 126.* ubi loquitur indistinctè. Posterior *in pr. Inst. de vi bon. rapt. l. 1. l. 2. §. 13. ff. eod.* Dixi 1. *Rapinæ*, nimirum simplicis sine cæde, vulnere, cruciatu, nec factæ in viis, & stratis publicis; hæc enim gravius punienda est, nimirum supplicio Rotæ, si accessit cædes, vel capitis truncati in rotam impositio &c. per *art. 130. 137. eit. Constit. Carol.* & *d. art. 126.* Dixi 2. *si agatur criminaliter*, sive prævia accusatione vel denuntiatione, sive per processum Inquisitionis, ad vindictam publicam & satisfactionem Reipublicæ læsæ, 3. *de Jure Civili*; quid sit de Jure Canonico, postea dicam. 4. *hodierno*; nam olim, si rapina vel prædatio facta est vi publica & cum armis, vel tumultu, vindicabatur *Lege Julia de Vi publica*, nempe deportatione aut gladio. *l. 10. l. 11. ff. ad L. Jul. de vi publ.* Si sine armis, infamia, amissione tertiæ partis bonorum, & dignitatis. §. *Item lex Jul. 8. Inst. de publ. Judic. l. 1. pr. ad L. Jul. de vi privata.* Et talis rapina olim reputabatur inter delicta privata. Cur autem Jus novum ita exasperaverit indistinctè pœnam rapinæ, ratio est securitas publica, quæ per rapinam violatur. Attendenda est consuetudo & statuta locorum, quæ pœnam mortis subinde mutant in fustigationem vel relegationem; uti hanc, non mortis, inferioris Austriæ statuta infligunt illi, qui non sæpe, sine armis, aut majori violentia rapuit. Frölich. *lo. cit. n. 3.* Idem vult Carpzov. apud eundem Frölich *n. 5.* si rapina facta est non in viis & stratis, sed in domibus, pagis, urbibus, quia, ut rationem dat Haun. *to. 6. tr. 2. n. 540.* in his locis ampliora suppetunt remedia spoliatis, quàm in publicis viis, ubi invasi sunt soli. Favet *l. 1. ff. de effractor. & expilat.* tales enim raptores sunt potiùs expilatores, quàm prædones vel grassatores. Item si vis non admodum magna, vel hostilis inferatur: vel si vim inferens nihil est consecutus, vel ablatum ad preces spoliati iterum reddidit. Dixi 5. *Si verò agatur civiliter*, nempe ad interesse spoliati, sive per *actionem furti*, sive per *actionem bonorum raptorum*, quæ specialiter conceditur præter actionem furti in *tit. Inst. de vi bon. rapt.* & est actio Prætoria (quoad quadruplum) personalis, persecutoria rei & pœnæ, datúrque contra solos raptores, non item contra hæredes, licèt ad hos aliquid ex rapina pervenerit; contra istos tamen datur condictio furtiva. *l. 2. §. penult. ff. eod.* ubi etiam, sicut in *Inst. lo. cit.* contra raptorem conceditur actio furti. 6. *Quadruplum, cui simplum inest*; per simplum intelligatur res ablata, adeóque

adeóque pœna est solummodo triplum, seu triplicatum rei ablatæ & æstimatæ pretium. 7. *intra annum*; nam elapsò post rapinam annò solùm datur persecutio rei, & actio ad simplum, non ampliùs ad pœnam. *pr. Inst. eod.* at in perpetuum seu ad 30. annos; nam actiones Prætoriæ finiuntur uno anno, Civiles 30. annis. Si verò res ablata non ampliùs exstet, peti potest æstimatio ejusdem cum refusione damni emergentis & lucri cessantis ex ablatione rei. *l. 2. §. 13. l. 4. pr. ff. eod.* Ad quam refusionem, & rei ablatæ adhuc exstantis restitutionem, vel, si non ampliùs exstet, ad æstimationem, in foro conscientiæ & ante omnem sententiam Judicis tenetur raptor, & licèt non conveniatur coram Judice. Ad pœnam tripli autem ante sententiam non tenetur in conscientia.

6 Quæres, quæ sit pœna raptoris de Jure Canonico? R. 1. est excommunicatio ferendæ sententiæ per Episcopum loci, ubi rapina committitur. *c. 1. & 3. h. t.* à qua absolvendus non est, nisi plene satisfecerit, &, si satisfacere renuat, mortuus caret sepulturâ Ecclesiasticâ. *c. 2. eod. c. 2. de furtis.* 2. excommunicatio latæ sententiæ & reservata Papæ in Bulla Cœnæ *casu 4.* siquis rapiat bona Catholicorum in mari naufragantium: uti & *casu 3.* siquis velut latrunculus maritimus vel pirata infestet mare ad ditionem Romanæ Ecclesiæ pertinens. 3. exclusio ab asylo Ecclesiæ, siquis fuit grassator viarum, vel latro publicus. *c. 6. de Immunit. Eccl. Const. Cùm aliàs.* Gregor. XIV.

7 Dico 2. Pœna incendii dolosi, seu ex proposito & deditâ operâ facti, de Jure Civili moderno est ignis, & vivicomburium. 2. culposi autem, interveniente culpa lata, vel etiam levi, aut levissima, est arbitraria. 3. locum tamen habet actio & persecutio civilis ad reparationem damnorum, & ad interesse. 4. ad quæ in conscientia non datur obligatio ante sententiam Judicis, sicut neque, quando culpa lata merè Juridica, non conjuncta cum peccato mortali coram DEO, seu sine advertentia ad Legem DEI intervenisset. Pars 1. constat ex *Constit. Carolin. art. 125.* ubi sine distinctione personarum, vel damni, gravis aut modici, inde secuti, sive quis per se, sive per mandatarium, vel alium à se conductum, dolosè excitaverit incendium, pœna ignis decernitur. Vi Consuetudinis tamen, vel Statuti (quale etiam datur in Bavaria, Malefitz-Proceß *tit. 8. art. 9.*) alicubi solent priùs strangulari, & tum corpora rogo injici, ad evitandum desperationis periculum. De Jure antiquo pro qualitate personarum & damni causati fuit pœna diversa, nempe vel deportatio, aut exilium, vel gladius, vel ignis &c. De Jure Canonico fit discrimen, & illi Laici (nam in Clericos nihil reperitur statutum, & ideo Judicis Ecclesiastici arbitrio relinquitur animadversio in hoc grande scelus) qui succenderunt Ecclesias, vel alia loca sacra aut religiosa, & his ad 30. passus contigua, excommunicantur ipso facto. *can. 107. caus. 11. q. 3. can. omnes Ecclesiæ. & can. definivit. caus. 17. q. 4. c. 19. de sent. Excom.* quæ excommunicatio post latam sententiam incursa evadit reservata. *c. 19. cit.* Qui verò ædificia profana, præter pœnitentiam trium annorum. *c. 6. de inser.* excommunicandi sunt per sententiam. *can. 31. 32. caus. 23. q. 8.* Sed nec isti nec illi, absolvendi sunt, vel in loco sacro sepeliendi, nisi priùs damna data resarciverint, vel sufficienter de resarcitione caverint. *can. 32. cit. c. 5. h. t.* Imò ad hæredes quoque, quantum patitur hæreditas, transit obligatio resarciendi. *c. 5. cit.* Pars 2. probatur negativè, quia in Jure non reperitur certa pœna Criminalis statuta in eos, qui cum culpa incendium excitant, & in delictis neque culpa lata æquiparatur dolo. *l. 7. ff. ad L. Cornel. de Sicc.* proinde præter severam increpationem poterit esse vel incarceratio, vel fustigatio, vel relegatio, vel mulcta pecuniaria, pro ratione culpæ. Pars 3. sumitur ex *t. t. Inst. ff. & C. ad L. Aquiliam. c. fin. de injuriis.* Pars 4. in manifesta ex eo, quòd obligatio in conscientia & coram DEO ad resarciendum damnum necessariò supponat peccâtum in conscientia & coram DEO, seu culpam Theologicam, qualis non est mere Juridica; quamvis, si ea lata sit, ordinarie conjungatur cum Theologica: quo casu, saltem si culpa Theologica sit gravis, datur obligatio ad resarciendum in conscientia ante sententiam. Cæterùm si incendium evenit casu fortuito sine ullius culpa, nemo obligatur indè ad quidquam, tam in foro externo quàm interno. *l. 11. ff. de Incendio. l. 9. §. 3. ff. locati.*

Quæres, quid præsumendum sit, dolus, culpa, an casus fortuitus, si nesciatur, quo authore vel origine, in ædibus v. g. exortum sit incendium? & an aliquis teneatur ad resarciendum damnum inde causatum? R. 1. dolus, sicut aliàs nunquam, ita & hic non præsumendus, sed perspicue probandus est. *l. 51. ff. pro Socio. l. 6. C. de dolo malo.* R. 2. Præsumenda tamen est culpa inhabitantium in genere, saltem levis vel levissima. *l. 3. §. 1. ff. de offic. Præs. Vig. l. 11. ff. de pœn. & commod. rei vend.* quia ferè nunquam oritur incendium sine aliqua alicujus culpa: quod autem plerumque contingit, præsumendum est in dubio. R. 3. Nullius tamen in particulari præsumenda est culpa, nisi post inquisitionem ex indiciis sufficientibus probetur; nisi enim contra aliquem in particulari pugnent gravia indicia, præsumptio foret levis & temeraria. R. 4. Quamdiu de nullo ex domesticis in particulari præsumi potest culpa, nec paterfamilias, nec ullus alius compelli potest ad reparandum damnum incendio aliis illatum adeóque in ordine ad resarciendum damnum, si nullius probetur culpa, reputari debet casus fortuitus. Gail. 2. *observ. 21. n. 4.* Harpprecht. *in §.*

in §. 14. *Inſt. de L. Aquil. n. 9.* Leuren. *h. t. q. 319.* cum Reiffenſtuel *eod. n. 37.* aliisque ex *l. 23. inf. ff. de R. J.* Diſſentiente Fachinæo *l. 1. controv. c. 87.* Weſenbec. Pirhing. *h. n. 49. v. præterea.* Ratio; quia tam grave onus imponendum non eſt, niſi certò, ſaltem præſumptivè, h. e. tali præſumptione, quæ faciat moralem certitudinem, probetur alicujus determinati culpa. *arg. c. 8. de probat.* Vid. Farinac. *Prax. Crim. 110. n. 5.* Si verò de alicujus certi ex inquilinis culpa certò, ſaltem præſumptivè, conſtet, tunc, ſi is eſt ipſe paterfamilias, iſte conveniri poteſt ab iis, qui ex incendio paſſi ſunt damnum, ut patet ex *Lege Aquilia & c. fin. citt.* vel unus ex ejus ſervis aut famulis, & eſt diſtinguendum: vel famulus deliquit in ſuo officio, ad quod â patrefamilias vel domino deſtinatus, & ejus culpâ ortum eſt incendium, nec dominus ignoravit, eum eſſe negligentem &c. & iterum loco famuli dominus ſeu paterfamilias tenetur ad damna poſt conventionem & ſententiam. Secus, ſi extra ſuum officium deliquit, vel eum dominus habuit & expertus eſt aliàs diligentem, vel ſi extraneus vel advena, in ædibus commorans, fuit cauſa culpabilis incendii. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 97. 98.* cum Maſc. Farinac. Carpz. &c.

9. Dico 3. Pœna violationis Eccleſiarum de Jure Civili Antiquo fuit varia pro qualitate perſonæ & delicti; alii enim ex his violatoribus fuerunt deportati, alii damnati ad metalla, alii objecti beſtiis, alii in furca ſuſpenſi, alii concremati vivi &c. per *l. 6. l. 9. l. 10. ad L. Jul. Peculat. l. 10. cum ſubjuncta Auth. C. de Epiſc. & Cler. In Conſtit. Carolina art. 172. 173.* qui furandi causâ effringit vel doloſis inſtrumentis aperit templum, vel Sacrarium, aut ſacriſtiam, gazophilacium, cippum vel capſam eleemoſynariam, ubi pecuniæ in pias cauſas deſtinatæ reponuntur, morte plectendus eſt. Qui verò ſacram Hierothecam (die Monſtranz) cum hoſtia conſecrata (etiam ſine effractione) aufert, ignis ſuppliciò vivus: qui autem aliud vas ſacrum, aureum vel argenteum, cum vel ſine Reliquiis, Calicem, Patenam, alio mortis genere. Denique qui alias res ſacras minoris conſiderationis, v. g. candelabrum, mappas Altaris, aut res profanas in Eccleſia depoſitas, ſine effractione, aut apertione per inſtrumenta doloſa, atque interdiu, ab Eccleſia aufert, ſicut fur profanus, pœnâ tamen non ita facilè mitigatâ, utì in furtis profanis, plecti jubetur *art.* 174. De Jure Canonico, qui cum effractione ſpoliant Eccleſias, ipſo facto ſunt excommunicati, utì colligitur ex *c. 22. de ſent. Excomm.* ibi: *excommunicatos nuntietis*, adeóque ſupponitur excommunicatio jam eſſe lata ab ipſo Jure, & tantùm jubetur denuntiandus talis violator tanquam excommunicatus. Qui verò ſine effractione ſpoliant, excommunicari poſſunt. per *c. fin. de furt c. 16. de for. compet.* Neutri autem abſolvendi, vel in loco ſacro ſepeliendi, niſi pro poſſe priùs ſatisfecerint, utì de Incendariis dictum.

TITULUS XVIII.

De Furtis.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid, & quotuplex ſit Furtum.
3. Sortitur varia nomina ratione objecti.
4. Illius ſe reos quinam faciant.
5. In extrema neceſſitate alienum accipiens non committit Furtum vel Rapinam.
6. Nec tenetur ad reſtitutionem caſu, quo factus eſt ditior.
7. 8. 9. Quænam quantitas in conſideratione Theologica conſtituat furtum Magnum, ſeu peccatum mortale.
10. Quænam in conſideratione Juridica faciat Magnum in ordine ad pœnas.
11. Multæ actiones dantur ex Furto.
12. 13. Quæ ſint pœnæ Furti pro foro Civili.
14. Res furtiva non cedit Fiſco, ſed reſtituenda eſt domino: cui tamen negatur actio ad damna & intereſſe, ſi fur morte vel pœna corporali punitus fuit, & res non ampliùs exſtat.
15. Quæ ſit pœna Furti de Jure Canonico.

SCiendum 1. Furtum, quamquam latè acceptum dicatur omnis injuſta rei alienæ acceptio vel uſurpatio, propriè tamen ſumptum â Juriſtis cum Jurisconſulto Paulo §. 1. *Inſt. de oblig. quæ ex del.* ſic definiri: *eſt contrectatio fraudulosa, lucri faciendi gratiâ, vel ipſius rei, vel etiam uſûs ejus, poſſeſſionisve*: â Theologis autem ſic: *eſt occulta acceptio rei alienæ, dominô rationabiliter invitô.* Quoad ſenſum non differunt, ſi Juriſtæ per tò *fraudulosa contrectatio* intelligant acceptionem occultam invitô dominô, qui ordinariè præſumitur eſſe invitus, ſi res doloſè ſeu occultè contrectetur. *l. 48. §. 3. ff. h. t.* & Theologi per tò *domino* non illum duntaxat, qui jus proprietatis vel dominium in re aliqua habet, ſed etiam illum, qui quodcunque jus reale obtinet in re, per tò *acceptio* autem non ſolùm acceptionem rei cum animo ſibi acquirendi, ſed etiam uſum. Dicunt Juriſtæ 1. *contrectatio*, ſeu talis acceptio, per quam res de loco in locum movetur. *l. 3. §. 18. ff. de acquir. poſſeſſ.* nam in foro externo non habetur pro furto ſolus animus furandi, vel conatus. 2. *fraudulosa*, id eſt injuſta, & cum dolo, ſeu voluntate furandi &c. item occulta & ſine vi, ut differat Furtum â Rapina, quæ fit inſpectante domino, & cum vi vel illata, vel parata. Si quis rem auferat vidente domino, & neſciat, ſe videri ab illo, non ablaturus, ſi ſciret, fur eſt: ſi verò ſciat, ſe videri, diſcrimen eſt faciendum: vel enim dominus tacet & non reſiſtit ex metu, verecundia &c. vel quia vult auferentem deprehendere in flagranti? & furtum committitur; vel tacet, quia verè conſentit? (utì conſen- 1.

tire præsumitur, si videat, & non contradicat, nisi ex circumstantiis aliud possit colligi) & furtum non est: si verò dominus resistat, & alter tamen auferat, rapina potiùs, quàm furtum patratur. Cæterùm ubi de contrectatione, seu occulta acceptione rei alienæ constat, ordinariè præsumitur dolus. per *l. 48. §. 3. cit.* nisi aliunde colligatur, dominum non fore rationabiliter invitum. *arg. l. 5. C. de Injur. 3. lucri faciendi gratiâ*: unde, qui rem alienam contrectat destruendo malitiosè, projiciendo in ignem, lacerando, non furti, sed injuriæ & damni dati reus est. 4. *rei*, scilicet alienæ, mobilis, & corporalis; nam, qui accipit rem suam, licèt putet esse alienam, in foro externo pro fure non habetur, sicut nec vicè versa, qui accipit rem alienam, putans esse suam. *arg. §. 1. Inst. de vi bonor. rap.* Neque furtum est, siquis rem derelictam, vel quæ in nullius est bonis, occupat. *l. 43. §. 5. ff. h. t.* Pariter rei immobilis furtum non est. *l. 25. ff. eod. §. 7. Inst. de usucap.* quia contrectari, seu de loco in locum moveri nequit; utì nec rei incorporalis, cujusmodi sunt jura, actiones, servitutes; cùm tangi & propriè contrectari non possit. §. 2. *Inst. de reb. corporal. & incorp.* Sed hujusmodi immobilia, vel incorporalia, potiùs occupari, retineri, aut usurpari dicuntur. *5. vel usûs rei*, ut siquis re in depositum, vel pignus datâ clàm & fraudulenter utitur. *l. 40. l. 54. l. 66. ff. h. t.* vel re commodatâ, vel ad usum, aut usumfructum concessâ, aliter vel diutiùs utitur, quàm dominus concessit, eóque inscio, & non consentiente. *l. 40. cit. §. 6. Inst. de oblig. quæ ex del.* vel viceversa si comodans vel locator ante præfinitum tempus rem occultè iterum aufert. 6. *Possessionisve*, ut siquis, licèt dominus sit, possessionem vel detentionem rei, competentem alteri occultè aufert, v. g. debitor rem alteri in pignus datam. §. *10. & 14. Inst. eod.* vel si tertius rem alicui locatam, commodatam, depositam clàm & fraudulenter subtrahit. §. *15. seqq. Inst. eod.* Licèt iste possit simul committere furtum *rei*, nempe respectu domini. Cæterùm usûs & possessionis furtum, si non simul sit rei, criminaliter non punitur.

2. Sc. 2. Furtum dividi 1. in furtum *rei*, *usûs*, *& possessionis l. 1. §. fin. ff. h. t.* utì primùm vidimus. 2. in *Simplex* & *Qualificatum*: istud est, quod fit cum effractione violenta, & seditiosa, seu cum armis & magna violentia adhibita, atque ideo etiam vocatur *Periculosum*, gefährlicher Diebstahl: illud, quod fit sine tali circumstantia aggravante: pro simplici reputatur, licèt cista, vel arca rumpatur manu, vel janua aperiatur clave adulterina, mit einem Dietrich/ vel horreum, tugurium, aut cala, ædésve rusticæ ex limo confectæ effringantur securi vel alio instrumento, vel ejiciantur fenestræ, vel de tecto removeantur tegulæ, ut pateat accessus ad furandum; quia non intervenit peculiaris violentia, ex qua periculum seditionis vel cædis immineat. 3. in *Parvum* & *Magnum*: quæ autem quantitas requiratur & sufficiat ad constituendum Magnum tam in foro interno, quàm externo, infra dicemus. 4. in *Primum*, quod non præcessit aliud ab eodem homine patratum, & in *Iteratum*, vel *Reiteratum*, quod ab eodem homine iteratò post unum vel plura præcedentia committitur, interpolatis moraliter temporum intervallis. 5. in *Diurnum*, quod de die, & in *Nocturnum*, quod de nocte committitur: furem nocturnum, in ædibus deprehensum, si absque periculo capi aut expelli nequeat, licet occidere de Jure Civili, *l. 4. ff. ad L. Aquil. & l. 9. ff. ad L. Cornel. de Sicar.* Non verò diurnum, nisi se armis defendat, vel res aliter conservari nequeat. 6. Manifestum, & Nec-manifestum, seu Non manifestum: *Manifestum* dicitur, quando fur ipse deprehenditur, aut inclamatur vel in ipso actu furandi, vel in loco (sive publico sive privato) in quo furtum commissum est, vel saltem, postquam fur jam egressus est ex loco furti cum re furtiva, antequam illam detulerit ad locum, quò deferre destinaverat, & ea die adhuc cum eadem remanere conspicitur sive â domino, sive ab alio. §. 3. *Inst. de oblig. quæ ex del. l. 2. seqq. ff. h. t.* Econtra *Nec manifestum*, quando fur non ita deprehenditur in furto, vel in loco furti, vel cum re furtiva adhuc eadem die. Furtum *Publicum*, utì Peculatus, Residuum, de quibus postea, non coincidit cum Manifesto. 7. in Sacrilegum & Profanum: *Sacrilegum*, quod, quamvis de Jure Civili Antiquo solùm tunc fieri dicatur, quando res sacra ex loco sacro aufertur; de Jure tamen Canonico *can. 21. §. Sacrilegium caus. 17. q. 4. & Const. Carolin. art. 171.* tripliciter fieri potest: nempe si res sacra ex loco sacro: res sacra ex loco non sacro: res non sacra seu profana (custodiæ tamen causâ in loco sacro reposita) surripiatur: quare siquis alicui in Ecclesia existenti furetur v. g. horologium ex sacco, non est verè sacrilegium, licèt committat generalem aliquam irreverentiam erga locum sacrum; quia talis res non custodiæ vel securitatis causâ ad Ecclesiam delata est, & sic neque ex hoc capite ad Ecclesiam spectat. Schambogen *h. t. n. 12. Profanum* est furtum rei non sacræ, nec pro custodia in locò sacro depositæ, & in loco non sacro commissum. 8. in *Domesticum*, quod faciunt domesticæ personæ, & propinquæ, uxor, liberi, famuli &c. & in *Extraneum*, quod personæ ad familiam domini non pertinentes. De furtis uxoris & liberorum nota, quòd, quamvis verè sint furta, si de rebus mariti vel patris fraudulenter aliquid surripiant, actio tamen furti, minùs pœna ordinaria furti, contra has personas locum non habeat, sed contra uxorem *actio rerum amotarum. l. 52. ff. l. 22. §. 4. C. h. t.* quia non decet tam atrocem actionem, qualis est actio furti, dari adversùs personam adeò conjunctam: contra liberos autem nulla omnino detur actio, *l. 16. §. 1. ff.*

eod. §. 12. *Inst. de oblig. quæ ex del.* partim quia ex actione propter furtum liberorum periclitatur quoque fama parentum, partim quia parentibus concessa â Jure est liberorum castigatio. Interim privilegiô uxoris & liberorum nihil juvantur, qui eos adjuvant in furto. *l. 52. & §. 12. Instit. citt.*

Sc. 3. Furtum ratione objecti & rei, quæ 3.
sublegitur, varia sortiri nomina, varias constituere species, & diversas fundare actiones tum Civiles tum Criminales, consequenter diversimodè puniri. Quippe 1. si homo liber, vel etiam servus, clàm abducitur animô celandi, detinetur in vinculis, occultatur, venditur vel emitur, vocatur *Plagium*, vel furtum hominis. 2. si pecora ex pascuis nimirum aliquot capita ex grege minorum animalium gregatim, nempe saltem 10. ex ovibus, 5. aut 4. ex porcis, vel unum saltem ex jumentis, seu majoribus animalibus, utì sunt equi, muli &c. abiguntur, *Abigeatus*, &, qui hoc faciunt, *Abigei* dicuntur. 3. si pecunia publica, seu res ad ærarium Reipublicæ aut Fiscum Principis, hodie etiam Principis Imperii, aut Civitatis Imperialis, pertinentes (vel etiam ad Ecclesiam) & quidem ab eo, cujus fidei aut pericolo non erat commissa, surripitur, *Peculatus:* si verò talis pecunia publica ab eo, cujus fidei est commissa, seu ab administratore retinetur, & in usus publicos, vel in rationes non refertur, aut in proprios usus confertur, crimen *de Residuis:* si Portitores furantur victualia, à Republica ad exercitum missa, crimen *Fraudatæ annonæ* appellatur. Et hæc furta possunt dici *Publica*. 4. siquis de hæreditate, jam quidem adita ab aliquo, at nondum possessa, rem mobilem lucri causâ contrectat dolosè, seu clepit, crimen *expilatæ hæreditatis* nuncupatur, nisi cohæres de jacente adhuc hæreditate aliquid sublegat, vel uxor; contra illum enim *actio familiæ herciscundæ*, contra istam autem rei vindicatio, si res subtracta exstet, si non exstet, *condictio ex lege*, non verò turpis actio *expilatæ hæreditatis*, locum habet. 5. siquis dolosè eruit, submovet, vel mutat palos, columnas, lapides limitaneos, seu defixos ad indicandos fundi terminos, limites, & fines, Marck-Saulen/ Gränitz-Stain/ *Amotio termini*. 6. si verò materiam alieni ædificii, v. g. tignum, tegulas, lapides, columnas &c. dolosè subtrahit, jungítque ædificio suo, *Furtum tigni* nominatur. Quænam ex his furti speciebus actio competat, & quæ pœna incurratur vel infligatur, maximè in foro Civili, videre est apud Legistas, & apud P. Schmalzgrueber *h. t. §. 3.* ubi etiam proponit pœnas illorum, qui malitiosè alienas incidunt arbores, vites, virgulta &c. vel furtim cædunt, item qui res ex naufragio vel incendio liberatas auferunt, utì & qui violant sepulchra, sive ipsum cadaver extrahendo, mutilando, spoliando, sive structuram sepulchri mala fide demoliendo, aliud cadaver inferendo, vel superstruendo ædificium non sepulchri causâ.

Sc. 4. Furti reos nôn illos duntaxat effici, 4.
qui per se ipsos res alienas clàm & dolosè ac invitô dominô sublegunt, sed etiam alios, in foro quoque externo, nempe 1. qui mandant: consilium, vel auxilium dant effectu secuto, aliàs non *l. 50. §. 1. l. 52. §. 19. ff. h. t. & §. 11. Inst. de oblig. quæ ex del.* 2. qui furem cum re furtiva scienter recipiunt & occultant. *l. 48. §. 1. ff. h. t.* 3. qui rem furtivam scienter emunt â fure. per *l. 2. & 5. C. eod.* 4. qui rem, quam scit esse furtivam, accipit in solutum; quia talis acceptio æquiparatur emptioni. *arg. l. 3. ff. pro emptor.* De his siquidem (saltem qui ponuntur in prima classe) procedunt illa vulgaria: der Hähler ist wie der Stehler. Mit gestohlen/ mit gehenckt. Monent tamen Doctores, eos, qui scienter recipiunt furem cum rebus furtivis, vel scienter has emunt, aut in solutum accipiunt, item consulentem, quando independenter â consilio alter fuisset furatus, quoad pœnam criminalem mitiùs haberi, nec pœnâ ordinariâ affici. Capzov. Farinac. Harpprecht, Haunold. 5. qui in modica, imò etiam in gravi necessitate famis vel paupertatis, surripiunt rem alienam, ne debeat, v. g. vir honestus, mendicare. Farinac. Sylv. Azor. Pirhing *h. t. n. 13.* nam prohibita est ab Innoc. XI. hæc propositio: *permissum est furari, non solùm in extrema, sed & in gravi necessitate.* Intellige non de valde gravi & proxima extremæ, sed de tali, quæ communi necessitati propinqua est. Mitiùs tamen isti sunt puniendi. *c. 3. h. t. Constitut. Carolin. art. 166.* Aliud dicemus infrà de constituto in extrema necessitate. An pro fure habendus sit detentor rei inventæ, & occulta compensatione utens, discere potes es dictis *tit. 12. n. 20. in lib. II. & tit. 23. n. 42. seqq. in lib. III.* 6. qui conscius est furti, seu rei furtivæ, & non indicat, eáque apud ipsum quæsita & inventa est, tenetur furti *concepti*, aut non exhibiti. §. 4. *Inst. de obl. quæ ex del.* Reus tamen furti non est, qui tantùm scit furem, & ejus personam, non tamen indicat, modò non positivè occultet, & nihil de re furtiva participet. *l. 48. cit.* Imò persona furis rectiùs tacetur, si grave ejus supplicium timeatur, vel infamia, præsertim si absque manifestatione furis res furtiva recipi possit. *can. 14. caus. 22. q. 2.* Aliud foret, si charitas vel obedientia exigeret manifestationem, ut si res ablata aliter non posset obtineri, vel præciperet legitimus Superior. Nec obstat text. *in c. 4. h. t.* ibi: *ille reus tenetur, qui conscius furti non indicat;* nam imprimis loquitur de notitia furti, non furis: deinde si velis intelligi de conscio furis, explica de tali, qui positivè illum occultat, vel de re furtiva participat. Abb. & Barb. *in d. c.*

Dico 1. Furtum, aut rapinam, non com- 5.
mittit, qui in extrema necessitate, vel quasi-extrema, surripit, aufert, vel usurpat res ad alios pertinentes, quantum requiritur ad succurrendum præsenti necessitati, 2. & probabiliùs

biliùs non tenetur illas postea, si pervenerit ad pinguiorem fortunam, restituere, quas in- & ex necessitate consumpsit. Antequam probetur Assertio bimembris, notandum est, triplicem dari necessitatem, *extremam*, ex qua imminet periculum vitæ, vel morbi incurabilis, aut amittendi membrum, vel sensum corporis, aut incidendi in amentiam; licèt ad hanc non requiratur, ut aliquis exspectet, donec mors vel similia mala sint in promptu; quia tunc potest esse frustra remedium; sed sufficit, si valde probabiliter & moraliter certò credantur imminere, nisi subveniatur: *gravem*, ex qua imminet periculum alterius gravis mali, v. g. captivitatis, jacturæ bonorum aut statûs, ut quis non ampliùs possit vivere juxta statum suum, v. g. ut Nobilis debeat famulari, vir honestus mendicare &c. Hæc necessitas gravis suscipit magis & minùs, aliqua enim accedere potest propè ad extremam, & appellatur *quasi-extrema*, ut quando imminet periculum moraliter certum abbreviandæ notabiliter vitæ, gravis morbi, aut alterius valde magnæ calamitatis, aut dedecoris gravissimi, quod v. g. Nobili accedit, si mendicare aliàs, aut famulari deberet &c. nisi succurratur: denique *communem*, qua laborant pauperes & mendici. Sanch. Lug. Haun. Viva in *propos. damnatam cit.* His præmissis

Probatur 1. membrum Assertionis, quod tenent omnes, teste Lugo *de J. & J. d. 16. n. 138.* In necessitate extrema (vel quasi-extrema) omnia iterum fiunt communia, sicut erant ante divisionem bonorum Jure Gentium introductam; quia ipsa Natura res omnes, ad hominum sustentationem ordinatas, voluit omnibus esse communes, ita ut cuilibet extremè iis indigenti ad suæ vitæ, membrorum &c. conservationem serviant, licitúmque sit eas accipere & usurpare: Jus Gentium autem, ex quo introducta est rerum & dominiorum divisio, utpote Humanum, non potuit præjudicare Juri Naturali, quod cuilibet permittit rerum usum extremè indigenti, quas ipsa Natura ad hunc finem ordinavit. Nec in potestate domini est prohibere extremè indigentem, ne ad sublevandam hanc necessitatem accipiat vel utatur re sua. Priùs tamen deberet extremè indigens rogare alios, ut dent vel concedant illi res suas, nisi moraliter certus foret, ac omni spe destitutus, se à nemine exaudiendum, vel juvandum.

6 Membrum 2. est magis controversum; nam contrarium tenent Navar. Covarruv. Med. Lugo *à n. 167.* Less. *lib. 2. de J. & J. c. 16. dub. 1. num. 8.* P. Seybold *in tract. de Republ. Christ. p. 6. §. 3. n. 13.* & alii: nobiscum verò sentiunt Sylv. Sot. Azor. Laym. Barbosa in *c. 3. h. t. n. 3.* Wiestner *eod. n. 22.* Viva *lo. cit. n. 14.* ac alii multi. Prob. 1. In extrema necessitate cessat divisio rerum, & omnia iterum fiunt communia, ut Adversarii fatentur, & paulò antè ostendimus: ergo accipiens & usurpans rem pro præsenti necessitate necessariam non accipit rem alienam, sed potiùs suam, utpote à Jure Naturali æquè ipsi, ac aliis, qui eâ indigent, concessam, cujus quoque dominium occupando, usurpando, & consumendo acquirit. *arg. §. 35. Inst. de Rer. divis.* atqui nemo tenetur restituere alteri rem suam, vel qui non accepit alienam: ergo. 2. qui in tali necessitate accepit & consumpsit rem alterius, postea autem ditior evadit, ad restitutionem non tenetur ex *injusta acceptione*: neque *ex re accepta*: neque *ex contractu*: ergo ex nullo capite; quia alia restitutionis radix non datur. Nam injustè seu illicitè non accepit juxta omnes: neque de re accepta aliquid adhuc exstat, ut ponitur: neque accipiendo celebravit contractum, quo se ad restituendum in eventum pinguioris Fortunæ obligavit. 3. Bonæ fidei possessor non tenetur restituere fructus ex re aliena perceptos, etiam consumptos, quia per consumptionem, quæ est modus acquirendi dominium, irrevocabiliter factus est dominus fructuum consumptorum: ergo nec ipsam rem bona fide acceptam & consumptam, quia consumendo factus est ejus dominus irrevocabiliter.

Oppones 1. In necessitate extrema fiunt quidem omnia communia, at non *absolutè*, sed ita tantùm, ut domino nullum inferatur damnum, si id aliqua ratione evitari possit; sed evitari potest aliqua ratione, si extremè indigens obligetur ad restituendum, casu, quo ex postfacto poterit, & si *sub conditione* restitutionis, vel per modum *Mutui*, aut *Commodati* taciti dicatur à domino concedi, & indigenti permitti, acceptio & usus rei alienæ; ergo. Confirmatur. Extremè indigenti non competit majus jus accipiendi & usurpandi rem alienam, quam obligatio dandi incumbat domino in tali casu: sed dominus non obligatur (consequenter nec velle aliter præsumitur) dare absolutè, & sine conditione vel onere restituendi in eventum, quòd res vel in se vel in æquivalenti restitui possit, vel absque tacito contractu Mutui aut Commodati: ergo. 2. Extrema necessitas non transfert dominium rei alienæ in accipientem, sed solummodo jus accipiendi & utendi, in quantum opus est, ut evadat periculum; vel, si transfert dominium, transfert solùm per modum mutui dati, & cum restrictione ad onus restituendi: ergo. 3. siquis, antequam pervenerit ad necessitatem extremam, contraxit aliqua debita, ab his non liberatur per supervenientem dictam necessitatem, sed obligatio satisfaciendi solùm suspenditur interim, quamdiu durat necessitas: ergo neque liberatur ab obligatione satisfaciendi pro debito in ipsa necessitate contracto, sed illa tantùm suspenditur, usquedum ad pinguiorem fortunam pervenerit. Hæc argumenta tam probabilem mihi faciebant oppositam sententiam, ut difficilis mihi fuerit quæstionis resolutio. Nihilominus g. ad [illegible] & principale. *N. Ma.* hoc ipso enim, quòd in casu extremæ vel quasi-extremæ necessitatis cesset rerum divisio Jure Gentium & Humano

mano introducta, ac omnia, quatenus ad tollendam dictam necessitatem serviunt, facta sint iterum communia, & ad illum statum redacta, in quo à Natura ipsa sunt posita, omnibus æquale jus præbente, absolutè & absque conditione aut onere illius restitutionis, adeóque nec per modum Mutui aut Commodati, jus accipiendi & usurpandi (imò & dominium, si res accepta per usum consumatur) conceditur extremè indigenti ab ipsa Natura, nec dominus dare tantùm sub conditione aut per modum Mutui velle potest aut tenetur, sed absolutè; cùm Naturæ concessio prævaleat ejus voluntati. Si res ad evadendam necessitatem extremam accepta vel usurpata non consumatur per usum, sed ea cessante adhuc exstet, concedo, quòd postea restitui debeat, partim propter communem sensum Doctorum, partim quia res, v. g. equus, quo quis evasit periculum mortis, iterum clamat ad dominum, partim quia tali casu datur radix aliqua restitutionis, nempe *res accepta*, adeóque videtur tantùm ejus *usus* in necessitate fuisse permissus per modum *Commodati*, & non *dominium:* quæ rationes cùm non pugnent in casu, quo res ipso usu consumitur, acceptio & usus illius, imò & dominium irrevocabile, quod obtinetur per consumptionem, absolutè, & non per modum *Mutui*, ab ipsa Natura videntur esse concessa extremè indigenti. Unde quoque patet ad *Confirmationem*; nam *Neg. Min.* casu quo res ipso usu consumitur. Ad 2. Quamvis sola necessitas extrema non tribuat dominium absolutum & non oneratum, tribuit tamen consumptio rei in extrema necessitate, ubi id permittit Jus Naturæ, sicut permisit ante rerum divisionem, acceptæ & usurpatæ. Ad 3. *N. Conf. & parit.* nam debita ante necessitatem contracta proveniunt ex contractu vel delicto, adeóque obligatio non extinguitur, sed tantùm suspenditur durante necessitate: in hac verò accipiens rem alterius, & consumens, nec ex delicto, ut clarum est, contrahit ullum debitum vel obligationem, nec ex contractu explicito, ut suppono, nec ex tacito vel implicito Mutui v. g. quia talis res redacta est ad statum primævum Naturæ, in quo accipiens rem ad suam necessitatem, & consumens, absolutè ac sine ullo restituendi onere acquisivit dominium, vel licitum usum. Urgebis. In *c. 3. h. t.* jubetur jejunare, qui in necessitate rem furatus est, si eam non restituerit: ergo datur obligatio restituendi. R. ibi non de extrema vel quasi extrema necessitate sermo est, sed tantùm de gravi: quòd autem, siquis in gravi necessitate constitutus accipiat, quantum est sibi necessarium, postquam rogavit, & non obtinuit, non debeat graviter puniri, videtur indè deduci, quòd non facilè graviter peccet, saltem si à divite accipiat. Laym. *to. 1. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 8.*

7. Dico 2. Furtum in consideratione Theologica *Magnum*, seu sufficiens ad constituendum peccatum grave in conscientia, consequenter inducens gravem obligationem restituendi ante omnem actionem, vel sententiam Judicis, est illa quantitas, quæ aufertur domino rationabiliter invito graviter, sive quæ per se apta est causare gravem animi dolorem, si auferatur. Ita communis SS. Patrum, Doctorum, & Fidelium sensus, in Jure Naturali tam charitatis quàm Justitiæ fundatus. Item in Scriptura S. & septimo Decalogi præcepto, *non furtum facies. Exod. 20. v. 14.* imò in utroque Jure Positivo, Civili quidem §. *3. Inst. de J. & J.* ibi: *Juris præcepta sunt: honestè vivere, alterum non ladere, jus suum cuique tribuere.* & in *c. 48. de R. J. in 6.* ibi: *locupletari non debet aliquis cum alterius injuria vel jactura.* Quòd autem ex furto gravi oriatur gravis obligatio restituendi ablatum, clamat Jus Naturale, & natura Justitiæ Commutativæ, quæ, si læsa sit, resarcitionem exigit ad æqualitatem usque, ut nempe reddatur tantum, quantum iniquè est ablatum. Clamat id ipsum *regula Juris 4. in 6.* ex S. Augustino desumpta: *non dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.* Neque ex *injusta acceptione* tantùm obligatur fur ad restituendum, saltem in æquivalenti, si res ablata apud ipsum non ampliùs exstat, sed etiam *ex re accepta*, si exstat vel in se vel in æquivalenti, imò quilibet etiam alius rei furtivæ possessor, licèt bona fide eam acceperit; et si mala fide tertius acquisivit, etiam ex *injusta acceptione*, licèt dominus ei pretium pro ea expensum nolit restituere. *l. 2. C. h. t.* quia res clamat ad dominum. Nec ex alio capite excusatur fur, vel malæ fidei possessor, imò & bonæ fidei, postquam rescit, rem esse furtivam, eáque adhuc exstat, ab onere restituendi, nisi restitutio facta sit ipsi impossibilis; cùm ad impossibile nemo teneatur. *c. 6. in 6. & l. 185. ff. de R. J.* Sed neque tunc omnino tollitur obligatio restituendi, sed tantùm suspenditur, quamdiu facultas restituendi non suppetit, hac autem superveniente iterum urget. Quamvis autem Assertio, ita generaliter proposita, sit omnino certa, dubitabis tamen, &

8. Quæres, quænam sit illa quantitas in specie, quæ de se apta sit dominum facere rationabiliter graviter invitum, vel causare gravem animi dolorem, si auferatur? R. Doctores in hac determinanda non convenire; nam aliqui cum Sylv. Soto, Lessio, Valent. Sanch. Tannero, Rebello, Haun. Esparza &c. statuunt quantitatem *Absolutam*, & eandem apud omnes, quibus aliquid aufertur, sine respectu ad eorum facultates & divitias, v. g. medium vel integrum florenum respectu omnium. Alii econtra & hodie longè plures cum præstantissimis in materia Justitiæ Theologis, Molina & Card. de Lugo, *Respectivam* decernunt, & pro diversitate ac facultatibus personarum, quibus aliquid surripitur, diversam. Qui proinde discernunt quinque hominum classes seu status. 1. Regum & Principum.

2. Illu-

2. Illustrium personarum, Officialium majorum, Mercatorum & Civium opulentorum. 3. Civium, & aliorum mediocris fortunæ. 4. Rusticorum & Operariorum diurnorum. 5. Pauperum ex eleemosynis viventium. Pro prima classe communiter dicunt ad summam gravem requiri & sufficere unum aureum, seu Ducatum, qui nunc valet 4. florenos & ultra (P. Layman. *Theol. Mor. to. 1. lib. 3. tr. 3. p. 1. c. 1. n. 3.* statuit 2. vel 3. aureos) pro secunda tertiam partem aurei, nempe florenum & 18. circiter crucigeros (P. Layman. 2. vel 3. florenos) pro tertia medium florenum circiter (P. Layman iterum benignior 48. crucigeros vel florenum, & P. König *h. n. 19.* tres florenos, utique satis laxe) pro quarta 16. vel 20. circiter crucigeros: & pro quinta 10. circiter crucigeros, vel adhuc minùs, cujus nempe jacturâ respectu talium meritò potest afferre magnam tristitiam & animi dolorem. Sed & isti adhuc inter se discrepant; quidam enim cum Molina dictam quantitatem respectivam (sicut Haunold. & alii Absoluram) non explicant simpliciter per monetam pecuniariam, uti faciunt alii sat multi cum Lugo, sed per victum unius diei, proportionatum illi hominum classi, respectu cujus fit furtum. Atque cum his & ego sentio, ac dico, illam quantitatem furtô ablatam sufficere & requiri ad constituendum peccatum grave, ita ut dominus rationabiliter sit graviter invitus, quæ, sive in pecunia sive in aliis rebus consistat, sufficit & necessaria est ad comparandum victum diurnum statui & conditioni personæ, cui aufertur, proportionatum. Ratio congrua mihi videtur esse hæc, quòd talis quantitas cum respectu ad victum diurnum cuilibet magis comperta, & universalior sit pro omni tempore & loco, quàm quantitas per monetam pecuniariam explicata; cùm hæc & hujus valor identidem mutetur ac facilè, pro varietate temporum & locorum, prout nemperarior vel copiosior est moneta: sic videmus, post tam immensam auri argentique ex Indiis advecti copiam magnopere decrevisse valorem monetæ, præsertim in Hispaniis & vicinis regionibus, ita ut, quod priùs emi poterat uno floreno, nunc tribus vel quatuor vix comparari possit: &, quod in regionibus, ubi pecuniarum major est copia, longè plus pecuniæ expendi debeat in victum & alias merces comparandas, quàm in provinciis, ubi minor est copia. Imò in eodem loco diversis temporibus plus pecuniæ requiritur ad idem coëmendum: sic in nostra Germania quod ante 100. annos constitit uno, hodie, postquam crevit auri argentique copia, duobus vel tribus constat florenis, ut experientia testatur. Unde hoc tempore etiam apud nos major requiritur summa (meô quidem judiciô) ad constituendum peccatum grave in furto, quàm olim. Cur autem præferam quantitatem Respectivam Absolutæ, ratio est, quòd lumen naturale dictet, hominem minùs divitem prudenter posse graviter esse invitum in quantitate sibi ablata minori, non item divitem in eadem quantitate. v. g. si civi mediocris fortunæ auferatur Florenus vel Imperialis, prudenter videtur posse graviter esse invitus, non item opulentus mercator, vel Princeps &c. Ex eodem fundamento censeo, plus requiri 1. ad furtum grave in domesticis, v. g. famulis, quàm apud extraneos: & apud domesticos plus requiri, si uxor aliquid subtrahat de rebus mariti, quàm si liberi: plus, si liberi parentibus, quàm si frater fratri aut sorori aliquid furripiat: item his domesticis plus licere citra peccatum grave, si paterfamilias, maritus, pater &c. sit dives, quàm si pauper, si aliàs sit liberalis, aut bene affectus erga suos, quàm si tenax, vel malè affectus: item si furripiant in esculentis & poculentis, quàm si in pecuniis: & si in pecuniis, bene tamen eas impendant, quàm si hos prodigant in finem vanum, vel inutilem, vel etiam noxium; quia ex his circumstantiis potest prudenter præsumi magis vel minus invitus ille, cui aliquid subtrahitur. 2. siquis à diversis dominis furetur, vel ab uno quidem, sed interpolatim, ac per furta parva sæpius repetita. 3. si auferantur res, quæ ultrò nascuntur, & valde sunt expositæ, uti ligna in sylvis, fructus ad viam publicam &c.

Oppones. Si ex victu diurno, certo personarum statui proportionatô, desumenda esset gravitas materiæ furti, tunc Regibus, Principibus, & aliis opulentissimis, furari unum, duos, tres, quatuor &c. aureos non foret peccatum grave; quia his personis etiam 10. 20. 30. aurei sæpe non sufficiunt pro victu diurno sibi proportionato comparando: sed sequela est contra communissimam, qui tamen sensus communis in re morali gravissimum debet habere pondus: ergo. R. *N. sequelam*; quamvis enim hujusmodi personæ sæpe, imò ordinariè, expendant in victum diurnum plus, quàm valorem unius, duorum, trium &c. aureorum; ille tamen victus, non est proprie talis & proportionatus secundùm designationem moralì judicio factam, sed redundans; si enim pro victu pauperis 10. circiter crucigeri vel etiam pauciores, pro victu operarii diurni 20. crucigeri, pro victu civis mediocris fortunæ 30. vel 45. pro opulentis unus & alter florenus, tunc pro opulentissimis, imò & Principibus sufficiet pretium unius, vel saltem duorum vel trium aureorum. Accedit, quòd, nisi respectu talium personarum saltem hæc summa & quantitas sufficeret ad peccatum grave, Officiales Principum, & alii, qui sæpe non multùm curant peccata venialia, alliceretur nimùm ad clependum Principibus, ac aliis valde opulentis viris, indeque sequerentur gravissima Reipublicæ, & privatorum, damna: ergo Natura etiam hanc quantitatem debuit prohibere sub gravi, licet per accidens infimere plus in victum diurnum soleant. Alias objectiones, quæ sat multæ ac speciosæ in hac materia formantur, Theologis, ad quos

propriè

propriè & magis spectat, quàm ad Canonistas, jure relinquo resolvendas.

10 Dico 3. Furtum in consideratione Juridica *Magnum*, maximè in ordine ad pœnas publicas, est pretium, valor, aut æstimatio 5. solidorum. Text. & DD. *in §. fin. 2. Feud. tit. 27. & Constit. Pœnali Caroli V. art. 160.* Quidquid ergo est infra 5. solidos, reputatur in hac consideratione pro furto *Parvo*, & quidem sine respectu ad personas pauperes & divites; cùm expediat pro foro externo, & in ordine ad pœnas à Judice Humano infligendas, certam ac universalem regulam, eámque absolutam statui: licèt, si hæc summa diviti auferatur, possit mitigari pœna juxta *Carolinam cit.* Per *solidum* intelligitur, juxta communem meliorum Interpretum sententiam aureus, & quidem optimus, quales sunt Hungarici, ex optimo auro constantes, vulgo Kremnitzer/ etiam cum incremento valoris, quem habent tempore furti facti. Proin hoc tempore, quo unus talis aureus valet quatuor florenos (Rhenanos, quorum unus valet 60. crucigeris) & 10. crucigeros, pro hoc valore accipiendus est unus solidus. Carpzov. *Prax. Crim. p. 2. q. 77. 78.* Berlich. *p. 5. concl. 43. à n. 29.* Frölich *in Nemesi p. 2. l. 4. tit. 1. n. 7. 8.* Haunold. *to. 6. tr. 2. n. 211.* König, & alii. Nec obstat, quòd in *Constit. Carol. art. cit.* illos 5. solidos, uti Fridericus I. vocavit *2. feud. tit. 27. cit.* ibi: *siquis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueo suspendatur: si minus, scopis & forcipe excorietur, & tundatur,* in Germanico explicaverit per Gülden/ verbis: So aber der erste Diebstahl groß/ und fünff Gülden/ oder darüber werth wäre; quia communis Interpretum, uti & Praxis explicat de florenis *aureis* optimis. Advertendum quoque, non attendi pretium, quo forte vendidit fur rem furtivam, sed verum valorem rei ablatæ. *Carolin. lo. cit.* Carpzov. & alii.

11 Dico 4. Ex furto pro foro externo dantur remedia & actiones duplicis generis: aliquæ sunt persecutoriæ rei, uti *rei vindicatio*, & *condictio furtiva*: aliæ autem persecutoriæ pœnæ, seu pœnales, uti *actio furti*, & *accusatio criminalis*, tendens ad vindictam publicam. Certa omnium in variis legibus fundata, quas in ulteriori Assertionis explicatione adducam. Itaque 1. competit *Rei vindicatio*, & quidem domino rei furtò ablatæ, ejúsque hæredibus, adversùs furem, & quoscunque alios, ad quos pervénit possessio vel detentio rei furtivæ. *§. fin. Inst. de oblig. quæ ex del. l. 3. l. 23. C. de R. V. l. 1. ff. de privat. delict. l. 2. C. h. t.* adeóque dominus persequi potest, ac repetere rem furtò ablatam à quocunque, apud quem reperitur. 2. *Condictio furtiva*, quæ est actio personalis, Civilis, rei persecutoria, irregularis seu extraordinaria, qua repetitur vel res ipsa furtò sublata, si adhuc exstat, & tunc vocatur *condictio certi*, vel possessio, usus illius, vel interesse, & appellatur *condictio incerti*. Prior competit soli domino & ejus hæredibus. *§. 14. l. 16. ff. eod. l. 1. l. 8. pr. ff. de condict. furt.* Extenditur etiam ad bonæ fidei possessores, quibus res furtò subtracta est. *t. t. ff. de Publ. in rem act.* Posterior non domino, & iis, qui nec fictum habent dominium, uti creditori, cui pignus, commodatario, cui res commodata, conductori, cui res locata per furtum surrepta est, eorúmque hæredibus. *l. 12. §. fin. ff. de condict. furt. l. fin. §. 3. C. h. t.* datúrque adversùs furem ipsum (etiam prædonem & latronem) &, si plures sint, contra singulos in solidum usquedum præstetur totum ab uno vel pluribus, quod est ablatum, & fructus, etiam percipiendi, cum omni interesse, & damno, imò & contra hæredes illorum pariter in solidum, licèt nihil ad ipsos pervenerit (nempe quantum patitur hæreditas) & contra auxilium ferentes. *l. 8. 9. 10. ff. l. 1. C. de condict. furt. Constit. Carol. art. 207. 213.* Cùm igitur hæc condictio præter morem aliarum condictionum, quæ dantur non domino contra dominum, tribuatur domino contra non dominum, scilicet in odium furis, qui fingitur esse dominus, ut pluribus actionibus pulsari possit. §. *14. Inst. de action.* ac insuper contra hæredes in solidum, & non præcisè ad id, quod ad ipsos pervénit, habet aliqua prorsus singularia, & ideo *extraordinaria* seu *irregularis* appellatur ista condictio furtiva. 3. *Actio furti*, quæ est actio personalis, pœnæ persecutoria seu merè pœnalis perpetua, ac famosa, & quidem utraque, nam duplex est, *Prætoria*, quæ datur ex furto manifesto in quadruplum (& quidem perpetua præter morem actionis Prætoriæ) atque *Civilis*, quæ ex furto nec manifesto in duplum. *pr. Inst. de perpet. & tempor. act. §. 2. Inst. de pœn. tem. litig. §. 5. & ult. Inst. de obl. quæ ex del. §. 18. Inst. de act.* Competit principaliter domino, & cum certis limitationibus, quas vide apud Civilistas, etiam aliis, quorum interest, rem non fuisse ablatam. *l. 10. l. 11. ff. h. t.* Datur contra furem, opémque ferentes, &, si plures sint, contra singulos in solidum, ita quidem, ut, si unus hac actione pulsatus pœnam solverit, cæteri non liberentur. *l. 21. §. 9. ff. eod.* sicut tamen liberantur, si condictione furtiva unus ex complicibus conventus satisfecit in solidum, licèt res ablata perierit. *l. 10. cit. l. 46. pr. eod.* Non tamen datur contra hæredes furis, nisi lis cum defuncto jam sit contestata; cùm sit merè pœnalis. §. 1. *Inst. de perpet. & tempor. act. l. 1. ff. de privatis del.* uti nec adversùs liberos, aut uxorem, saltem regulariter, & ut est famosa ac directa. *l. 16. l. 52. ff. h. t. l. 25. ff. de act. rer. amotar. l. 2. C. rer. amot.* Porro *famosa* dicitur hæc actio, quia eâ conventus, etiam civiliter tantùm, seu ad consecutionem dupli vel quadrupli, & condemnatus hoc ipso redditur infamis, saltem si furtum sit notabile & paulò majus. §. 2. *Inst. de pœn. tem. litig. l. 4. §. fin. ff. de his, qui not. infam.* Neque hæc actio ad quadruplum vel duplum, (cui simplum non inest) nempe ad quadruplicatum, aut duplicatum pretium, vel æstimationem rei sublatæ, tollit rei vindicationem, sed hæc post pœnam quadrupli vel dupli solutam adhuc locum habet. *l. 54. §. 3. ff. h. t.* uti & condi-

dictio furtiva loco rei vindicationis *l. cit.* item actio quoque criminalis, de qua statim. Utrùm verò actio in duplum vel quadruplum, concessa à Jure scripto, non tantùm antiquo, ut vidimus, sed etiam à *Constit. Carol. art. 157. 158.* sit abrogata per consuetudinem, non convenit inter DD. Stryckius, Tabor & alii ajunt, non esse abrogatam; quòd autem fures eâ rariùs pulsentur, in causa esse, quòd plerumque sint pauperes, & actores soleant esse contenti, si rem suam, & indemnitatem consequantur. Abrogatam verò pro Saxonia testantur Carpz. & Berlich. *p. 5. concl. 43. n. 3.* pro Wirtenbergia Harpprecht. 4. *Actio Criminalis*, qua accusatur fur in ordine ad pœnas à Jure statutas eidem infligendas; quæ etiam locum habent, si per viam Inquisitionis, uti fieri solet, procedatur. Sed hinc

12 Dico 5. Pœnæ, pro foro Civili à Jure in furtum statutæ, sunt hodie sequentes in Imperio Romano. 1. Si furtum sit *primum, simplex, parvum* (h. e. non attingens 5. solidos) refert, an sit manifestum, vel non: si *non* sit *manifestum*, & fur sit solvendo, præter rei restitutionem domino faciendam est pœna dupli, si non sit solvendo, pœna carceris, post quam dimittitur cum urpheda, Germanicè Urpheð/ seu præstitô priùs juramentô de non ulciscendo. *Constit. Carolin. art. 157.* si verò sit *manifestum*, & fur solvendo, simúlque honestæ alias conditionis, spésque emendationis appareat, præter restitutionem rei est pœna quadrupli, cui solvendo si non sit, pœna carceris ad arbitrium Judicis: si verò sit persona vilis, exponitur ad numellas, auff den Branger/ & virgis cæsus eliminatur territoriô cum urpheda. *Constit. Carol. art. 158.* Denique si furtum *simplex primum* sit *magnum*, seu 5. solidos adæquans vel excedens, fur arbitrio Judicis puniendus relinquitur, adhibitô tamen Jurisperitorum judiciô, etiam usque ad pœnam mortis pro qualitate personæ, modô furandi, quantitate illati damni, simplicitate aut malitiâ furis apparente. *Constit. Carol. art. 160. 164.* regulariter tamen pœna mortis non facilè est infligenda, nisi circumstantiæ valde aggravantes comitentur, vel nisi consuetudo aut statutum loci primo furto simplici magno eandem statuat, uti in multis locis practicatur. Auctores passim. 2. Si furtum sit *secundum*, seu altera vice commissum, diverso scilicet tempore vel loco, ac utrumque *parvum*, pœna est pro numellis positio & relegatio; vel confinatio, h. e. jussio, ut fur perpetuò maneat in districtu, ubi furatus est, cum urpheda: si verò alterutrum sit *magnum*, vel saltem utrumque simul sumptum faciat magnum, pœna est arbitraria eo modo, quo dictum de furto primo magno. *Constit. Carol. art.* 161. & ibi DD. licèt pœna gravior & corporalis, infligi possit, v. g. abscissio auriculæ, vel manûs. Excipe, nisi tales circumstantiæ concurrerent, vel consuetudo loci &c. propter quas etiam primum furtum magnum morte punitur. 3. Si furtum sit *tertium*, & unum, vel omnia tria simul conficiant 5. solidos, pœna est capitalis, & quidem in viris suspendium, in fœminis autem suffocatio in aquis, vel aliud mortis genus pro consuetudine loci. *Constit. Carol. art. 162.* An verò pœna mortis locum habeat, si omnia tria furta simul computata non adæquant 5. solidos, controversia est. Berlich. Matth. Steph. Gletle, & D. Frölich *tit. 2. n. 2.* cum aliis affirmant, Carpz. *Prax. Crim. p. 2. q. 78. n. 80.* & alii negant, quorum sententiam, utpote benigniorem, cùm in *Carolina* nihil videatur clarè decisum, & ego amplector, etiam ex hac causa, quòd *d. Carol.* licèt in *art. cit.* videatur solùm attendere reiterationem furti, ac incorrigibilitatem furis, atq; abstrahat à quantitate furti, hanc tamen videatur requirere in *art. præced.* ubi in fine dicit: Wo aber solche zween Diebstâhl fünff Gülden/ oder darüber treffen/ so soll ꝛc. ergo, sicut in duobus, ita & in tribus videtur exigere, ut attendatur ad quantitatem, quæ constituat furtum magnum. Id certum satis est, quòd in tertio furto non attendatur, an fur propter priora sit tractus ad Judicem, vel an in Judicio fuerit propter illa punitus, nec ne. Clar. Farinac. Frölich &c. 4. Si furtum non simplex, sed qualificatum, seu violentum fuerit cum effractione, armis &c. ita ut publica indè quies turbata fuerit, aut fur adversùs sibi resistentem facilè & verisimiliter vim facturus, eum læsurus, vel etiam occisurus fuisse credatur, etiam primum & parvum, etiam non manifestum, prædictâ pœnâ laquei vel aquæ punitur, nisi circumstantiæ exigant pœnam mortis mutari in gravem corporalem, qualis esset excæcatio oculorum, vel amputatio manûs. *Constit. Carol. art. 159.*

Oppones 1. Inhumanum nimis & injustum videtur ob furtum rerum fortunæ alicui auferre vitam. Et hinc antiquì Legislatores solùm carceris, relegationis, damnationis ad metalla, mulctæ pecuniariæ &c. pœnas statuerunt, nunquam verò mortis, uti expressè hanc exclusit Imperator in *Auth. sed novo. C. de serv. fugit. & Nov. 134. c. 13. v. pro furto.* ergo illicitum est tertium furtum plectere ultimô supplicio. 2. Si propter jura recentiora admittatur pœna mortis, admitti debet semper & independenter ab arbitrio Judicis aut certis circumstantiis aggravantibus etiam propter primum furtum magnum, quia Frideric. I. *2. Feud. tit. 27. §. fin.* indistincte sic loquitur: *siquis quinque solidos valens, aut plus fuerit furatus, laqueô suspendatur:* sed hoc est contra nos: ergo. 3. Si cum fure tam rigidè usque ad pœnam mortis procedendum, tunc etiam cum complicibus, auxilium ferentibus, & cooperantibus: sed hoc est nimis durum, & falsum: ergo. 4. Item eodem rigore esset procedendum contra omnes, si plures concurrerunt ad furtum tertia vice, idque Magnum, & cum prioribus conficiens 5. solidos, licèt singuli indè non sint consecuti 5. solidos; sicut omnes, qui concurrerunt ad occisionem hominis, ordinariæ subjacent pœnæ: sed hoc est iterum falsum, & 13

contra communem. R. ad 1. Si privatis licitum est defendere res fortunæ tum suas tum alienas defensione occisiva, uti docuimus licere ad *tit. de Homicidio n.* 10. 11. à fortiori licebit Magistratui, ut defendat res subditorum contra harpyjas & clepaces furum manus, præsertim si furta multiplicentur, vel fiant cum violentia, & turbatione publicæ tranquillitatis. Quòd Legislatores Antiqui pœnam mortis non decreverint in simplicia furta, utut multiplicata, per hoc successoribus adempta non est potestas eam decernendi, præsertim postquam viderunt, mitiores illas pœnas non sufficere ad absterrendos à furando homines, & furta nimis frequenter committi. Ad 2. Constitutio Friderici I. intelligi potest de furto violento, quia *tit. 27. lib. 2. F.* ubi habetur, inscribitur de *Pace tenenda & ejus violatoribus*, eámque & Constitutio Carolina & Praxis explicat eum in modum, quo hodie furta puniri diximus. Ad 3. discrimen est faciendum inter ipsos auxilium ferentes vel cooperantes: si *ante furtum* cooperentur proximè, efficaciter, dolosò & lucrandi animò, atque effectu secuto: item si cooperentur *in ipso actu furti*, iterum dolosè, lucri causâ, & effectu secuto; subjacent quidem eidem pœnæ ordinariæ juxta communem, modò participent 5. solidos: non tamen si *post furtum* jam commissum, occultando furem, vel viam faciendo, ne deprehendatur, res furtò ablatas vendendo, emendo, receptando, de iis participando &c. quæ si faciant scienter, extraordinariè puniendi veniunt, non verò pœnâ ordinariâ furti, quia propriè ad furtum non cooperantur, si id jam est factum. Clar. Masc. Carpzov. &c. Ad 4. N. sequelam, loquendo de furto simplici (nam aliud est de violento) si repetita furta (vel unum modò explicatò) non conficiant tantam summam, ut divisione æquali inter plures fures facta non cuilibet obvenire possint 5. solidi. Berlich. Carpz. Frölich. *lo. cit. n.* 9. Et hoc non est contra, sed juxta communem.

14 Quæres, an res furtiva, apud furem, à Judice apprehensum, inventa cedat Fisco, vel domino, cui ablata est, restituenda sit? 2. An idem dominus, si fur pœnâ mortis, vel afflictivâ corporis, v. g. fustigatione punitus fuerit, ab hæredibus furis, vel ab ipso fure adhuc vivo, repetere possit rem sibi ablatam, vel agere ad damnum aut interesse? R. ad 1. Non est applicanda Fisco, sed restituenda domino, si de isto constat. Communis ex *l. 20. ff. de Captivis. l. 2. C. h. t. c. 48. de R. J. in 6. Recess. Imper. de ann. 1559. §. 35.* ubi reprobantur contrariæ consuetudines & statuta. R. ad 2. cum Carpzov. & P. Schmalzgrueber *h. t. n.* 121. distinguendo: si res furtiva adhuc existet domino salva manet condictio furtiva & rei vindicatio ad recuperandam rem suam, sive fur pœnâ mitiori, quàm sit mors, sive ipsa morte punitus fuerit. §. *fin. Inst. de obl. quæ ex delicto.* §. 18. *Inst. de act. Constit. Carol. art. 213. 214.* Si verò res furtò ablata non ampliùs existet, & fur morte vel pœna corporali punitus fuerit, ad damna & interesse non tenetur fur vel ejus hæredes. per *Novell. 22. c. 20.* cùm hoc nimis durum videatur, & mors omnia solvat. *Nov. cit.*

Dico 6. Pœna furti de Jure Canonico est 15
1. infamia (& hanc subsequens irregularitas) si furtum vel sit notorium notorietate facti, vel fur actione furti conventus & condemnatus sit. 2. si Clericus de furto Magno, vel iterato, convictus est, depositio ferendæ sententiæ. 3. si depositus non resipiscat, excommunicatio ferendæ sententiæ, &, si neque tunc se emendet, sed sit incorrigibilis, degradatio, & traditio in manus Sæcularium. *Can. infames 17. caus. 6. q. 1. cum can. 7. caus. 2. q. 3. can. 12. d. 81. c. 10. de Judic.* Quinquennales, triennales, & annales pœnitentiæ à SS. Canonibus statutæ in fures, pridem in desuetudinem abierunt.

TITULUS XIX.

De Usuris.

SUMMARIUM.

1. 2. *Usura, & Mutuum, quid sint.*
3. *Quotuplex sit usura.*
4. *Quid veniat nomine lucri usuram constituentis.*
5. *Usura lucratoria est prohibita Jure Canonico, non item Jure Civili.*
6. 7. *Est quoque prohibita Jure Divino & Naturali.*
8. 9. 10. 11. *Latiùs tamen accepta non absolutò, sed conditionatò tantùm, ita ut per statutum vel consuetudinem possit, probabiliter in Mutuo auctarium ultra sortem licitè accipi.*
12. 13. *Sicut nec Usura Punitoria & Compensatoria est prohibita.*
14. 15. *An & quando Filiusfamilias mutuum accipiens non teneatur illud solvere etiam in foro conscientiæ ob S. C. Macedonianum.*
16. *An idem renuntiare possit privilegio S. C. Macedoniani.*
17. *Recensentur tituli, ex quibus in Mutuo aliquid ultra sortem licet accipere.*
18. *Uti & pacta atque contractus de usura suspecti.*
19. 20. *Damnum emergens, & lucrum cessans.*
21. 22. *Atque periculum amittendæ sortis.*
23. *Uti & assecuratio sortis sunt justi tituli aliquid ultra sortem accipiendi.*
24. *Item statutum & consuetudo.*
25. 26. 27. *An emptio censûs realis, etiam ex utraque parte redimibilis, vel ex neutra redimibilis.*
28. *Item an emptio censûs Personalis sit licita.*
29. *An quoque Cambium.*
30. *Et Anatocismus, seu usuræ usurarum.*
31. *Atque Montes Pietatis.*
32. *An etiam emptio chirographi, seu debiti alieni, pro minori pretio, quam sit debitum.*
33. *An ob dilatam solutionem plus exigi, & ob anticipatam minus dari queat.*
34. *Quid sentiendum de pacto, ut mutuum restituatur in eadem sorte, bonitate, & quantitate.*
35. *Ad quid teneatur Mutuatarius, si non sit conventum de restituenda re in eadem quantitate & bonitate, valor autem aut pretium rei interea mutetur.*

36. *An pactum Antichreseos de fructibus rei pro mutuo oppignoratæ percipiendis,*
37. *Et contractus Societatis sit licitus.*
38. *Usurarius manifestus & non manifestus tenetur ad restitutionem ex delicto & contractu.*
39. *Promittens usuras an teneatur solvere.*
40. *An usuras accipiens acquirat eorum dominium.*
41. *Non modò usurarius, sed etiam cooperantes, atque hæredes tenentur acceptas restituere; & quomodo.*
42. *An ad idem obligetur usurarius mentalis.*
43. *Etiam fructus, ex re usuraria fructifera percepti, debent restitui.*
44. *Cui facienda sit restitutio.*
45. *Pœnæ usurariorum.*
46. *Usura est crimen mixti fori.*

§. I.

Quid & quotuplex sit Usura: quo Jure prohibita. Ubi etiam de Mutuo, & Senatusconsulto Macedoniano.

1 SCiendum 1. *Usuram*, in genere ab usu rei dictam, in specie sumi vel *formaliter* pro conventione aut pacto usurario, vel *objectivè* pro fructu, commodo, seu lucro proveniente ex usu rei; sicut furtum subinde sumitur pro actione furandi, & subinde pro re furtiva. Specialiùs adhuc & propriè huic loco accipitur pro *lucro, quod immediatè ac unicè provenit ex Mutuo*, & lucratoria dicitur, quæ quia iniqua est, ac lædit proximum in bonis fortunæ, sicut Rapina & Furtum, ideo his subjungitur. Alio nomine vocatur *fœnus*, atque communiter ex *can. 1. 2. & fin. caus. 14. q. 3.* sic definitur: *est lucrum immediatè ex mutuo proveniens*, seu incrementum, quod præcisè vi mutui exigitur vel accipitur supra *sortem* vel *capitale*, seu ultra id, quod mutuò datum est. v. g. si mutuos dedisti 100. florenos, & post annum ultra hos exigis vel accipis 8. vel 10. florenos: hi 8. vel 10. vocantur *usura* vel lucrum, illi 100. verò *sors*, vel *capitale*. Non tamen necesse est, ut illud lucrum consistat in pecuniis, sed sufficit, si sit alia res pretiò temporali æstimabilis. Ejus proin malitia & injustitia consistit in eo, quòd mutuans, seu mutuum dans, intendat vel paciscatur aliquid accipere, vel accipiat, ultra debitum, vel sortem creditam, à mutuatario, & quidem absque ullo alio titulo, quàm præcisè *Mutui*; si enim ex alio titulo, v. g. lucri cessantis, vel damni emergentis, accipiatur, illud incrementum non tam *lucrum*, quàm *interesse*, seu quod *interest*, appellari solet. Usura, quæ provenit ex Mutuo formali & vero, rectè *Formalis*, quæ verò ex Mutuo virtuali & æquivalenti, quod involvi potest in aliis contractibus, qui in speciem & explicitè celebrantur, *Palliata, Tacita*, aut *Virtualis* rectè vocatur. Unde non malè traduntCanonistæ hanc regulam: *in quocunque contractu pactum de lucro aliquo præter id, quod interest, accedit, Juris interpretatione degenerat in Mutuum, & fictione brevis manûs censetur celebratus alius contractus*, nempe usurarius. Licet si reverà alius contractus, v. g. Emptionis Venditionis, Permutationis, Societatis &c. absque Mutuo implicito celebratus esset, lucrum inde secutum non esset usura: uti nec, si ex Mutuo dato acciperetur, vel intenderetur, aliquid ultra sortem, non tamen tanquam debitum ex justitia, vel ex pacto, sed tanquam liberaliter, aut ex gratitudine datum, vel dandum: neque si à mutuatario petas, ut aliquid det vel faciat, ad quod jam aliunde tenetur, modò non apponas novum onus (ferè sicut de Simonia diximus, cum qua Usura magnam habet connexionem, & similitudinem principiorum, in quibus radicatur) ut si Cajo des mutuum ea lege, ut debitum antiquum solvat, ut tibi restituat famam, quam injustè abstulit, ut cesset te persequi &c. Cùm igitur Usura fundetur in Mutuo, ideo

Sc. 2. *Mutuum*, quod quidem objectivè spectatum dicit rem mutuò datam, formaliter tamen acceptum dicere contractum Mutui, & passim ex *l. 2. §. 1. 2. 3. ff. de reb. cred. & pr. Inst. quib. mod. re contrah. oblig.* definiri in hunc sensum: *est contractus realis, Juris Gentium, nominatus, unilateralis, & stricti Juris, quo res fungibilis in alterum transfertur ea lege, ut res ejusdem generis, quantitatis, & qualitatis, restituatur*, scilicet post aliquod temporis intervallum morale, intra quod mutuatarius re mutuò data uti potuit, non statim. Unde apparet 1. Mutuum dare, & accipere omnes & solos posse illos, qui contrahere, & contrahendo obligari. Speciale aliquid, de quo nos infrà *n. 14. 15.* tribuit Senatus-Consultum Macedonianum filiisfamilias Mutuum accipientibus sine consensu patris. 2. Mutuum non perfici sine actuali traditione rei. 3. & quidem fungibilis, quæ scilicet mutuam functionem recipit, seu substitutionem alterius rei, in suo tamen genere, v. g. pecunias alias pro mutuò datis, & quia hujusmodi res in commercium humanum venire non solent, nisi per quantitatem quæ ponderatur, numeratur, vel mensuratur, ideo appellantur etiam *quantitates*, atque consistunt in pondere, numero, vel mensura, uti sunt pecunia, vinum, frumentum, oleum, cerevisia, panis, caro &c. 4. quòd transferatur dominium in mutuatarium. 5. eique imponatur obligatio restituendi rem in eodem genere: scilicet, si pecuniam accepit mutuam, reddere debet pecuniam aliam, si vinum, tunc vinum; quia, si contrahentes paciscerentur, ut redderetur res diversi generis, v. g. vinum pro frumento, potiùs Permutatio quàm Mutuum foret. Si verò eadem res in specie, v. g. pecunia ipsa, quæ fuit mutuò accepta, eò quòd per accidens defuerit occasio eâ utendi, redderetur, satisfieret obligationi, nec haberet mutuans, cur conquereretur. 6. quòd in eadem quantitate, & qualitate, h. e. tantundem & æque bonum reddi debeat, quantum & quale fuit datum. Verùm hæc potiùs ad naturalia Mutui, quàm ad essentialia pertinent. per *l. 3. l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.* & hinc à quibusdam in definitione Mutui omittuntur.

Porro

Porro qui dat Mutuum, *Mutuans* vel *Creditor*, qui verò illud accipit, *Mutuatarius* dicitur, sicut qui accipit comodatum, commodatarius, qui accipit depositum, depositarius, qui usumfructum, legatum, mandatum, usufructuarius, legatarius, mandatarius vocatur, & plerúmque per vocem, quæ terminatur in *arius*, indicatur ille, qui accipit, vel cui datur aliquid. *Mutuum* verò & *Creditum* in Jure non rarò sonant idem. Actio, quæ ex Mutuo oritur mutuanti adversùs mutuatarium, dicitur vel *actio Mutui*, vel magis Juridicè *conditio certi ex Mutuo. pr. Inst. quib. mod. re contr. obl.* quia scilicet certa quantitas condicitur seu petitur, ut nempe tantundem in eodem genere & qualitate reddatur, utì est acceptum. Hæc actio est Civilis, personalis, rei persecutoria, stricti Juris, perpetua, & utrinque transiens ad hæredes. Si Mutuum est datum personæ privilegiatæ, puta Ecclesiæ, Civitati, Pupillo, Minori, saltem si sine solennitatibus requisitis, hæc actio moveri cum effectu non potest, nisi actor probet, creditum in illarum utilitatem esse versum. per *c. 2. de solut. l. 27. ff. d. reb. cred. l. 3. C. quando ex facto Tutor.*

3 Sc. 3. Usuram dividi 1. in Mentalem, & Realem, seu, ut aliqui vocant, Conventionalem. *Mentalis* non est illa, quæ consistit in sola voluntate interna capiendi lucrum ex Mutuo, quin ullus ponatur actus externus, & rectiùs *Interna* nuncupari meretur, utì de Simonia dictum, sed tunc datur, quando sine ulla conventione aut pacto aliquis dat mutuum, ea tamen intentione ac mente (exteriùs non manifestatâ) ut aliquid recipiat ultra sortem, seu lucrum, non merè gratuitò, sed ex obligatione, & ut debitum sibi solvendum. *c. 10. h. t.* & ibi DD. *Realis* seu *Conventionalis* est, quando quis mutuat intervenientе pacto de lucro, seu de re temporali (si enim pactum foret de re spirituali danda, esset potiùs Simonia) ultra sortem, seu summam creditam, post annum danda, v. g. ut ultra 100. mutuatos reddantur 10. Si expressè & disertis verbis exigitur aliquid ultra sortem, pactum est expressum, & *usura expressa formalis, & manifesta*: si verbis obliquis, v. g. si Mutuans dicat: confido, meam pecuniam non reversuram vacuam &c. vel ex circumstantiis colligi possit imposita Mutuatario obligatio, vel exigatur aliquid ultra summam mutuatam sub specie aut pallio alterius contractûs, v. g. emptionis-venditionis, pactum est tacitum & virtuale, usura verò *tacita*, *virtualis*, *palliata*. Dividitur 2. in *Lucratoriam*, quæ est verè & strictè usura, ac superiùs à nobis definita, quando vi solius Mutui intenditur vel capitur lucrum: in *Compensatoriam*, quando non præcisè titulò Mutui, & ut merum lucrum, aliquid ultra sortem exigitur vel accipitur, sed ex alio titulo, puta lucri cessantis, damni emergentis, periculi in amittenda summa credita, laboris vel expensarum, quæ in recuperando Mutuo fieri probabiliter debent: & in *Punitoriam* seu *Moratoriam*, quando aliquid ultra sortem petitur non ut lucrum, sed ut pœna, scilicet ob culpabilem moram Mutuatarii præfixo tempore non reddentis mutuò acceptum. Dividitur 3. ratione actionis in centesimas, bessales, semisses, quincunces, quadrantes, trientes: *Centesimæ* sunt, quando pro 100. quolibet anno exiguntur 12. ita ut singulis mensibus pro centum solvi debeat unus florenus, qui est centesima pars respectu centum; *Bessales*, quando pro 100. petuntur 8. nam bes dicit octo uncias seu partes: *Semisses*; quando 6. quia semis dicit mediam partem de duodecim: *Quincunces*, si 5. *Quadrantes*, si 3. & *Trientes*, si 4. accipiantur pro 100. Valens. *h. t. §. 2. n. 4.* quia ter quatuor, & quater tria conficiunt duodecim seu totum in 12. uncias divisum.

Dico 1. Nomine *lucri*, à quo denominatur 4
usura Lucratoria, intelligitur omnis res temporalis, pretio æstimabilis, quæ ultra sortem mutuatam exigitur vel accipitur vi pacti & ex obligatione de novo imposita Mutuatario, sive sit pecunia, sive frumentum, sive obsequium alias indebitum &c. Textus clari *in can. 1. seqq. caus. 14. q. 3.* & Doctores communiter, qui indè inferunt, usurarium esse. 1. si mutuans obliget mutuatarium, ut sibi præstet aliquod obsequium aliunde non debitum, v. g. intercessionem vel commendationem apud Principem pro impetrando certo favore: ut sibi deferat aliquem honorem externum, ad quem antecedenter non fuit obligatus mutuum accipiens: ut sibi remittat obligationem restituendi famam, vel injuriam, omissa actione injuriarum, mutuatario antè illatam &c. 2. si mutuans exigat beneficium aliquod, vel munera, quibus ex gratitudine compenset mutuatarius beneficium per creditas pecunias sibi impensum, vel ut speciali modo teneatur benevolus esse mutuanti &c. Patet ex damnata ab Innoc. XI. hac propositione ordine 42. *Usura non est, dum ultra sortem aliquid exigitur tanquam ex benevolentia & gratitudine debitum, sed tantùm si exigitur ex justitia debitum.* Aliud foret, si gratitudo tantùm in genere exigeretur, utpote quæ per se obligat accipientem beneficium, ut sit gratus: vel si gratitudo determinatè etiam per munuscula, singularem benevolentiam &c. sibi propter mutuum datum exhibenda præcisè speraret, & intenderet mutuans, etiam principaliter, at citra voluntatem obligandi mutuatarium ad similia determinatè ex gratitudine exhibenda. 3. si mutuans paciscatur, ut mutuatarius deinceps obligatus sit, ut sibi potiùs, quàm alteri, suas operas, vel ædes locet, prædium vendat, panem, vinum, merces alias ex sua taberna vel officina emat, suum molendinum, vel suas scholas accedat, sibi remutuet, seu aliam rem, v. g. frumentum, vicissim mutuet mutuatarius &c. si nimirum mutuans ista exigat tanquam pretium, & ex obligatione deinceps præstanda. Aliud iterum foret, si hæc non exigerentur in futurum tanquam pretium mutuationis, sed tanquam

mera conditio, sine qua non daretur mutuum, nisi nempe alter in præsenti vellet mutuanti præstare aliud beneficium, viciſſim dare mutuum &c. quia non tenetur quis dare mutuum alteri, & hoc ei beneficium exhibere, quem videt esse ingratum, vel nolentem sibi viciſſim benefacere. Molina *tr. 2. de J. & J. d. 308. n. 7.* Pirhing *h. t. n. 26.* Aliud nempe est exigere aliquid in futurum, quo inducitur obligatio, & aliud de præsenti, quo non imponitur obligatio nova, sed solùm attenditur ut *conditio, sine qua non.* Unde nec usurarium est, si uterque de præsenti conditionatè se obliget in futurum, v. g. sic dicendo, *obligo me ad mutuandas tibi pecunias, si te viciſſim obliges ad mutuandum mihi triticum.*

5 Dico 2. Usura *Lucratoria* graviter est prohibita de Jure Canonico. 2. Quamvis permissa, imò fortè & approbata, à Jure Civili, saltem Antiquo, si moderata sit. Pars 1. est indubitata ex *can. 2. d. 47. can. 1. seqq. citt. t. h. t. X. & in 6. Clem. un. §. fin. eod.* ibi: *siquis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuras non esse peccatum, velut hæreticum puniendum &c.* Pars 2. sumitur ex *l. 1. l. 26. &c. C. h. t.* ubi datur actio ad petendas usuras, per stipulationem promissas, quod indicat, non merè toleratas & permissas, sed etiam approbatas fuisse usuras à Jure Civili. Concordat *l. 29. ff. eod.* ubi tantùm immoderatæ usuræ, ac usuræ usurarum prohibentur, non aliæ. Nisi contendas & evincas, ibi sermonem esse de usuris Compensatoriis: & ideò addidi *fortè.* Dixi quoque, *saltem Antiquo;* nam in *Novell. 131. c. 1.* Justinianus voluit servari Regulas quatuor Conciliorum Generalium primorum, inter quod etiam est Nicænum, quod *can. 2. d. 47. cit.* relatum jam damnavit usuras, saltem in Clericis. Quid autem tenendum sit de moderno Jure Civili, à quo permittuntur indistinctè 5. pro 100. paulò pòst mentem meam aperiam.

6 Dico 3. Usura Lucratoria etiam Jure Divino. 2. imò & Naturali prohibita est. Pars 1. liquet tum ex *c. 3. 4. h. t.* ubi dicitur, usuras esse condemnatas *utriusque Testamenti paginâ, tam in Novo, quàm in Veteri Testamento:* tum ex Scripturæ textibus Testamenti Antiqui: *ne accipias usuras ab eo, nec amplius, quàm dedisti - - pecuniam tuam non dabis ad usuram. Levit. c. 25. v. 36. Non fœnerabis fratri tuo ad usuram pecuniam &c. Deut. 23. v. 19. Vidi iniquitatem in civitate - - non defecit in plateis ejus usura, & dolus. Psal. 54. v. 10. 12.* Et Novi, in quo Christus *Luc. 6. v. 35.* dixit: *mutuum date, nihil indè sperantes.* Pars 2. probatur 1. quia SS. Concilia, & Summi Pontifices ex Veteri Testamento adstruunt iniquitatem usurarum, ut patet ex *citt. canon. & cc.* atqui non aliæ Leges Veteris Testamenti post Christi adventum perduràrunt, nisi *Morales*, & fundatæ in Lege Naturæ: ergo. 2. Jure Naturali prohibitum est capere lucrum ex re aliena, & non amplius sua: sic illicitum foret, si pro usu equi, quem per venditionem jam transtulisti in alium, aliquid exigeres: sed res mutuò data non amplius est mutuantis, sed mutuatarii, adeóque aliena: ergo. 3. Jus Naturale prohibet aliquid exigere sine titulo justo: atqui exigens vel accipiens aliquid ultra sortem creditam exigeret vel acciperet illud sine justo titulo; quia ponitur in casu, quòd non adsit titulus damni emergentis, lucri cessantis, periculi &c. & mutuans pecuniam de se non fructiferam reliquisset aliàs otiosam in cista: pro ipsa autem re mutuò data, cùm hæc ad æqualitatem sit restituenda, aliquid ultra accipiendi utique titulus justus non est: neque propterea datur justus titulus, quòd ad tempus carere debeas pecuniâ creditâ, utpote sterili: neque exinde, quòd illa fructificet mutuatario; aliàs venditor quoque ultra justum mercis pretium posset aliquid exigere ex eo capite, quòd merx aliquam utilitatem afferat emptori: neque titulum justum præbet onus numerandi pecuniam, quæ datur mutuò; quia hoc onus secum fert ipsa substantia mutuationis, sicut pro ipsa venditione, vel onere ei intrinsecè annexo, ultra justum pretium nihil exigi potest. Si tamen labor numerandi esset valde notabilis, pretium seu merces pro labore, alteri locato, exigi quidem posset, non tamen vi Mutui lucrum. *Nav. in Man. c. 17. n. 209. f.*

Oppones 1. In Veteri Testamento Deus quidem prohibuit usuras accipere à fratribus seu filiis Israël, permisit tamen ab alienigenis & Gentibus: *non fœnerabis fratri tuo ad usuram - - - sed alieno. Deut. lo. cit.* Imò *Deut. 28. v. 12.* videtur id præcepisse dicens: *fœnerabis gentibus multis.* 2. In Novo autem Testamento Christus videtur usuras apertè approbare, dum in persona patrisfamilias reprehendens servum pigrum *Matth. 25. & Luc. 19.* dixit: *quare non dedisti pecuniam meam ad mensam, ut ego veniens cum usurâ utique exegissem illam?* Saltem illas non prohibuit, dum *Luc. 6.* per modum consilii pronuntiavit: *Mutuum date, nihil indè sperantes.* 3. Usuræ non petuntur vel accipiuntur, nisi volente & consentiente mutuatario: ergo sine injuria & injustitia; quia liberè consentienti non fit injuria. 4. Licitum est exigere pretium, & lucrum capere, ex opera mea in alterius favorem impensa; cùm nemo teneatur alteri gratis laborare: ergo & ex pecunia in favorem & usum alterius concessa; cùm in *l. 5. §. 1. ff. pro Socio* æquiparentur pecunia & opera. 5. Si alteri concedas usum vasorum argenteorum, potes aliquid exigere tanquam lucrum: ergo &, si concedas usum monetæ argenteæ. R. ad 1. Vel Deus tantùm permisit Judæis, ad usuras valde pronis, ut eas à Gentibus exigerent, ad vitandum majus malum, ne à fratribus exigerent; vel pro potestate supremi dominii, quod Deus habet in res hominum omnium, concessit Judæis, ut ex contractu Mutui à Gentibus caperent lucra, & vindicarent injurias; sicut vi ejusdem

dem dominii iisdem permisit spoliare Ægyptios bellò & armis auferre res regionesque alienigenarum. Ad 2. In priori textu usuræ accipiuntur in sensu metaphorico pro augmento meritorum, ad quod Christus exhortari nos voluit similitudine avarorum hominum, lucra terrena quoquo modo avidè quærentium. In posteriori, licèt quoad primam partem, *mutuum date*, extra casum valde gravis necessitatis proximi non contineatur præceptum, continetur tamen prohibitio quoad alteram partem, *nihil inde sperantes*, uti est communis interpretatio Catholicorum, & ipsius Ecclesiæ *in c. 10. h.t.* ferè sicut in hoc textu, *vovete, & reddite Domino DEO vestro. Psal. 75.* priora verba consilium, & posteriora præceptum continent. Ad 3. Non omninò liberè consentit in usuras mutuatarius, sed coactus tum suâ indigentiâ, tum mutuantis avaritiâ, aliter mutuum non dantis, nisi sub usuris. Malitia usurarum consistit in eo, quòd mutuans intendat obligare ad illas solvendas: igitur consensus mutuatarii eam non tollit præsertim extortus necessitate consequendi mutuum. Ad 4. *N. Cons. & parit.* quia hominis opera de se est apta proferre fructum & lucrum, pecunia verò non absque hominis opera & industria, utpote ex se sterilis, sicut aliæ res fungibiles, quæ ipso usu consumuntur, & extra usum utilitatem non afferunt, ac solæ sub mutuum cadunt. Ad 5. iterum *N. Cons. & parit.* quia vasorum dominium manet penes dantem, nec illa usu consumuntur, sicut res fungibiles mutuò datæ: igitur vasa hæc locantur pro mercede, non mutuantur, sicut nummi argentei, quorum dominium, consequenter & omnis utilitas, transfertur in mutuatarium.

8 Dico 4. Usura *Lucratoria* minùs strictè sumpta, & Jure Naturali & Divino prohibita, probabiliter non est ita absolutè prohibita, ut à Magistratu Humano per Statutum (idem est deConsuetudine, lege non-scripta, quæ vim suam habet à consensu Legislatoris Humani, & à causa, ex qua redditur rationabilis) in quibusdam circumstantiis & ex causa publica permitti non possit tanquam licita; modò sit moderata, & aliunde non repugnet Charitati erga proximum à Jure Naturali ac Divino præceptæ. 2. Imò defacto in Imperio Romano existit hujusmodi Statutum, & Consuetudo, permittens usuras quincunces, seu 5. pro 100. ex Mutuo, quin probari debeat ullus alius titulus damni emergentis, lucri cessantis, periculi amittendæ sortis &c. Hæc assertio saltem quoad priorem partem est quidem contra comunem, maxime Theologorum, eidem tamen patrocinantur cum Emman. Saa præstantissimi Theologi, Adam. Tannerus *to. 3. d. 4. q. 7. dub. 3. n. 79.* & Haunold. *de J. & J. to. 3. tr. 9. n. 421.* ac teste Tannero *lo. cit.* multi Scholastici; ut taceam Theologos Heterodoxos, quos hac in re parvi facio: ex Juris-Consultis autem acutissimus D. Gletle *in Assert. Jurid. assert. 54.* licet olim contrarium docuisset, Molinæus, Hugo Donell. Hotoman. Jac. Curt. Matth. Coler. & Alph. Villagut. Neapolit. *de Usuris q. 13. concl. 4.* aliique apud & cum Petro Heigio *in QQ. Juris p. 2. q. 1. per tot.* ubi hanc materiam fuse tractat. Addidi tamen, *modò sit moderata, & aliunde non repugnet charitati* &c. Adeóque puto, stante tali statuto vel consuetudine non quidem peccari contra Justitiam, saltem si usuræ non sint ita excessivæ, ut causa publica, spectans bonum Reipublicæ, eas permittendi vere adhuc subsistat; charitatem tamen in particularibus cæsibus lædi posse: ut si valde pauperes per usuras seu lucrum, ex Mutuo solvendum mutuanti, ad mendicitatem inevitabili necessitate redigerentur: quo casu sicut obligatorium videtur esse dare mutuum, ita etiam Jure Naturali & à lege charitatis prohibitum exigere usuras. Dixi notanter, *minùs strictè sumpta*, eò quòd tale auctarium, à statuto vel consuetudine permissum, non tam ex Mutuo, quàm occasione Mutui ex dispositione Juris videatur recipi posse; ferè sicut usura compensatoria, quæ accipitur ratione damni emergentis, vel lucri cessantis, non est propriè & in stricto rigore usura, eò quòd non immediatè ex Mutuo, sed ex alio titulo justo, qualem & statutum quoque vel consuetudinem esse censeo, auctarium petatur. Atque sic nostram Assertionem intelligi à Tannero *n. 74. 75. 77. 79. lo cit.* & ab iis, quos citat, nempe S. Antonino, Major. Gabr. Covarruv. Molin. &c. Item ab Haunoldo, patet ex doctrina, quam tradit *num. præcedd. c. 3. § 3. & §. 8.* ubi consuetudinem agnoscit inter legitimos aliquid ultra sortem exigendi titulos. Quòd verò salvâ Justitiâ vi statuti vel consuetudinis universaliter exigi possint usuræ moderatæ (in dicto sensu) à statuto vel consuetudine determinatæ, consequenter quòd conditionatè tantùm, videlicet nisi legitimus Magistratus ex causa publica aliud ordinet, à Naturali ac Divina lege sint prohibitæ, nunc probandum est, Itaque

Probatur *Prima* pars 1. Penes Rempublicam datur dominium altum rerum & bonorum ad privatos pertinentium, ita ut ex causa publicum bonum concernente de iis citra ullius injuriam possit disponere Magistratus, prout bono communi utile vel necessarium est, ut nemo negaverit: ergo, si adest causa publica, idque bono communi vel utile vel necessarium judicatur, etiam potest disponere, ut ex mutuò datis rebus lucrum aliquod moderatum obveniat mutuanti, eique fructificent res non amplius suæ, sicut per usum eorum, quem alteri sponte concessit, fructificant mutuatario; ergo Jus Naturale & Divinum conditionatè tantùm, & nonomnino absolutè, prohibuit usuras, sed sub conditione, nisi nempe Respublica, vel Magistratus, in cujus dominio alto res & bona privatorum existunt, aliud ordinandum judicaverit propter bonum comune. Confirmatur 1. DEus recte permisit Judæis usuras exigere ab alienigenis, quia habet supremum domi- 9

dominium & absolutum in omnes res hominum, & sic clarè patet, quòd Jure Naturali absoluto non sint prohibitæ Usuræ: ergo etiam Magistratus Humanus rectè permittit usuras moderatas propter bonum publicum, quia habet dominium altum, licèt restrictum ad existentiam causæ publicæ, in omnes res privatorum hominum, Reipublicæ membrorum. Confirmatur 2. à pari cum Præscriptionis Lege: quamquam Jus Naturale in thesi vetet, aliquem locupletari ex alieno, & rei alienæ per illius possessionem fieri dominum, tamen Magistratus Humanus per Legem Præscriptionis dominium rei alienæ debito tempore & modo possessæ transfert â domino in possessorem, ut iste in utroque foro, tam interno, quàm externo eam retinere, & sic ex alieno locupletari possit, scilicet ob dominium altum Reipublicæ, adeóque Jus Naturale fuit solùm conditionatum: ergo etiam, quamvis Jus Naturale prohibeat usuras, seu lucrum ex re non ampliùs sua, rectè tamen illas permittit ex causa publica ob dominium altum Respublica per statutum, vel consuetudinem: consequenter Jus Naturale solùm in thesi & conditionatè, non in hypothesi & absolutè pro omnibus circumstantiis, prohibet usuras. Si igitur ostendatur causa justa & publica, seu publicam utilitatem vel necessitatem concernens, omnino admittendum videtur statutum vel consuetudo usuras permittens. Sed hanc non est difficile ostendere, eámque multiplicem; talis enim est 1. *Evitatio litium* (quæ etiam communiter assignatur & pro sufficienti habetur in Præscriptione) si enim necessariò requireretur titulus lucri cessantis, damni emergentis, periculi amittendæ sortis &c. aut prævia probatio ejus, *quod interest*, litium non foret finis, cùm talis titulus deberet probari, & â mutuatariis, qui ægrè solvunt usuras, adesse passim negaretur. 2. *Facilitas obtinendi mutuum*, quæ sicut bono communi & Reipublicæ membris est valde utilis, & in casibus indigentiæ necessaria, ita est valde optabilis communitati & Reipublicæ, consequenter & statutum vel consuetudo hanc facilitatem procurans: si enim homines nihil lucri ferrent ex mutuo dato, vix reperire esset, qui necessitatem patientibus vellent dare mutuum, refrigescente nimiùm charitate, sed mallent pecunias, etiam otiosas, habere apud se retentô dominiô, quàm apud alium eô translatô: quod Reipublicæ summopere foret noxium. 3. *Subsidium* ex usuris obveniens Ecclesiis, locis Religiosis, viduis, pupillis, & personis miserabilibus, quæ per se ipsas non possunt negotiando lucrum capere ex suis pecuniis: si tamen eas dent aliis, qui ex earum usu lucrum faciunt, sustentari & conservari possunt; quas conservari & sustentari interest Reipublicæ. 4. *Tranquillitas conscientiarum*; cùm aliàs, si necessarius foret alius titulus, facilè multi orirentur scrupuli. 5. *Præsumptio generalis*, eáque duplex, quarum unâ præsumitur, in mutuante regulariter & ordinariè adesse justum alium titulum aliquid accipiendi ultra sortem. *Recess. Imper. Spirens. de ann. 1600. §. 152. l. 7. §. 3. ff. de administ. tut.* alterâ, in mutuatario adesse opportunitatem lucrum faciendi ex re mutuò accepta; nam neque pecunia ita sterilis est, ut accedente hominis industriâ non minus fructificare possit, & utilitatem afferre, ac domus, equus, ager, fundus &c. qui etiam sine opera hominis steriles sunt: adeò ut etiam in pecunia quasi usufructus constitui valeat. *l. 1. l. 2. ff. de usufr. ear. rer. quæ us. consum.* Atqui lex vel statutum fundatum in præsumptione generali, ac in ordinariè contingentibus, rectè fertur, & vim habet pro omni casu, etsi in quibusdam casibus particularibus cesset illa ratio, in qua fundatur universaliter illud statutum, utì dictum est ad *Tit. II. lib. 1. n. 39.* de Lege in Præsumptione fundata. Pars *secunda* claret ex Recessibus Imperii de anno 1500. 1530. 1548. Augustæ, & anno 1570. sub Maximiliano II. & 1600. sub Rudolpho II. utì & ex communi praxi.

Oppones 1. Usura Lucratoria prohibetur Jure Naturali. 2. & Divino in S. Scriptura: ergo licitæ reddi nequeunt per Legem Humanam, vel Consuetudinem. 3. in Concilio Viennensi, ut habetur *Clem. un. h. t.* omnia statuta, usurarum exercitio faventia, sunt proscripta ac vetita Principibus & Magistratibus, ac insuper, qui eas existimaverit licitè exerceri posse, tanquam Hæreticus dicitur puniendus: ergo Principibus circa usuras non major est potestas concessa, quàm circa Hæresim, circa quam nihil possunt. 4. nec Pontifex dispensando reddere potest usuras licitas. *c. 4. h. t.* ex ea ratione, quia usuræ sunt similes mendacio; addit enim Papa Alexander III. *cùm Scriptura Sacra prohibeat pro alterius vita mentiri: multò magis prohibendus est, ne etiam pro redimendâ vita captivi usurarum crimine involvatur.* 5. Respublica nequit onus imponere subditis, nisi id aliunde compensetur: sed solventi usuras nihil aliunde compensatur; ergo nemini potest imponere onus solvendi usuras. 6. cum Præscriptione non est paritas; nam ibi antecedenter ad concessionem Principis fine peccato inchoatur, utpote necessariò supponens bonam fidem in possessore rei alienæ, qui hanc præscribit: usura verò antecedenter ad concessionem Principis non exercetur sine peccato injustitiæ. Deinde in Præscriptione etiam materia proxima, scilicet possessio rei alienæ, subest dominio alto Principis: in usura verò materia proxima, quæ est lucrum ex re sterili, scilicet pecuniâ, non subest dominio alto Principis. 7. Princeps nequit immutare naturas rerum, atque rem infructiferam reddere fructiferam: sed pecunia, mutuò data, ex natura sua est res infructifera: ergo. 8. consuetudo & statutum, vi cujus permittuntur usuræ, est valde noxium Reipublicæ; cùm indè multi subditi emungantur omnibus fortunis, & ad incitas redigantur: ergo non cedit in utilitatem, sed in perniciem Reipublicæ. 9. hujusmodi consuetudinem non approbat Respublica, sed præcisè tolerat, cùm ob hominum avaritiam impedire nequeat. 10. si talis consuetudinis, vel statuti, non accipitur aliquid

aliquid ultra sortem ratione mutui, sed ratione alterius contractûs, v. g. censualis: sed hoc modo non approbantur usuræ, quæ necessariò proveniunt ex Mutuo. 11. Recessus Imperii non aliter indulgent 5. pro 100. seu *censum Germanicum*, ut vocant, quàm quia præsumunt lucrum cessans vel alium similem titulum in mutuante. Sic enim habent editi in Comitiis Spirensibus de anno 1600. §. So vil nun 152. So vil nun diesem nach der Vermuethung halber (ratione præsumptionis) daß der Creditor sein Geld von solcher Zeit an anlegen/ und zugelassener Weiß zum wenigisten vom hundert Gulden fünff wohl haben möge &c. ergo, si in aliquo casu, uti contingere potest, v. g. siquis per hypothecam vel pignus, assecuretur de sorte, nullum ex dato mutuo patiatur damnum, nullum ex retenta pecunia, quam servaret aliàs otiosam in cista, faceret lucrum &c. hæc præsumptio & causa cessat, desinit usura esse licita, & nullum ex Recessibus Imperii habet patrocinium.

11 R. ad 1. & 2. Usura lucratoria est prohibita Jure Naturali & Divino conditionatè, & quando fraus, vel avaritia, aut crudelitas intervenit, item quando usura est excessiva, vel *mordens*, ut vocatur, seu nimiùm gravans cum pressura proximi & læsione charitatis, uti indicant verba Hebraica *Neschech*, latinè morsus, & *Mittioch*, latinè fraus, quibus *Deut. c. 23. v. 19. Exod. 22. v. 25. Psal. 14. v. 5. & Psal. 71. v. 14.* notatur & appellatur usura, ut notat *Heigius lo. cit.* non verò absolutè, & quando fraus, avaritia, pressura proximi, & læsio charitatis abest, atque usura moderata exigitur secundùm statuta & consuetudines locorum. Ad 3. Illa prohibitio intelligenda est de statutis, quibus improbum fœnus, usura excessiva, mordens, cum læsione charitatis &c. permitteretur, non de moderata, ex justis causis ob bonum publicum per statutum permissa; quod Ecclesia prohibere non potuit, nec voluisse credenda est; cùm Reipublicæ â Deo competat dominium altum in res subditorum, in quo fundatur tale statutum: quare nec paritas est cum Hæresi, circa quam nec Humano nec Divino Jure ulla Sæcularibus Principibus competit jurisdictio. Ad 4. Aliud est dispensare ex causa privata, seu alicujus privati bonum spectante, ut recipiat usuram, nulla lege permissam, nullóque jure vel titulo exactam, & aliud ex causa publica usuram moderatam facere licitam ob dominium altum: illud nemo potest, etiam Papa, istud quilibet Princeps in suo territorio. Cum mendacio non convenit usura moderata ob bonum publicum permissa, cùm illud absolutè sit prohibitum Jure Naturali, eò quòd locutio contra mentem non pendeat ab alto Magistratûs dominio, sicut res Fortunæ: licèt paritas esse possit, si usura spectetur ut læsiva charitatis, excessiva, mordens, & nullo statuto aut consuetudine legitimâ honestata. In quo sensu etiam cum Hæresi procedit aliqua paritas. Ad. 5. Compensatio fit Reipublicæ, in cujus bonum permittitur moderata usura: quod præferri debet bono privato singulorum: imò tale statutum antecedenter omnibus est optabile, cùm singuli possint indigere Mutuò, quod non facilè consequerentur, nisi aliquam mutuans sperare posset utilitatem. Ad 6. Omnino est paritas cum Præscriptione. Sufficit, quòd bona fide & absque peccato accipiatur usura, postquam rationabile statutum, vel consuetudo, illam concesit & determinavit: sicut sufficit in Præscriptione, acquirere dominium rei bona fide & debito tempore possessæ post latam Præscriptionis legem, antecedenter ad quam talis acquisitio foret injusta ac illicita æquè, ac usura antecedenter ad statutum vel consuetudinem. Dein P. Schmier, qui *de Delictis p. 2. c. 2. n. 52.* hæc objicit, possessionem rei perperam vocat *materiam proximam* Præscriptionis, cùm ea potius ad formam Præscriptionis tanquam essentiale constitutivum pertineat: item *lucrum* malè vocat *materiam proximam* usuræ, cùm sit ipsa Usura, & effectus Mutui. Præterea possessio rei alienæ, quam Jura præscribi permittunt tribuendo etiam illius dominium, non est magis in dominio alto Reipublicæ, quàm lucrum ex re aliena; cùm omnia bona Fortunæ sint in dominio alto Reipublicæ, ac proinde non minùs lucrum ex re aliena perceptum in Usura, quàm dominium rei alienæ acquisitum in Præscriptione. Ad 7. *N. Min.* quamvis enim pecunia in se, & quando nec opera hominis, nec dispositio legis accedit, sit infructifera, tamen fit fructifera per accessum operæ humanæ, uti domus, ager &c. item accedente statuti vel legis dispositione, lucrum priori domino indè concedentis, sicut præscribenti lex concedit ipsum quoque dominium rei alienæ contra priorem dominum. Ad 8. *N. Ant. & Conf.* Ratio negandi patet ex nostris probationibus: certè longè plus damni redundaret in Rempublicam, si indigentiâ pressi non possent consequi mutuum, uti non facilè consequerentur, si mutuantes nihil ex dato mutuo sperare possent utilitatis. Unde in hoc sensu apud *cit.* Heigium non malè dixisse videtur Baal in *c. 1. de Jurejur. & l. 1. C. de Summ. Trinit.* optandum esse multos hodie inveniri fœneratores, ne multi fame pereant. Et Alciat. *in d. l.* publicè interesse, dispositionem Civilem de modo usurarum in usum revocari, idque probat Molinæus *in tract. de Usuris n. 77.* & laudat Matth. Coler. *de Process. Execut. p. 1. c. 10. n. 68. 71. 72.* Dein non magis exhauriuntur bonis subditi per usuras à lege vel consuetudine permissas, quàm per eas, quas permittunt alii tituli, puta lucri cessantis &c. Ad 9. Quòd Respublica positivè approbet, indicat satis statutum, & praxis tribunalium, auctaria ex Mutuo creditoribus adjudicantium sine ullo respectu, aut prævia probatione alterius tituli: imò ipsa Respublica celebrat contractus Mutui, & inde aliquid ultra sortem recipit. Ad 10. *N. Ma.* quia solius Mutui causâ, sine mentione vel exigentia alterius contractûs, permittunt statuta, & consuetudines, moderatum lucrum. Dein vel in emptione Censûs,

alienis bonis solvendi, adest aliquis alius titulus v. g. lucri cessantis, damni emergentis &c. propter quem petitur census ex re aliena propter datas alteri pecunias, vel non? Si adest alius titulus præter titulum emptionis hujus Censûs argumentum non stringit, quia ex simili titulo etiam in Mutuo juxta omnes aliquid exigi potest tanquam *interesse*: si nullus adest, tunc re ipsa idem fit in emptione Censûs, quod in contractu Mutui, & re ipsa ex re aliena percipitur fructus sine titulo alio, quàm contractûs: cur ergo potiùs ex contractu Emptionis liceat aliquid ultra datam alteri summam pecuniæ accipere, quàm ex contractu Mutui? Certè tantùm mutantur nomina contractuum, re ipsa autem idem fit: at non est credibile, quòd Natura & Deus prohibeant aliquid lucrari ex celebrato contractu Mutui, permittant verò ex contractu Emptionis, si in utroque absque ullo alio titulo, præter titulum contractûs, potiùs nomine quàm re diversi, accipiatur aliquid ultra sortem datam: ex quo sequeretur, solos simplices, qui ignorant contractum Censualem, & appellant contractum Mutui, quem peritiores vocant contractum Emptionis Censûs committere usuram illicitam: quod est absurdum. Ad II. Jam dixi, quòd lex fundata in præsumptione universali, & in bono publico, non cesset in casibus particularibus, licèt per accidens in iis præsumptio, & ratio præsumptionis cesset, ut patet in lege irritante Matrimonia clandestina, quæ fundatur in præsumptione universali fraudum: quæ lex non cessat, licèt per accidens in casibus particularibus cesset omne periculum fraudis, cùm maneat veritas præsumptionis generalis fraudum, in qua fundatur. Id quod etiam declarat praxis; nam neque Judices examinant, an in casu Mutui adfuerit titulus lucri cessantis, in cujus præsumptione fundantur Recessus Imperii, nec fideles, etiam timorati, & Religiosi, attendunt, utrùm adsit alius titulus, specialiter lucri cessantis, quando dant mutuas pecunias, cum quibus non negotiarentur, sed asservarent otiosas, & indè lucrum accipiunt 5. pro 100. & solùm tunc putant se peccare, & puniuntur, quando ultra hoc lucrum, statuto & consuetudine permissum, absque alio titulo aliquid accipiunt.

12 Dico 5. Usura *Punitoria* seu *Moratoria* omni Jure justa & licita est, sive dein pœna in morosos mutuatarios constituta sit à lege, statuto, vel consuetudine, ut facilè concedunt omnes; sive ex conventione & mutuo consensu contrahentium imposita; licèt ex dilatione solutionis nullum patiatur damnum emergens, nullum lucrum cessans, qui mutuum dedit, ut contra Scotum & alios veteres sentiunt cæteri plerique. Ratio, quia exactio hujusmodi pœnæ conventionalis nec Jure Naturali nec Positivo est prohibita, ac insuper servit ad firmandos contractus, eósque certiùs executioni mandandos. *c. 4. de Arbitr. l. 14. C. de Pactis.* Ut autem hæc pœna conventionalis justè exigi valeat, requiritur 1. ut absit omnis fraus, qualis committeretur, si tempus breve nimis, intra quod sortem à debitore exhiberi verisimiliter non posse scitur, præfigeretur, 2. ut mutuatarius verè sit in culpa, vel nolendo solvere tempore præfixo, vel, ut tenet probabilior, culpabiliter impotentem ad solvendum se reddendo; ubi enim culpa non est, locus pœnæ non est. 3. ut mora non modò sit culpabilis, sed etiam notabilis. 4. ut pœna sit moderata, & proportionata culpæ. Siquid ex his desit, præsumitur fraus, & intentio palliandi iniquitatem usurariam.

Dico 6. Usura *Compensatoria*, quæ solvitur ratione *interesse*, & per modum compensationis pro damno, quod ex dato mutuo patitur creditor, vel pro lucro, quod eidem inde cessat &c. pariter omni Jure est justa & licita, ut convenit inter DD. quia æquum non videtur, ut alicui damnosum sit beneficium, quod alteri præstat. Nec debitor ægrè ferre debet, si teneatur benefactorem suum servare indemnem. *l. 7. ff. quemadm. testam. aperiant.* Ratione *interesse* autem varii sunt tituli aliquid exigendi, de quibus §. *seq.* Interim

Dico 7. Filius familias sine consensu patris mutuum accipiens, licèt jam sit majorennis, in foro externo tutus est, & ad reddendum mutuum efficaciter urgeri non potest. 2. imò probabiliùs etiam in foro interno tutus est in casibus, in quibus uti potest in foro externo Exceptione Senatusconsulti Macedoniani, 3. qua exceptione interveniente etiam licitè retinet id, secundùm quod factus est ditior ex mutuo. Pars 1. habetur *l. 1. ff. & C. de S. C. Macedoniano*, ubi Creditoribus negatur Actio efficax, & Filiisfamilias conceditur perpetua Exceptio, qua repellere possunt mutuantes, si aliquid isti repetant. Cùm enim olim Romæ quidam fœnerator, ex Macedonia ortus, frequenter filiisfamilias sine præscitu parentum dedisset mutuum, ex quo filii, ære alieno gravati sæpius inducebantur, ut parentum vitæ insidias struerent, quò haberent, undè solverent; vel, si eorum mortem exspectarent, mole fœnoris in immensum excrescentis obruebantur; ideo Senatus Romanus, ut huic utrique incommodo mederetur, ac vitæ parentum consuleret, prudenter statuit, ut deinceps nec filiusfamilias sine consensu patris mutuum accipiens, nec pater, obligaretur ex tali mutuo, saltem si in Judicio rueri se vellent exceptione hujus Senatusconsulti, quod propter dictum fœneratorem Macedonem appellatum est *Macedonianum*. Pars 2. quam tenet communis Theologorum & Juristarum cum Panormit. Molin. & Gletle *d. 3. Pand. c. 9. n. 23.* contra Fachinæum *l. 2. Controv. c. 62.* probatur 1. Jus Civile & Respublica ex dominio alto in bona subditorum potuit deobligare filiosfamilias & patres eorum in conscientia seu foro interno, ut nemo inficias ibit: item voluit; quia voluit consulere utrisque, ne nimirum filii, ex animi levitate mutuum contrahentes, parentum vitæ insidiarentur, & ære alieno nimium opprimerentur: atqui non satis consuluisset, si creditoribus solùm negâsset actionem, illis autem

autem indulsisset exceptionem solùm pro foro externo, remanente interim obligatione in conscientia ad solvenda mutuò accepta: ergo etiam tutos voluit esse in foro interno. 2. qui justâ munitur exceptione pro foro externo, eandem justè adhibet pro eodem foro in conscientia: ergo in casibus, in quibus potest & vult dictâ exceptione uti filiusfamilias, in conscientia tutus est. Imò, licèt non sit occasio utendi exceptione hac, quia fortè non instituitur actio, tamen tuti sunt isti mutuatarii propter favorem dicti S. C. Macedoniani, saltem si indè non sint facti ditiores, h. e. si res mutuò accepta nec in se, nec in æquivalenti ampliùs extet. Si verò facti sint ditiores, major est controversia. Haun. *de J. & J. to. 3. tr. 9. n. 329.* cum Wadingo, Gletle &c. etiam hoc casu ante sententiam Judicis, & sine interventu exceptionis, tutos in conscientia pronuntiant, nos cum Laym. Palao, P. Schmalzgrueber *ad tit. de Pactis n. 14.* & aliis negamus; quia tali casu cessat ex una parte principalis causa privilegii *d. S. C.* nempe periculum insidiarum in vitam parentum, & nimiæ obærationis filiorum, cùm habeant, unde solvant, si res mutuata adhuc extet vel formaliter vel virtualiter in eorum bonis, & indè ipsi facti sint ditiores, ex altera verò parte Jus Naturale, obligans Mutuatarium ad redditionem mutui, est in possessione, neque à Jure Positivo clarè fuit eidem derogatum; quamvis etiam tali, qui factus est ditior, det exceptionem in foro externo. *l. 9. §. 2. ff. de S. C. Maced.* qua etiam licite in conscientia rectè utitur, & sic sententiam Judicis absolutoriam obtinet, qua obtenta etiam in conscientia nec id, secundùm quod factus est ditior, restituere tenetur; siquidem Pars 3. sumitur ex *l. cit.* quæ sic habet: *nam & ei quoque, qui filiofamilias credidit, decretô Amplissimi Ordinis actio denegatur; nec interest, consumpti sint nummi, an exstent in peculio.* Ergo, si filiusfamilias velit uti dicta exceptione, potest, cùm sit perpetua. *l. 9. cit. §. 4.* Si tamen neglecta exceptione solvit, repetitionem non habet. *l. & §. citt.* sicut naturaliter solvere tenetur, in quantum factus est ditior, si exceptione non utatur.

Dixi 1. *Filiusfamilias:* idem intelligendum est de filiafamilias, & quibuscunque liberis, in potestate patria constitutis. *l. 9. §. 2. cit. l. 14. ff. eod.* Dixi 2. *licèt jam sit majorennis;* nam, si impubes sit, neque cum consensu patris, si pubes, minorennis tamen adhuc, sine consensu patris nec validè facit ullum contractum circa bona adventitia vel profectitia. *§. 10. Inst. de inutil. stipulat. l. 4. §. 1. ff. l. 2. C. de Castrens. pecul. lib. 12. l. fin. §. 5. C. de bonis, quæ liberis.* Dixi 3. *in casibus, quibus uti potest. &c.* quippe nec in Foro Civili permittitur uti exceptione S. C. Macedoniani in sequentibus casibus. 1. si filiusfamilias pubes mutuum accepit sciente, mandante, vel ratum habente patre. 2. si patria potestate jam egressus, uti in Germania per nuptias pro egresso habetur, mutuum accepit. 3. si miles sit, quia milites censentur esse sui Juris. 4. si communi errore habitus sit pro patrefamilias, seu liberato à patria potestate. 5. si patremfamilias se simulavit. 6. si fuit præpositus à patre alicui negotiationi, vel is aliàs solutus sit solvere pecuniam à filio mutuò acceptam. 7. si habuit bona castrensia vel quasi-castrensia, quia horum dominus & administrator est, & quoad illa reputatur pro patrefamilias. 8. si peregrè vel in studiis versatus accepit mutuum ad alimenta vel alios sumptus necessarios. 9. si mutuum non constitit in pecunia, sed in frumento, aut alia re fungibili, nisi fortè in fraudem fuisset mutuata res alia, ac eo fine, ut ex ea vendita filiusfamilias acquireret pecunias. 10. si constitit quidem in pecunia, hæc tamen in rem vel utilitatem patris conversa sit. Acq; hæ exceptiones reperiuntur in variis legibus ad *tit. ad S. C. Maced. in ff. & C.* Videatur Haunold. *à n. 331.*

Oppones 1. Filiusfamilias majorennis ex mutuo, quod sine consensu patris accipit, obligatur naturaliter, quia solutum non potest repetere. *l. 9. cit. §. 4. & 5.* quod tamen repetere posset, si non obligaretur naturaliter. Hæc obligatio naturalis adhuc clariùs exprimitur *l. 10. seq.* ibi: *quia naturalis obligatio manet:* ergo obligatur in conscientia: ergo S. C. Maced. eidem non prodest in foro interno. 2. Exceptio S. C. Maced. est concessa filiisfamilias in odium fœneratorum: ergo à foro externo non est extendenda ad forum internum. 3. iniquum videtur, ut beneficium mutuantis sit eidem damnosum. 4. beneficium S. C. Maced. est concessum filiofamilias & patri, sine distinctione, an indè factus sit ditior mutuatarius, vel non, imò expressè habetur *l. 9. §. 2. cit. nihil interesse, consumpti sint nummi, an exstent in peculio:* ergo, si eidem prosit pro foro interno, si ex mutuo factus non sit ditior, eò quòd inutiliter consumpserit pecunias mutuatas, etiam proderit in eodem foro, etsi ditior indè sit factus. Ad 1. quamquam alii aliter respondeant, ego autem dico, in *d. l. 9. & 10.* exprimi casum specialem, quo Jura noluerunt exceptione S. C. Maced. uti posse filiumfamilias, & ejus fidejussorem, scilicet quando jam solverunt mutuum, ut evitentur lites; cùm enim solutio sit quasi-contractus, producit obligationem naturalem, & hanc Jura voluerunt manere, licèt extra hunc casum, & *n. præced.* specificatos, voluerint tollere omnem obligationem filiifamilias ex Mutuo, etiam naturalem, saltem casu, quo non est factus ditior. Ad 2. quamquam in odium quoque & pœnam fœneratorum tendat, principaliter tamen spectat favorem parentum, & filiorumfamilias, ne ex horum levitate & immaturo adhuc judicio illis in vita, istis in suis bonis grave periculum vel præjudicium creetur. Ad 3. hoc damnum justè à legibus propter allatas causas infligitur mutuantibus filiofamilias, qui, si id faciunt sine consensu patris, non sunt sine culpa. Ad 4. quamquam leges etiam pro casu, quo nummi mutuati adhuc exstant, vel in utilitatem & augmentum peculii filiifamilias conversi sunt 15

sunt (si enim in rem & utilitatem patris essent conversi, juxta dicta *n. præced.* omnino cessaret privilegium & exceptio S. C. Maced. *l. 7. §. 12. ff. de S. C. Maced.*) indulgeant hanc exceptionem, & eâ interpositâ absolutionem Judicis: si tamen hæc exceptio, & Judicis sententia, non interveniat, non satis probatur ex legibus, quòd in conscientia tutus sit filiusfamilias, si mutuum adhuc exstet vel in se vel virtualiter; quia ex una parte in *d. l. 9. §. 2.* tantùm denegatur actio creditoribus, consequenter solùm obligatio Civilis, si dictam actionem elidat excipiendo, tollitur in mutuatario: ex altera verò aliunde probabilius est, quòd etiam secundùm leges obligatio naturalis maneat in filiofamilias ex aliis contractibus, ex quibus factus est ditior, cùm etiam in pupillo & minorenni in tali casu maneat. *l. 5. ff. de auth. tutor.* nec Jura de filiofamilias clare statuant oppositum. Et ex his colliges, me ex parte recedere à doctrina, quam tradidi in *lib. I. tit. XXXV. de Pactis n. 13.* scilicet quoad id, quod ibi in fine dixi. P. Schmier *de Pact. & Contract. c. 3. sect. 1. n. 24.* etiam exceptionem negat filiofamilias, si ex mutuo factus sit locupletior, consequenter creditoribus concedit actionem, ipsi autem obligationem quoque Civilem imponit.

16 Quæres, an filiusfamilias renuntiare possit privilegio S. C. Macedoniani? R. non potest sive cum-sive sine juramento, saltem si ex mutuo non sit factus ditior. Quòd simpliciter & sine juramento non renuntiet validè, satis convenit inter DD. Quòd verò nec juratò, tenent Abb. Wading. Zœs. Gletle &c. contra Less. Fachin. Rudolphi *in Cent. Pallad. Tog. q. 27.* & probatur indè, quia, sicut renuntiatio simplex, ita & juramentum ei adjectum cedit in præjudicium tertii, nempe tam patris, quàm Reipublicæ; nam renuntiatio, etiam jurata, præbet occasionem insidiandi vitæ paternæ, filiofamilias autem peccandi, & per fas ac nefas acquirendi pecunias; quæ sunt contra finem principalem S. C. Macedoniani. Limitavi autem per verba, *saltem si ex mutuo non sit factus ditior;* si enim factus sit ditior, per renuntiationem, etiam juratam, nemini præjudicat, nisi sibi, dum jus excipiendi sibi adimit, quam exceptionem sine peccato omittere potest, nec indè oritur periculum vel occasio insidiandi vitæ paternæ, cùm, si mutuum adhuc exstet, id solvere possit facilè: omne autem juramentum, quod sine peccato, & sine præjudicio tertii servari potest, debet servari. *c. 8. & 28. de jurejur.*

§. II.

Ex quibus titulis licitum sit in Mutuo aliquid accipere ultra sortem? Ubi etiam de Censibus & aliis pactis atque contractibus, de Usura suspectis.

17 SCiendum 1. Titulos, ex quibus auctarium ultrà sortem creditam peti possit, esse sequentes 1. damnum emergens. 2. lucrum cessans. 3. periculum amittendæ sortis. 4. assecurationem sortis. Et hi tituli, si adsint, usuram faciunt *Compensatoriam* seu *Restauratoriam*, quam *n. 13.* diximus esse licitam; quo autem modo & quando reddatur licita, hic dicendum. 5. moram culpabilem Mutuatarii in solvendo, ex qua quando usura, quæ vocatur *Moratoria*, honestetur, docuimus *n. 12.* hic nihil amplius superadditurí. 6. *statutũ Magistratus.* 7. *consuetudinem loci:* quod utrumque etiam in absentia alterius tituli sufficere ad licitè accipiendum aliquid ultra sortem, à statuto vel consuetudine determinatum, tradidimus à *n. 1.* Id solùm adhuc noto, quòd, si alicubi 6. pro 100. florenis annuatim à statuto vel consuetudine essent determinati, totidem in tali loco (non alibi) recipere liceret, & quidem secundùm nostra principia in utroque foro. Item quòd, si mutuum reddatur post anni dimidium, non totum lucrum, v. g. 5. pro 100. (quod vocant *interesse*) sed dimidium duntaxat, nempe 2. cum dimidio floreno pro 100. mutuò datis accipi possent: nisi accederet alius titulus, v. g. tantum lucrum cessans, quod intra anni dimidium conficeret 5. florenos, per Recessum Spirensem *cit. §. 152.* ubi sic habetur: Da dem Creditori solche fünff Gulden (pro anno integro, & consequenter zwey und ein halber pro anni dimidio) nit annemblich/ sondern er vermeinen wolte (ex lucro cessante vel damno emergente) ein mehrers zu fordern/ daß ihme alsdann sein gantzes interesse zu deduciren/ gebührlich zu liquidiren &c. unbenommen seyn solle. De reliquo *damnum emergens* dicitur jactura, quam creditor ratione mutui patitur in rebus suis, quas jam habet. v. g. si ex eo, quòd mutuum dederit frumentum, cogatur postea emere majori pretio, vel ob pecunias alteri mutuatas pati debeat ruinam domûs suæ, vel ipse sumere mutuas cum usuris &c. *Lucrum cessans* est incrementum bonorum, quod creditor speraturus & consecuturus fuisset, si mutuum non dedisset: v. g. si ex pecuniis mutuò datis emisset agrum vel aliam rem sibi utilem & fructiferam, aut cum iis, non mutuatis, negotiatus lucrum fecisset. *Periculum amittendæ sortis* creditor subit, si mutuatarius sit homo pauper, decoctor, parùm fidus, nec mutuantem assecuret. de summa recipienda per pignora, fidejussores &c. *Assecuratio sortis* præstatur, si creditor in se suscipiat periculum sortis (quod aliàs est penes mutuatarium) quam dat homini, v. g. per mare navigaturo, per loca prædonibus infesta ituro ad nundinas &c. ita ut, si sors credita pereat, mutuatarius ad nihil teneatur reddendum, sed mutuans ferat damnum.

Sc. 2. Pacta & contractus, qui de usura 18
suspecti sunt, vel pro usurariis habentur, & hic examinandi veniunt, esse sequentes. 1. Censum, vel contractum censualem. 2. Cambium. 3. Anatocismum, quo petuntur usuræ usurarum. 4. Montes pietatis. 5. Emptionem chirographi, sive alieni debiti, pro leviori pretio, v. g. si pro debito 100. florenorum alteri debitorum numeres 90. vel 80. florenos in moneta præsenti. 6. pactum de ma-

jori

jori pretio ob dilatam solutionem pro re vendita: vel vicissim de minori pretio ob anticipatam solutionem. 7. pactum de restituendo mutuo post aliquod tempus in eadem sorte & in eadem quantitate, licèt pretium rei tum fuerit majus. 8. pactum Antichreseos, vel Antichresticum. 9. contractum Societatis.

19 Dico 1. *Damnum emergens* est justus titulus aliquid exigendi ultra sortem creditam. Communis cum S. Thoma *2. 2. q. 78. a. 2. ad 1.* contra Scotum *in 4. d. 15. q. 2. a. 3.* Ratio est clara; quia beneficium alteri collatum non debet esse damnosum conferenti. Dein tale damnum est pretio æstimabile: ergo rectè exigitur pretium pro illo; sicut pro labore & opera alteri impensa rectè exigitur. Accedit, quòd usura sit lucrum ex mutuo; sed lucrum non est evitatio damni. Idque procedit, licèt mutuatarius non sit culpabiliter morosus in solvendo, & per moram non causetur damnum. Ut autem ex hoc capite liceat aliquid exigere, requiritur 1. ut mutuans in ipso contractu Mutui admoneat mutuatarium de damno emersuro, & quòd propterea plus exigat; nisi à mutuante sit coactus ad mutuandum; vel nisi damnum oriatur ex culpabili mora mutuatarii in solvendo ad præfixum tempus. Potest autem dupliciter in pactum deduci damnum emersurum, nimirum vel determinatè (& non juxta futurum eventum) seu pro periculo damni aliquid certi exigendo; nam & periculum damni est pretiò æstimabile, quod aliquis subit in gratiam alterius, quamvis minori, quàm ipsum damnum: vel indeterminatè (& juxta futurum eventum) seu pro ipso damno, ut mutuatarius nempe teneatur tantum solvere, quantum postea deprehenditur damnum extitisse. Debet tamen mutuans arbitrio mutuatarii relinquere, an determinatè & pro periculo damni, an verò indeterminatè & pro ipso damno, quod eventus patefecerit, paciscì malit: si autem mutuatarius pro damno incerto, seu periculo damni, malit offerre pretium certum, quàm manere in ancipiti, potest mutuans acceptare hoc pactum, & postea, licèt damnum non evenerit, nihilominus pretium conventum exigere. 2. ut plus non exigat, quàm quanti consideratis omnibus circumstantiis arbitriò viri boni & prudentis æstimatur damnum emergens, vel periculum damni. 3. ut compensationem damni non statim & tempore, quo dat mutuum, exigat sibi solvi, sed primum, quando erit reddendum mutuum: & hinc non licet petenti centum dare tantùm nonaginta mutuos, retentis decem pro damno emergente; cùm ex istis 10. retentis non possit emergere damnum. 4. ut mutuum revera sit causa damni, vel periculi.

20 Dico 2. *Lucrum cessans* est justus titulus aliquid exigendi ultra sortem creditam. Iterum communis, etsi videatur dissentire S. Thomas *lo. cit.* cum Scoto *lo. cit.* Sumitur ex *l. 60. pr. ff. pro Socio. l. 13. ff. Ratam rem haberi.* & ex hac ratione, quia sic non lucrum ex mutuo petitur, sed tantùm compensatio ejus, quod interest; nam lucrum cessans non minus est pretiò æstimabile, quàm damnum emergens, item carentia lucri, à quo quis impeditur, passim reputatur inter damna. Nomine *lucri cessantis* autem etiam intelligitur spes vel certa, vel saltem probabilis, lucri; modò minùs exigatur ratione spei tantùm, quàm ratione ipsius lucri; sicut de damno & periculo damni dictum. Id quod confirmatur à pari: Piscator licitè vendit spem jactûs sui, quo sperat capere pisces, licèt minori pretio vendere debeat, quàm ipsos pisces. *l. si jactum 12. ff. de actionib. empti:* ergo similiter mutuans potest vendere spem lucri ex retenta pecunia faciendi. Porrò eædem conditiones requiruntur, ut ratione lucri cessantis aliquid licitè exigatur, quas requiri diximus ob damnum emergens.

Dico 3. Periculum perdendæ sortis, si re- 21
vera subsit, & mutuatarius per pignora vel fidejussores &c. non sufficienter assecuret mutuantem de ea recuperanda, probabiliùs est justus titulus aliquid exigendi ultra sortem creditam. Ità communior cum S. Thoma *Opusc. 73. de usur. q. 10.* contra Navar. Sotum, Guttierez, & alios, præcipuè antiquiores. Sumitur ex *l. 5. pr. & §. 1. ff. de Naut. fœnore. c. 6. h. t.* & ex hac ratione; quia res suas in gratiam alterius periculo exponere est quid pretiò æstimabile, & quidem eò majori, quò majus est periculum, quod nemo tenetur gratis subire in alterius gratiam: neque istud periculum est per se connexum cum mutuo. Confirmatur 1. Licitum est pro assecuratione sortis, fortè perituræ, cujus periculum mutuans suscipit in se pro mutuatario, cui alias periret res mutuata, tanquam domino, aliquid exigere, uti videbimus postea: ergo etiam licet aliquid exigere pro periculo sortis non recuperandæ, seu propter non factam aliunde assecurationem sortis à mutuatario, quam tamen, si peteret mutuans, assecurare deberet. Confirmatur 2. Fidejussor pro periculo, quod subit fidejubendo, ne rerum suarum faciat jacturam, licitè aliquid exigit. *l. 19. §. 1. ff. de donat.* ergo & mutuator pro periculo, quod subit amittendi res suas. Interim tamen requiritur 1. ut mutuans non cogat mutuatarium, ne alio modo caveat ipse de assecuratione sortis per pignora &c. tantùm ut ob periculum possit aliquid exigere; sed ipsi relinquat liberum, an cavere velit, vel plus solvere. 2. ut moneat priùs mutuatarium, quòd aliquid exigat ob periculum sortis, uti de damno emergente & lucro cessante dictum; fors enim, si sciret mutuatarius, ex tali capite plus exigi, mutuum non acciperet.

Oppones 1. Eidem periculo, cui fors, ex- 22
positum est quoque auctarium, quod ultra sortem exigitur: ergo etiam ratione hujus periculi potest novum auctarium exigi, & propter periculum hujus aliud, & sic in infini-

tum. 2. In *c. 6. h. t.* dicitur usurarium esse aromata pluris vendere ad creditum, auff Bitt/ quàm præsenti pecunia valent: ergo ob periculum pretii non potest peti auctarium. ℟. ad 1. Auctarium, etiam ut aliquali periculo obnoxium, in communi æstimatione habetur pro sufficienti compensatione periculi de sorte non recipienda; neque pro quolibet levissimo periculo, cui subest auctarium, licet aliquid accipere, cùm non censeatur pretiò æstimabile. Ad 2. Ibi pro usura tantùm habetur, siquis intendat merces majori pretio vendere præcisè ob dilatam solutionem, de quo nos infrà. Interim ibidem aliquid permittitur ob periculum, ne res tempore solutionis valitura sit minùs: & ideò roboratur indè magis nostra sententia.

23 Dico 4. Assecuratio sortis, quam in se suscipit mutuans pro mutuatario præmonito ac non invito, pariter justus est titulus aliquid exigendi ultra sortem mutuatam. Communis cum S. Thoma *Opusc. cit. q. 9.* contra Abb. Hostiensem, & alios veteres. Ratio, quia talis assecuratio, & molestia ac sollicitudo indè resultans, est pretiò æstimabilis, ad quam nemo tenetur in gratiam & securitatem alterius. Adde, quòd in tali casu nihil exigatur ex Mutuo, sed ex contractu Assecurationis, ex quo licitum est tertio aliquid exigere, assecurationem præstanti; cur non & mutuanti? quippe in tali casu duo interveniunt actus vel contractus distincti, nempe contractus Mutui, ex quo nihil, & contractus Assecurationis, & ex hoc solo petitur auctarium: usura autem essentialiter est lucrum ex Mutuo tantùm, formali vel virtuali. Oppones. In famigerato *c. Naviganti fin. h. t.* Pontifex sic ait: *naviganti vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem pro eo, quòd suscipit in se periculum, recepturus aliquid ultra sortem, usurarius est censendus:* ergo titulò assecurationis, quam pro mutuatario in se suscipit mutuans, absque usura nihil potest exigi. ℟. cum variis variè; nempe ibi vel mutuantem coëgisse mutuatarium, negando aliàs mutuum, ut periculum perituræ sortis relinquatur mutuanti, & ideo solvatur auctarium, cùm tamen mutuatarius maluisset suò periculò mutuum accipere, & sic esse liber ab auctario: vel periculum non fuisse magnæ considerationis: vel mutuantem non priùs monuisse mutuatarium, quòd susceptò in se periculò plus propterea exigat. Quibus in casibus rectè præsumpsit Pontifex animum usurarium: qui tamen si abfuisset re ipsa, in foro interno talis non fuisset usurarius; ex animo enim mutuantis videtur pependisse, an aliquid exigat ultra sortem ex Mutuo præcisè, an revera ratione periculi. Deinde multi non improbabiliter putant, in textu recitato ex incuria librariorum omissam esse particulam *non*, ac censent, ita legendum esse, *usurarius non est censendus*, quod ex sequentibus his verbis, *ille quoque, qui - - non debet ex hoc usurarius reputari*, colligi putant; nam nisi in præcedentibus interseratur particula *non*, particula *quoque* non faceret bonam connexionem; quia, si omitteretur, deberet potiùs sic poni, *ille econtra &c.*

Dico 5. Statutum, vel Consuetudo loci, probabiliùs est justus titulus aliquid exigendi ultra sortem mutuatam. Pater ex dictis *dub. 1.* Oppones. Si ex hoc capite licèt aliquid exigere ultra sortem, non opus est multùm esse sollicitum, an adsit damnum emergens, lucrum cessans, vel alius ex allegatis titulis, quos proinde frustra adduximus. ℟. Imprimis hi tituli servient pro locis, ubi statutum, vel consuetudo, permittens aliquid ultra sortem, non datur. Deinde servire possunt etiam in locis, ubi datur, ut nempe plus exigi possit pro ratione damni, lucri, periculi, quàm sit illa quantitas determinata (v. g. 5. pro 100.) à statuto vel consuetudine; ab his enim generaliter certa quantitas jam est determinata.

24 Dico 6. Emptio censûs realis (seu contractus censualis, quo emitur census realis) est licita. 2. non tantùm si census sit redimibilis ex parte solius venditoris, 3. sed etiam ex parte utriusque, tam venditoris quàm emptoris, 4. imò &, si sit irredimibilis ex utraque parte. 5. modò census constituatur in re frugifera; & pretium sit justum, nempe vel juxta consuetudinem aut legem, utì in Germania taxati sunt 5. pro 100. florenis, vel secundùm prudentis arbitrium, atque ita, ut, si res, in qua constitutus est, pereat, vel reddatur infructifera, extinguatur obligatio solvendi censum seu pensionem, nisi aliter sit conventum; & tunc suscepti periculi alio modo compensetur censuario, nimirum vel augendo pretium, vel minorem pensionem exigendo: demum modò res censui subjecta inscio censualista non alienetur in alium, à quo solutio censûs obtineri nequeat, vel non nisi difficulter. Antequam probetur Assertio, ex multis membris constans, notandum est, *Census*, prout hoc loco sumitur, esse pensionem seu reditum annuum, vel potiùs jus percipiendi pensionem annuam ex re (vel industria) alterius provenientem, ortum ex emptione vel simili contractu. Qui habet tale jus, vocatur *Creditor*, vel *Emptor*, vel *Censualista*, qui verò habet obligationem solvendi, *Censuarius*, vel *Venditor*, vel *Debitor*. Dividitur in Realem & Personalem: *Realis* est, qui constituitur in re certa & frugifera, v. g. in prædio, agro, vinea, domo: *Personalis*, qui constituitur in persona certa, se obligante ad solvendam pensionem annuam ex lucro per propriam industriam, labores, artem, v. g. per negotiationem, opificium &c. acquisito. Uterque tam Personalis quàm Realis, si accedat pactum redimendi, vel de retrovendendo, utì plerumque fit, ut nempe illi, qui alteri pensionem annuam ex re vel industria sua vendidit, rursus liceat pro libitu redimere, vel certo tempore, vel quando libuerit, restitutò pretiò emptori, ita ut hic teneatur revendere, vocatur *Redimibilis ex parte venditoris*: si verò etiam emptor, seu qui emit pensionem annuam, reservet sibi jus revendendi venditori repetitò pretiò, pro censibus datò appellatur *Redimibilis ex utraque parte*: si au-

si autem paciscantur, ut nec venditori liceat redimere, nec emptori retrovendere, alterò invitò, dicitur census *Irredimibilis*. Si adjiciatur conditio de solvendo censu ad certum duntaxat tempus, est *Temporalis*, si constituatur ad vitam Censualistæ, à vita nuncupatur *Vitalitius*, &c, si nullum certum tempus designetur, *Perpetuus*, qui & ad hæredes transit. Porrò Census Realis subdividitur in Reservativum & Consignativum: *Consignativus*, alio nomine *Emptitius*, (quia ferè per emptionem constituitur; licet etiam constitui possit donatione, venditione, permutatione &c.) & usitatior, est, quando venditor retinet dominium rei tam utile quàm directum, se tamen obligat ex ejus fructibus ad solvendam alteri certam pensionem singulis annis, vel mensibus, ut si pro 1000. florenis sibi numeratis consignat, cedit, seu vendit alteri jus percipiendi 5. scaphas frumenti ex suo prædio, vel pensionem 50. florenorum in singulos annos, quæ à Germanis dicitur Zünß, vel *Interesse*; & talis pensio potest esse vel fructuaria, vel pecuniaria. *Reservativus* autem, quando venditor rei, v. g. prædii, dominium utile & directum pleno jure transfert in alterum, reservatâ tamen sibi pensione aliqua indè solvenda singulis annis, vel mensibus. Iste census hodie rarioris est usûs, & valdè affinis contractui emphytevtico valde usitato; ab eo enim ferè per hoc solùm differt, quòd transferat etiam dominium directum, Emphyteusis autem solùm utile. Ac tale bonum vocatur *Censiticum*, vel *Censitum*, vel *Censuale*, atq; in dubio potiùs præsumitur Censuale, quàm Emphyteuticum. Besold. *in Thesauro v.* Zünßlehen.

26 Probatur jam *primum* membrum Assertionis ex gemina *Extrav. 1. & 2. de Empt. & vendit.* ubi clarè approbatur census realis. Item ex *l. 8. §. 2. ff. de peric. rei vend.* ubi ususfructus, sive jus percipiendi fructus ex prædio alieno, dicitur emi posse, id quod in *l. 8. pr. ff. de contrab. empt.* etiam asseritur de fructibus futuris, *& in §. fin. Inst. de servit.* idem affirmatur de servitutibus: sed census realis est pars ususfructûs, est fructus futurus, seu potiùs jus ad illum, est quædam quasi servitus: ergo licitè & absque usurâ emitur. Accedit ratio solida: census realis fructuarius, seu solvendus in fructibus, est pars fructuum: ergo licitè potest emi, vel potiùs jus ad fructus seu ad census fructuarios; nam totum prædium, adeóque jus ad fructus omnes, licitè emitur juxtà omnes, etiam Henriq. & Salicet. qui duo negant, licitam esse emptionem censûs realis: cur ergo non liceat emere jus ad partem fructuum? Si autem pensio fructuaria emi possit; non est ratio, cur non etiam pecuniaria, vel potiùs jus ad pecuniariam; quia pecunia recipit æstimationem omnium rerum. Adde quòd in solo Mutuo committatur usura: hic autem non intervenit Mutuum, sed contractus Emptionis-Venditionis: ergo. *Secundum* ex *citt. Extrav. & Constit. Cum onus. S. Pii V.* item *l. 2. C. de pact. inter Empt. & vendit.* cùm liceat aliis venditionibus adjungere pactum redimendi. *Tertium* ex paritate cum emptione-venditione aliarum rerum, cui adjici potest pactum, ut tam emptori liceat revendere, quàm venditori redimere rem venditam, modò attemperetur pretium, uti ad *tit. de Empt. Vendit. in lib. III. n. 14.* docuimus. *Quartum* ex hac ratione: si enim licitum est usumfructum totum alicujus prædii emere & vendere, ita ut neutri parti, alterâ invitâ, liceat redimere vel revendere, uti revera licitum est. per *l. 23. ff. & c. 85. in 6. de R. J.* utique licebit ita emere ac vendere censum, qui est pars ususfructus; quod juris enim est in toto quoad totum, est quoque de parte quoad partem. *l. 76. ff. de Rei vind.* pretium autem ita attemperari potest ac debet, ut Jus Naturale non lædatur. *Quintum* quoad omnia fundatur in Jure & æquitate Naturali.

Oppones 1. Qui emit censum, & 5. pro 27
100. quotannis accipit, post lapsum 20. annorum jam accipit totam summam capitalem, nimirum 100. & post 40. annos accipit duplum, nempe 200. florenos, ac insuper manet in debito tota summa capitalis, reddenda sibi à Venditore, si censum vellet redimere: ergo emptor longè plus accipit, quàm dedit; quod neque in contractu emptionis licitum est. 2. Non apparet, quid ematur in contractu censuali: nam si dicatur emi pensio, ista successu temporis longè transcendit summam capitalem, uti vidimus: si pensio unà cum dilatione solutionis, tunc propter moram & dilatam solutionem aliquid exigitur; quod juxta plerosque est usurarium: si jus percipiendi pensiones annuas, tunc inprimis emitur aliquid, quod nondum est præsens (quod repugnat naturæ emptionis-venditionis) si enim jus istud jam adesset, quando celebratur iste contractus, statim prima pensio posset retineri, & loco 100. dari 95. quod omnes censent esse usurarium: deinde pensiones annuas accipiendi jus æstimatur tanti, quanti ipsæ pensiones annuæ: ergo sicut ipsæ pensiones futuræ longè transcendunt sortem, ita & jus ad illas; consequenter inter datum & acceptum datur inæqualitas, adeóque injustitia committitur. 3. Est contra naturam emptionis, & pecuniæ, ut unâ pecuniâ ematur alia pecunia; cùm pecunia non sit merx, sed pretium, quo comparantur merces: sed hoc fit in emptione censûs pecuniarii: ergo. 4. In contractu Censuali intervenit Mutuum palliatum, virtuale, & interpretativum; quia, si censuarius velit redimere censum, debet reddere pecuniam ejusdem quantitatis, sicut qui Mutuum formale accepit, ac insuper ultra hanc sortem singulis annis aliquid pendere: ergo committitur usura palliata; & ad vitandas usurarum pœnas mutatur duntaxat nomen contractûs, & pro mutuo vocatur contractus Censualis. 5. Emptio censûs redimibilis ex utraque parte, uti & irredimibilis, rejicitur & prohibetur à *citt. Extravag. & Constit. Cum onus* Pii V. item à Carolo V. per Constit. editam in Comitiis

Comitiis Augustanis anno 1548. & 1551. ergo.

Ad 1. *dist. Cons.* longè plus accipit, quàm dedit, & istud *plus* in æstimatione morali æquiparatur summæ traditæ. *C. Cons.* illam excedit nimiùm *N. Cons.* Pensiones annuæ post multos annos successivè solvendæ moraliter non valent tantum, quantum valerent, si omnes simul & semel solverentur: quatenus sunt tantùm in spe, & non in re, longè minoris æstimantur communi hominum judicio, quàm si omnes essent præsentes, dum multa contingere possunt, ut fructus vel non nascantur, vel non solvantur, & pensiones etiam pecuniariæ variis periculis, laboribus, molestis solicitudinibus in & de iis acquirendis successu temporis obnoxiæ fiant. Instantiam habes, si ematur ipsa res frugifera, v. g. ager, cum dominio toto, directo & utili, v.g. 1000. florenis: quo casu post 20. annos percipi possunt tot fructus, quorum valor adæquat vel superat pretium 1000. florenorum pro agro expensum: hoc juxta te licet: cur ergo partem fructuum tali modo per constitutionem censûs emere non liceat? Ad 2. dico, quòd ematur jus percipiendi pensiones annuas futuras, quod jus sufficienter est præsens, licèt respiciat pensiones futuras, uti si ematur jus piscandi, captus piscium, avium &c. Neque hoc jus tanti æstimatur, quanti pensiones actu solutæ, uti vidimus. Ad 3. Non emitur pecunia tanquam merx, sed jus ad pecuniam, seu pecuniariam pensionem futuram, sicut rectè emitur jus percipiendi tributum, jus eundi per fundum alienum, jurisdictio, & alia jura incorporalia. Ad 4. respondent communiter *N. Ant. & Cons.* Nam in mutuo periculum rei mutuatæ transit in mutuatarium absolutè, & lucrum provenit, ut ajunt, ex re sterili: econtra in contractu Censuali periculum censûs ad emptorem pertinet, ita ut, si res desinit esse frugifera, vel hominis industria, in qua constitutus est census, desinit esse lucrosa, desinat quoque census, ac insuper lucrum provenit ex re frugifera, aut operâ hominis lucrosâ. An ista sufficiant, ut discrimen reale inter lucrum ex Mutuo & contractu Censuali semper ac in omni casu revera detur, & in Censuali contractu non involvatur virtualiter illud, alii viderint, qui, nisi adinvenerint aliquem titulum lucri cessantis, damni emergentis, aut periculi, ne res frugifera pereat, & sibi cum censu etiam sors data, vel nisi molesta sollicitudo & labor in acquirendis censibus reperiatur pretiô æstimabilis, vix licitum & justum esse ostendent contractum Censualem cum pensione annuâ, reprobatô interim lucrô ex Mutuo, quod permittit lex vel consuetudo. Ego rem habeo facilem, & sicut lucrum ex Mutuo, licèt deficiat alius titulus, justum ac licitum esse dixi, si illud consuetudo vel statutum permittat, ita & pensiones ex contractu Censuali ex eodem capite, licèt in aliquo casu particulari deficiat omnis alius titulus, licitas ac justas esse ajo. Ad 5. Constitutio S. Pii V. cum *Extrav. cit.* uti & Constitutio Caroli V. non reprobant tales census tanquam ex natura sua usurarios, sed propter periculum usurariæ intentionis, & ideo non stringunt, ubi non sunt receptæ, vel contrario usu abrogatæ, uti apud nos in Germania, teste Less. Tannero, Haun. *to. 4. de J. & J. tr. 10. n. 316.*

Quæres, an licita sit emptio Censûs Personalis? &. affirmativè cum Panormit. Covarruv. Gail. & communi contra Navar. Guttierez, Fachin. *l. 2. Controv. c. 44.* & alios ab hoc citatos. Modò census constituatur in persona potente lucrum facere ex sua arte, industria, opera: &, si persona reddatur inhabilis ad faciendum lucrum, extinguatur obligatio solvendi pensionem, nisi aliter sit conventum: atque pretium sit justum, & attemperatum oneri, quod imponitur censuario. Si enim hujusmodi observentur, constitutio censûs Personalis non repugnat Juri Naturali. Jus autem Positivum S. Pii V. in *Constit. Cùm onus cit.* quo prohibetur, passim non est receptum, vel iterum abrogatum. Confirmatur 1. à paritate cum censu Reali. Imò in Censu Personali major reperitur titulus exigendi pensiones, cùm majus sit periculum obtinendi pensiones annuas, quam in censu Reali. 2. quia per legem imponi potest obligatio solvendi pensionem aliquam personalem, uti patet in Decimis personalibus. *c. 28. de Decim.* item per promissionem aliquis obligare se potest ad lucrum aliquod ex suo labore vel industria proveniens alteri solvendum: cur non & per conventionem mutuam, vel contractum? Oppones. Qui emit census personales, immediatè emit jus ad pensiones annuas, quod jus non est reale: ergo emit ipsas pensiones, successivè solvendas per modum unius cumuli consideratas: sed utique illicitum & usurarium foret emere v. g. 1000. florenos, & pro iis non dare plus quàm v.g. 800. florenos: ergo. Confirmatur: emere jus ad accipiendum equum est formaliter emere jus ad accipiendum equum, est formaliter emere ipsum equum: ergo etiam emere jus ad pensiones accipiendas est formaliter emere ipsas pensiones successivè solvendas, per modum unius cumuli consideratas. R. jam dixi, hoc jus & pensiones successivè solvendas in æstimatione morali non valere tantum, quantum valent pensiones per modum unius cumuli jam præsentis, propter pericula amittendæ sortis, incommoda in acquirendis censibus, molestias in diuturna exspectatione &c. Et, si tales tituli abessent, accederet lex vel consuetudo ob præsumptionem generalem hujusmodi titulorum tales census permittens, quæ non cessat, licèt in particulari casu omnis alius titulus cessaret. Ad Confirmationem *N. Cons. & parit.* quia totus equus simul & semel exstit: pensiones autem non simul & semel existunt, sed primùm post multos annos fluunt, non sine periculis, molestiis &c. Censuali-

sualistæ. Aliæ objectiones, sicut & ista, ferè communes sunt censui Reali.

29 Dico 7. *Cambium* est licitum, si lucrum indè proveniens sit proportionatum periculis, laboribus, sumptibus &c. campsorum. Ita communis. Per *Cambium*, Germanicè Wechsl/ intelligitur negotiatio, qua permutatur pecunia pro pecunia cum moderato lucro. Est duplex, Reale & Locale. *Reale* dicitur permutatio præsentis pecuniæ, nimirum unius speciei pro altera, ut si aurei dentur pro thaleris, &, quia istæ pecuniæ de manu in manum traduntur, appellatur etiam *Manuale*. Econtra *Locale* est permutatio pecuniæ præsentis cum absenti, dum v. g. Augustæ solvis Mercatori 100. aureos, ut eos recipias Romæ, vel vicissim accipis Augustæ, ut reddas Romæ eidem vel ejus negotiorum gestori; & quia hæc solutio ordinariè solet demandari per litteras, hoc cambium vocatur etiam *Litterarium*. Qui dat cambium, *Campsor*, qui accipit, *Campsarius* dicitur. Jam probatur assertio facilè, assignando titulos, ex quibus meritò & justè accipitur aliquid ultra sortem, qui sunt. 1. labor & sollicitudo in accumulandis variæ sortis monetis, iisque permutandis, scribendis litteris, conficiendis rationibus in gratiam & ad arbitrium campsariorum. 2. salaria magna in fideles & rei campsariæ peritos famulos expendenda cum alimentis. 3. lucrum cessans, dum campsor sæpe se privat monetâ optimâ. v. g. aureâ, ad negotiandum & lucrandum valdè utili, & aliàs transferendâ in locum, ubi elevatiorem habet valorem. 4. damnum emergens, vel saltem periculum, dum subinde subitò decrescit valor monetarum. 5. periculum amittendi pecunias, quas trajicit campsor per varia loca, easque assecurat, periculò, si pereant, in se susceptò. Quæ omnia sunt pretiò æstimabilia, pro diversis circumstantiis majori vel minori.

30 Dico 8. *Anatocismus*, per quem intelliguntur usuræ usurarum, seu lucrum ex ipsis usuris non solutis, & in sortem redactis, petitum, ut si fors credita sint 1000. & usuræ sint 50. mutuatarius verò non solvat elapsô annô hos 50. & tu postea etiam ex istis 50. tanquam ex novo mutuo post anni lapsum exigas duos cum dimidio florenos, Anatocismus, inquam, est illicitus, si usuræ priores, etiam aliàs licitæ, nondum fuerunt solutæ, licèt usuræ usurarum non forent merè lucratoriæ. Comunis contra Mævium ex *l. 29. ff. & l. 3. l. 28. C. de Usuris.* ibi: *hac apertissima lege definimus, nullo modo licere cuiquam usuras præteriti temporis, vel futuri, in sortem redigere, & earum iterum usuras stipulari.* Dixi autem 1. *etiam aliàs licitæ*; si enim priores usuræ fuissent illicitæ, per se & Jure Naturali ex iis tanquam iniquis nihil lucri capi posset. 2. *si nondum fuerunt solutæ*; quippe si usuræ priores, aliàs licitæ, jam fuissent solutæ, & ab accipiente crederentur de novo, foret novum mutuum, consequenter ex iis, si adsit justus titulus, qualem sufficere docuimus hucusque ad honestandas usuras, lucrum juste peti posset, sicut ex priori mutuo. 3. *licèt non forent merè lucratoriæ*; nam neque usuræ usurarum compensatoriæ, vel moratoriæ, si nempe adsit titulus damni emergentis, moræ culpabilis in solvendo &c. fiunt justæ, sicut primæ usuræ, saltem de Jure Civili. *l. 3. C. de usuris rei judic.* Id quoque observandum censeo, quòd in usuris usurarum neque habeat locum titulus ex consuetudine vel statuto, cùm hujusmodi ordinariè non dentur, utì nec in Imperio Romano, & Jus Commune *l. 28. l. 29. citt.* expresè illas reprobet. Sicut autem usuræ usurarum in Jure Civili regulariter reprobantur, cùm fructus fructuum, servitus servitutis, lucrum lucri non permittatur aut detur, ita Pius V. reprobavit census censuum: unde saltem in iis Provinciis, ubi Constitutio Piana *Cùm onus cit.* est recepta, census nondum soluti in sortem redigi nequeunt. Oppones. Non est ratio, cur usuræ jam solutæ possint redigi in sortem, & converti in novum mutuum, indéque accipi usuræ compensatoriæ, non verò, si nondum sunt solutæ: ergo. *R. N. Ant.* nam debitor longè promptiùs promittit usuras usurarum, quàm illas solvat, & creditor longè faciliùs dat mutuam pecuniam nondum visam, quàm sibi jam actu numeratam: consequenter, si licitus foret Anatocismus, debitores facilè opprimerentur penitus ære alieno. Accedunt Leges Anatocismum specialiter prohibentes.

Dico. 9. *Montes pietatis* sunt honesti & liciti. *Montes pietatis* dicuntur æraria piorum 31
hominum liberalitate ad sublevandas indigentium necessitates mediante Mutuo constituta, ex quibus pecuniæ mutuantur petentibus ea lege, ut pro assecuratione illarum dent pignus, &, si præfixo tempore mutuatam summam non solvant, vendatur pignus pretiò, quantùm potest, maximô: ex quo pretio solvitur summa credita, & simul modicum quid ultra illam accipit Mons pietatis, residuum verò restituitur debitori. Horum Montium honestatem defendunt Catholici communiter contra Carpzov. & alios Hæreticos, ac apertè approbat Concil. Lateran. sub Leone X. *sess. 10.* & Trident. *sess. 22. c. 8. de Ref.* probátque ratio, quia illud modicum accipitur justissimô titulô, nempe ad sustentandos ministros, qui pecunias hujusmodi Montium debent habere paratas, dare mutuas, iterum repetere, pignora autem custodire, vel distrahere &c. non sine magno labore, & aliquo periculo incurrendi damnum. Hujusmodi Montes dantur in Italia, & non ita pridem Viennæ in Austria talis fuisse erectus dicitur. Imò Frisingæ nuper erectus laudabilissimè est mons pietatis, in quo nihil omnino, etiam pro ministris illius, exigitur, sed hi laborem & operam suam conferunt gratis, ac solius meriti apud Deum intuitu. Reiffenstuel *h. t. n. 125.*

Dico 10. *Emptio chirographi*, seu debiti alieni, pro minori pretio, quàm sit debitum, est 32
quidem usura palliata, si præcisè ideo detur minus pretium, v. g. 90. pro debito 100. florenorum, quia numeratur pecunia præsens

& anticipatò. 2. Non verò, si, utì facilè contingit, accedat alius titulus, puta, si debitum sit aliqualiter dubium, si litigiosum, si pro eo obtinendo faciendi sint sumptus, subeundi labores, pericula, molestiæ, si ex numeratione præsentis pecuniæ emergat damnum, vel cessaret lucrum &c. Pars 1. sumitur partim ex propositione 41. ab Innoc. XI. damnata, sic sonante: *cùm numerata pecunia pretiosior sit numerandâ, & nullus sit, qui non majoris faciat pecuniam præsentem quàm futuram; potest creditor aliquid ultra sortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab usura excusari:* partim ex ratione, quia pretium 90. pro debito 100. liquido est inæquale & injustum, idémque facit virtualiter, qui emit, ac si 100. dedisset mutuos, atque 10. indè pro lucro acciperet. Quia verò explicitè non celebratur Mutuum, sed istud in contractu Emptionis quasi in pallio involvitur, ideo dixi, esse *usuram palliatam;* atque propterea in foro externo non facilè punibilis est, utpote in quo foro usuraria intentio capiendi lucrum ex alio, quàm Mutui contractu, non facilè cognoscitur satìs. Pars 2. clarescit ex eo, quia chirographum seu debitum alienum in talibus circumstantiis plus non valet in æstimatione morali. Sed quid Juris de casu, quo debitum, quod quis v. g. apud Principem habet, est quidem liquidum, venditor autem illius consequi non sperat sine magnis expensis & difficultatibus, emptor autem facilè obtinere potest? an huic licet dare minus pretium, quàm sit debitum? R. cum distinctione. Si emptor sit præfectus ærarii vel alius Officialis, ad cujus officium spectat solvere Principis debita, sine usura palliata non potest dare minus pretium; quia talis eandem habet obligationem solvendi debita, quàm ipse Princeps. Si autem sit alius, gratiâ tamen valens apud Principem, vel speciali dexteritate præditus, qua facilem invenit viam ad consequendum debitum, licitè emit minori pretio; quia debitum tale juxta communem æstimationem, seclusâ gratiâ Principis, aut speciali dexteritate & industriâ emptoris, planè minus valet: valor autem & pretium rerum desumitur à communi æstimatione: nec aliquis tenetur gratiam, qua pollet apud Principem, vel dexteritatem suam alienis commodis applicare. Molin. Haun. Salas &c.

33 Dico 11. *Ob dilatam præcisè solutionem* si venditor rei plus exigat, quàm sit debitum, seu quàm merx valeat, pariter est usura palliata. 2. Non verò, utì plerumque contingit apud Mercatores, si concurrat alius titulus, v. g. lucri cessantis ex carentia pecuniæ paratæ, damni emergentis, periculi de non consequenda, vel saltem non sine difficultate, solutione &c. 3. Idem est, si minus detur ob anticipatam solutionem. Pars 1. iterum sumitur ex propositione damnata *cit.* & clarè habetur *c. 10. h. t.* quia dilatio solutionis est mutuum implicitum, palliò emptionis venditionis v. g. involutum, cùm revera idem sit, ac si pretium, v. g. 100. florenorum, esset solutum, & emptori mutuò datum ea lege, ut post annum ultra 100. solvat v. g. adhuc 10. Pars 2. patet abunde ex hactenus dictis. Pars 3. ex *n. præced.* & quia eadem pugnat ratio in anticipata, quæ in dilata solutione. Oppones. In *c. 6. h. t.* dicitur tale pactum *nomine usurarum* non censeri. R. pro foro externo, in quo, quia non celebratur contractus Mutui, de usuraria intentione non satis constat. C. pro foro interno, si justus desit titulus, qualis esset v. g. si res tempore solutionis plus vel minus valeret, vel saltem dubium foret de hoc, de quo casu in *d. c.* est sermo. *Negatur.*

Dico 12. *Pactum de restituendo mutuo in eadem sorte, bonitate, & quantitate* licitum est 34
1. si pretium rei mutuatæ, v. g. frumenti, pecuniæ &c. sit idem tempore solutionis, quod fuit tempore Mutui celebrati. 2. si tempore Mutui fuit incertum, an pretium postea sit augendum vel minuendum. 3. si mutuans servâsset pecuniam, frumentum &c. in tempus solutionis, licèt præviderit, certò vel probabiliùs tunc plus valituram rem mutuatam; modò permittat mutuatario detrahere sumptus, quos in conservando v. g. frumento facere debuisset interea mutuans, & æstimationem periculi, si aliquod fuit, corruptionis frumenti. 4. si mutuans prævideat, valorem vel pretium tempore solutionis fore minus, & paciscatur, ut hanc diminutionem compenset mutuatarius, reddendo plures scaphas frumenti, plures monetas: modò paratus sit vicissim compensare augmentum valoris & pretii, si illud fortè contingeret augeri, & liberum relinquatur mutuatario ante decrementum valoris aut pretii reddere mutuum sine dicto auctario. 5. si mutuetur frumentum vetus, ut postea in vere reddatur novum, modò non prævideatur novum majoris fore tunc pretii. 6. Illicitum verò est, si mutuans prævideat, certò vel probabiliùs, majorem tempore solutionis fore valorem aut pretium frumenti aut pecuniæ, ipse autem non servâsset in illud tempus: vel si obliget mutuatarium, ut non antè reddat mutuum, quàm valor vel pretium rei creverit: vel si mutuetur frumentum v. g. ob corruptionem minùs valens, ut reddatur novum, & incorruptum, quod plus valet. Ita communis quoad 5. prima membra tum ex *c. fin. h. t.* 35
ille quoque, tum ex eo, quòd servetur æqualitas inter datum & acceptum, ac æquale damni periculum, & spes lucri sit ex utraque contrahentium parte. Et, si mutuans lucretur, per accidens fit, ac sine injuria erga mutuatarium. Membrum 6. & 7. quod tenet communior cum Molin. Lug. &c. sumitur ab oppositis; quia in his casibus lucrum sine ullo titulo justo, præcisè ex Mutuo, & non sine injuria erga Mutuatarium caperetur.

Quæres, ad quid teneatur mutuatarius restituendum, si in contractu Mutui nihil est conventum de re restituenda in eadem quantitate & bonitate seu sorte, rei tamé valor aut pretium interea est mutatum? R. cum distinctione: si mu-

si mutatio non fuit prævisa, sufficit & necesse est rem ejusdem bonitatis & quantitatis restituere, sive pretium interea creverit, sive decreverit. Sufficit quoque, si mutuum constitit in pecunia, uti & necesse est, ut restituatur idem valor, sive in eadem sorte, sive in diversis. v. g. si mutuò dati sunt aurei, potest solutio fieri in thaleris, vel, si fiat in aureis solutio, reddi possunt in pretio currente, quod habent tempore solutionis, sive de in pretium eorum fuerit majus vel minus tempore contractûs. Si verò fuit prævisa mutatio, tunc adhibenda est altera distinctio: si pretium rei, v. g. frumenti ita mutetur, ut mutatio cedat in præjudicium mutuatarii, quia nempe pretium ejus fuit auctum, satisfacit reddendo illam in minori quantitate & mensura, quæ tamen adæquet valorem, quem res habuit tempore contractûs; quia secundùm dicta *n. præced.* mutuans non potest exigere rem in eadem quantitate & mensura, si prævidit ejus valorem augendum, nisi speciale nimirum pactum & alia intervenerint. Si autem mutatio cedat in præjudicium mutuantis, quia nempe pretium fuit imminutum, non potest mutuans exigere compensationem, sed mutuatarius iterum satisfacit reddendo rem in eadem mensura & bonitate; quia mutuans, si prævidit imminutionem valoris, & aliud non deduxit in pactum, censetur mutuasse juxta naturam Mutui, in quo, saltem si non sit pecuniarium, non valor, sed res ipsa in eadem sorte & quantitate reddi debet, v. g. frumenti sex scaphæ, si totidem fuerunt mutuatæ, in eadem bonitate, decrementum verò valoris liberè condonâsse. Vid. Lugo, & Pirhing *h. t. n. 58.*

36 Dico 13. *Pactum Antichreseos*, seu *Antichreticum*, quo id agitur inter contrahentes, ut creditor lucretur fructus rei frugiferæ pro mutuo oppignoratæ, seu fructus pignoris, donec recipiat sortem, regulariter est usurarium & illicitum. Text. & DD. in *c. 1. 2. 8. h. t. c. 6. de Pignor.* ubi fructus pignoris jubentur imputari in sortem, vel tantum remitti de debito, quantum de fructibus perceptum; expensas tamen, quas creditor fecit in colligendis fructibus, uti & æstimationem laboris, licet deducere. Dixi, *regulariter*; nam fructus pignoris percipere licet 1. domino directo ex re feudali sibi oppignorata. *c. 1. de feud.* quia ususfructus causalis inest dominio directo. 2. marito ex re sibi oppignorata pro dote nondum soluta. *c. 16. h. t.* quia hi fructus succedunt fructibus dotis, qui aliàs debentur marito ad sustinenda Matrimonii onera. 3. si adsit justus titulus lucri cessantis &c. ex parte creditoris. 4. si statutum vel consuetudo permittat juxta superiùs disputata *n. 8. seqq.* Sic in Germania licet fructus pignoris, si non excedant 5. pro 100. percipere.

37 Dico 14. *Contractus Societatis*, Gewerbs-Gemeinschafft/ Compagnie/ quo duo vel plures conferunt res & operas suas communis lucri gratiâ. *l. 31. ff. pro socio.* non est usurarius. *t. t. Inst. de Societ. & t. t. ff. & C. pro Socio.* modò conferens res vel pecunias (nihil enim interest, an uterque conferat & res & operas, an verò unus tantùm res, & alter operas. §. 2. *Instit. de Societ. l. 1. C. pro Socio*) modò, inquam, conferens res vel pecunias non id agat, ut sibi quidem obveniat commune lucrum, sors tamen salva persistat quocunque casu eveniente. *l. 29. §. fin. ff. eod.*

§. III.

De Obligatione solvendi & restituendi usuras, de Pœnis, & Judice Usurariorum.

38 SCiendum, ex hactenus dictis patére, aliquas usuras, nimirum merè Lucratorias, ubi nullus à Jure Naturali vel Positivo approbatus intervenit titulus, injustè exigi & accipi, ac illicitè, imò invalidè, consequenter non solvi, & solutas iterum restitui debere. Unde videndum, à quibus, cui, & quid solvendum & restituendum. Radix obligationis restituendi est delictum simul & contractus, licèt contractus vel pactum contra Jura & illicitè sit initum, imò & nulliter. Quapropter contractus usurarios celebrans aliquas promeretur pœnas: quas pariter referemus, uti & à quo Judice sint infligendæ causâ priùs cognitâ. In ordine ad pœnas autem refert priùs notare discrimen inter usurarium *Manifestum* seu *Notorium*, & inter *Occultum*. Manifestus dicitur, qui notorius est vel notorietate Juris, qui nempe in Judicio ut talis jam est condemnatus, vel saltem legitimè convictus, aut confessus: vel notorietate facti, qui nimirum publicè, aut quibusvis ad se accedentibus, ac insuper sæpe dat mutuum cum lucro absque justo titulo, ita ut de hoc publicè constet, seu ut nulla tergiversatione celari possit. Cùm verò absentia justi tituli non adeò facilis sit probationis, ideo admodum rari sunt usurarii Manifesti. Sed licèt manifesti non sint, ita ut pœnis in foro externo subjaceant, in foro tamen interno injustè acceptas usuras restituere tenentur non modò ex *injusta acceptione*, licèt non amplius exstent in se vel alio, sed etiam ex *re accepta*, quando videlicet lucrum injustum adhuc exstat, uti mox clarescet.

Dico 1. Usuras merè Lucratorias, & sine 39
titulo, adeóque illicitè exactas, & sine juramento promissas, ex Justitia non tenetur solvere mutuatarius, eas promittens: bene tamen ex virtute Religionis, si sub juramento promisit, nisi nempe usuras exigens vel sponte vel auctoritate Judicis compulsus, juramentum remiserit, vel Superior Ecclesiasticus illud relaxaverit priùs, Communis & certa ex famoso *c. debitores 6. de Jurejur.* cùm omne juramentum, quod non cedit in præjudicium tertii, & sine peccato servari potest, servandum sit. *c. 8. & c. 28. eod.* peccatum autem non est *solvere* usuras; licèt eas *exigere* & *accipere* peccatum sit. Quamprimum autem usuræ, sub juramento promissæ, fuerint solutæ, statim iterum repeti, etiam instituta actione, possunt. *c. 6. cit.* Quòdsi quis jurâsset non repetere usuras solutas, nihilominus potest & debet usurarius compelli auctoritate

ctoritate Judicis ad restituendas. *c. 13. h. t.* qui enim juravit, se nolle repetere, non juravit, se nolle recipere. Oppones: si exigere & accipere usuras peccatum est, tunc etiam promittere & solvere; quia promittens & solvens cooperatur alterius peccato. R. Ille, qui urgente justa causa, qualis in præsenti est indigentia mutuum petentis, & sine usuris obtinere non sperantis, facit aliquid de se indifferens & non peccaminosum, non propriè cooperatur alterius peccato, sed permittit alterius malitiam, ad quam jam aliunde determinatus est alter. Si tamen mutuatarius promitteret, vel solveret usuras cum præjudicio uxoris, aut aliorum, fortè peccaret contra Justitiam.

40 Dico 2. Usurarum jam solutarum dominium probabiliùs non acquirit eas accipiens. 2. Nisi illas cum propriis rebus, v. g. pecunias usurarias cum suis, frumentum usurariè acceptum cum suo, ita permiscuisset, ut discerni non ampliùs possint ab invicem. Pars prior, quam cum S. Thoma *2. 2. q. 78. a. 3. ad 3.* defendit communis contra Lug. & quosdam veteres, dominium, licèt debile, & annexam habens restituendi obligationem, eidem tribuentes, probatur ex *l. 31. ff. de acquir. rer. dom.* ubi habetur, quòd ad acquirendum dominium non sufficiat sola traditio, ut adversarii putant ex §. *40. Inst. de R. D. & l. traditionibus C. de Pactis*, sed etiam justa causa & titulus, de se habilis ad transferendum dominium, puta venditio &c. cujusmodi in usurario, qui sine ullo titulo & præcisè ex Mutuo accepit usuras, non reperitur. Neque is, qui solvit usuras, vult absolutè transferre dominium, sed solùm in tantum, in quantum permittunt Jus & Justitia. Posterior sumitur ex §. *27. 28. Inst. de R. D. l. 78. ff. de Solut.* ubi habetur, quòd rerum alienarum, etiam furtivarum, si indiscernibiliter cum propriis permisceantur, aut confundantur, acquiratur dominium, scilicet per *confusionem*, & *permixtionem*; quamvis maneat obligatio restituendi tantum, quantum iniquè de rebus alienis fuit permixtum aut confusum. Pariter, si usurarius ex pecuniis per illicitam usuram acceptis emat rem aliam, vel negotiando cum iis faciat lucrum, hujus rei & lucri dominium obtinet. per *l. 1. l. 8. C. Siquis alteri, vel sibi. l. 48. §. 7. ff. de furtis l. 6. C. de R. V.* quia lucrum & rem talem usurarius non acquirit ex pecunia usuraria, quæ de se sterilis est, sed ex propria industria, nec semper est contra Justitiam ex actu alias illicito reportare commodum temporale, ut patet in meretricibus. Eodem modo, si usurarius vendat rem usurariam, v. g. frumentum per usuram acceptum, & emptor nesciat, rem, quam emit, esse usurariam & alienam, acquirit dominium pretii, cùm pretium rei usurariæ non sit usurarium, sicut pretium rei furtivæ non est furtivum. Molin. *tr. 2. d. 327. n. 7.* Licèt dominium rei usurariæ non transferat in emptorem. *l. ex empto §. 2. ff. de act. empt.* quia ipse non habuit dominium. Econtra si usurarius vendat rem usurariam, & emptor sciat, rem, quam emit, esse usurariam & alienam, contractus est nullus. *l. 34. §. 3. ff. de contrah. empt. l. 27. C. de evict.* consequenter nec venditor tali casu acquireret dominium pretii, sed istud cederet Fisco. Uti &, si usurarius ex usuris emeret hæreditatem, fideicommissum, dotem, harum rerum dominium non acquireret; quia in his casibus res empta succedit in locum pecuniæ. Molin. *cit. d. 327 n. 2. & 8. v. Ad 3.* ex *l. si & rem ff. de petit. hared. l. Imperator 70. ff. de Legat. 11.*

Dico 3. Usuras illicitè acceptas restituere 41
tenetur usurarius ipse. 2. etiamsi Judæus sit, 3. in defectum usurarii autem omnes, efficaciter ad acceptionem usurarum cooperantes ex parte mutuantis, & quidem in solidum. 4. uti & hæredes usurarii, saltem juxta vires hæreditatis, non tamen in solidum. 5. item ille, ad quem res usuraria quocunque titulo pervenit, modò adhuc exstet. 6. in foro tamen externo liberant se à restitutione ad tempus per exceptionem, qua objiciunt & probant, quòd repetens usuras etiam ipse ab aliis acceperit usuras. Pars 1. est indubitata: vel enim usuræ adhuc exstant, & omni Jure tanquam res alienæ clamant ad dominum, & ex *re accepta* restitui debent: si non exstent, sed jam sint consumptæ, urget *injusta acceptio*, sive usurarius inde factus sit ditior, sive non. Pars 2. apertè decidituc *c. 12. h. t. & Ordinat. Polit. de ann. 1577. tit. 20. §. 6.* Ratio, quia usuræ, quæ accipiuntur sine justo titulo, injustæ sunt, nec Jure tantùm Positivo, sed etiam Naturali prohibitæ. Pars 3. exinde suadetur, quòd tales, qui ex parte mutuantis cooperantur efficaciter, vere sint causa injusta damni mutuatario illati per solutas usuras; quamvis illi, qui tantùm cooperantur ex parte mutuatarii, ad nullam restitutionem sint obligati, uti qui numerant pecuniam pro usuris destinatam, qui in obsequium mutuatarii, pecunia indigentis, illam procurant, licèt cum usuris repetendam, modò non suadeant ipsi mutuanti, ut usuras exigat &c. Pars 4. evidens est ex *c. 9. h. t.* cùm usuræ, formaliter exstantes, sint res alienæ, virtualiter autem exstantes sint ex delicto acquisitum & injustum lucrum, cujus injustus & malæ fidei possessor erat defunctus, in cujus obligationes, sicut in jura succedit hæres, eadémque cum defuncto persona (exceptis pœnis) esse reputatur *l. 37. ff. de acquir. vel omitt. hared. l. 59. ff. de R. J. l. ult. C. de Impuberum & aliis substit.* Imò, licèt usurarius ex usuris nec factus esset ditior, & hæreditas ex usuris non aucta, tamen hæredes tenerentur ad restitutionem juxta vires hæreditatis, *arg. c. 5. de Raptor. & c. fin. de sepult.* in foro autem externo etiam ultra vires hæreditatis, si hæreditatem adierunt sine Inventario prius confecto. *l. fin. §. 14. C. de Jur. delib.* Addidi autem, *non tamen in solidum*, h. e. non singuli hæredes, si sint plures, tenentur ad restituendas omnes usuras, si unus, vel plures, ex illis non possit, vel non velit restituere partem aliquam, uti volebat *gl. in c. 9. cit.* & Navar. sed

sed *pro rata* tantùm, seu secundùm proportionem hæreditatis, quæ ipsis obtigit, ut habet communis & æquior sententia; quia, sicut commoda & jura dividuntur inter hæredes, ita onera & obligationes dividi æquum est, nec singuli hæredes repræsentant defunctum ex toto, sed tantùm ex parte, omnes verò simul sumpti ex toto. Neque hæredes fuerunt participes delicti. Si tamen res usuraria exstaret adhuc in se, restituenda foret à solo illo, ad quem pervenit; cùm semper clamet ad dominum; licèt talis à cohæredibus petere posset, ut ex hæreditate sibi satisfiat pro rata sua. Pars 5. claret ex dictis; quia res aliena clamat ad dominum. Imò si usurarius etiam res suas proprias alienavit in tertium titulô lucrativô, v.g. per donationem, sciens se hoc modo fieri impotentem ad restituendas usuras, accipiens in utroque foro tenetur restituere ea, quæ accepit, si exstent, vel in quantum factus est locupletior. Molina *d. 329. n. 9.* sed tantùm, si petantur intra annum. Pars 6. sumitur ex *c. 14. 6. 17. h.t.* quod est singulare in usurariis, non tam in ipsorum favorem, quàm in odium illorum, qui & ipsi usuras extorserunt, ut nimirum non audiantur, si repetant usuras à se solutas, sed per exceptionem repelli possint, donec se ab exactis usuris purgaverint, vel eas solverint, aut cautionem idoneam de iis solvendis præstiterint.

42 Quæres, an etiam usurarius Mentalis obligetur ad restitutionem, seu an ex usura mentali oriatur obligatio restituendi? R. cum communi affirmativè propter textum in *c. 10. h. t.* & rationem, quia, qui mutuum non dat, nisi indè speret lucrum tanquam debitum sine ullo justo titulo, seu qui intendit obligare ad dandum aliquid ultra sortem (licèt hunc animum non prodat) & aliquid quasi ex obligatione accepit, injustè accepit: ergo tanquam res aliena, vel iniquè parta, restitui debet: nec dimittitur peccatum, nisi restituatur ablatum. *c. 4. de R. J. in 6.* Oppones. Ex Simonia Mentali non oritur obligatio restituendi, sed sufficit sola pœnitentia & dolor animi ob DEum offensum: ergo nec ex Usura Mentali. R. *Antec.* esse quidem generaliter verum, non tamen semper, sed *N. Conf. & parit.* nam Simoniacus mentalis ordinariè non infert injuriam danti, à quo temporale accipit pro spirituali, sed tantùm rei sacræ; cùm alter censeatur gratuitò & non quasi ex debito ac necessitate rem temporalem dare: econtra Usurarius mentalis ordinariè infert injuriam usuras danti, quia iste invitus & mixtè involuntarie illas solvit, cùm aliàs non obtineret mutuum, quo indiget. Interim si temporale pro spirituali, v.g. beneficio Ecclesiastico, quod alias Clericus non obtinet, eo tamen indiget, ex necessitate & invitus dedit, licèt sine pacto, idque constat accipienti hoc temporale, etiam ex hac Simonia mentali oritur obligatio restituendi, & tunc est paritas cum usura. Sicut econtra nec usurarius mentalis ad restitutionem tenetur, si, quod accepit, à mutuatario liberaliter & gratuitò est datum, non quasi ex debito. Sed tunc proprie usura, saltem iniqua, non est.

Dico 4. Non usuræ tantùm, sed etiam, si 43
pro illis data sit res frugifera, fructus indè percepti, & quos mutuatarius potuisset percipere, licèt usurarius non perceperit (deductis tamen expensis, quas collectio & conservatio frugum exigit) restituendi sunt, unà cum damno, quod propter solutas usuras passus est mutuatarius, & lucro, quod eidem propterea cessavit. Ratio, quia usurarius injustè percepit fructus tanquam malæ fidei possessor, & causa injusta exstitit damni &c. siquod indè secutum est ab usuris distinctum, ut si mutuatarius debuit agrum vendere viliori pretio &c. ut posset solvere usuras.

Dico 5. Restitutio facienda est illi, qui per 44
usuras est læsus, vel, si jam obiit, ejus hæredibus, &, si nec hæredes exstent, vel ignorentur, causis piis, nempe pauperibus, Ecclesiis &c. Text. & DD. in *can. 4. cauf. 14. q 5. c. 5. h.t. c. 16. de Judæis;* quia bona ex delicto contra Justitiam acquisita retineri sine delicto non possunt, consequenter si ii, qui injustè læsi sunt, non ampliùs exstant, nec eorum hæredes, vel ignorentur, restituenda sunt, & eroganda in causas pias.

Dico 6. Pœnæ usurariorum sunt sequen- 45
tes. De Jure Canonico sunt infames, & eo ipso irregulares, ac, si Clerici sint, & moniti non resipiscant, suspendendi, tum verò, si necdum se emendent, etiam deponendi ab officio & beneficio Ecclesiastico, reddendique inhabiles ad aliud obtinendum: si Laici sint, excommunicandi, imò hodie juxta *c. 1. h. t. in 6.* ipso facto sunt excommunicati. *can. infames. cauf. 2. 3. q. 7. can. 2. d. 33. c. 11. de Exæcff. Prælat. c. 1. c. 7. h.t.* Neganda quoque est ipsis Absolutio Sacramentalis à quocunque peccato, nisi priùs restituerint usuras, vel de restituendo idoneam cautionem præstiterint. *c. 2. h.t. in 6.* si verò neutrum ob angustias temporis præstare possint, sufficit juramentum de solutione vel cautione præstanda, ubi potuerint: & Confessarius in articulo mortis constitutum usurarium absolvens petat ab ipso facultatem manifestandi Ordinario voluntatem restituendi, nisi ipse coram aliis publicè protestatus fuerit, se teneri & paratum esse ad restituendum, ut nempe hæredes (vel ipse, si supervixerit) cogi ad restituendum possint. Nav. Mol. Pirhing *h. n. 159.* Præterea excludendi sunt à Sacra Communione, seu perceptione Sacramenti Evchariſtiæ, item à faciendis oblationibus, quæ non debent accipi. *c. 3. h.t.* Sunt intestabiles activè, ita ut eorum Testamenta non valeant, aliæq; ultimæ voluntates, nisi actu priùs restituerint usuras, vel idoneè de restituendo caverint: nec ulli interesse licet eorum testamentis conficiendis. *c. 2. cit.* Si solutionem vel cautionem de solvendo non præstiterint antecobitū, mortui sepulturâ sunt privandi. *c. 3. cit.* qui verò sepelierit, & Clericus sit, ipso facto suspensus, Laicus

cus verò ipso facto excomunicatus est *d. c. 3. & Clem. 1. de Sepult.* De Jure Civili puniuntur amissione sortis, seu rei mutuatæ, at in Germania solùm quoad quartam illius partem, unà cum usuris ex sorte perceptis. *Recess. Imper. de ann. 1500. 1548. & 1577.* Atque hæ sunt pœnæ vel ordinariæ in usurarios (*manifestos* tantùm *c. 15. h. t.*) ab utroque Jure statutæ, quæ tamen non incurruntur, nisi prævià Judicis sententiâ, criminis declaratoriâ. *arg. c. 19. de hæret. in 6.* Et præter illas etiam arbitrariæ & extraordinariæ locum habere possunt. Pirhing *n. 172.* & alii.

46 Dico 7. Usura est crimen mixti fori, ut adeò Judex competens non tantùm sit Ecclesiasticus, utì habetur *c. 2. c. 7. h. t. Clem. 2. de Judic.* sed etiam Laicus, utì dicitur *c. 12. h. t.* neque in quæstione Facti tantùm, dum quæritur, an hìc & nunc commissa sit usura, sed etiam in quæstione Juris, dum nempe quæritur, an hic vel ille contractus sit usurarius, nec ne: quia in *d. c. 12.* sine distinctione inter quæstionem Juris & Facti tribuitur cognitio de hoc crimine Judici Laico. Id quod confirmat praxis, & ratio; quia crimen usuræ plus spiritualitatis non habet, quàm alia delicta Justitiæ & Juri Naturali adversantia, utì homicidium, adulterium, furtum, quæ communiter habentur pro delictis mixti fori. Oppones. Quando vertitur quæstio Juris, an hic vel ille contractus sit usurariùs, est quæstio, an sit peccaminosus: sed cognoscere, an aliquis actus sit peccatum vel non, cognitio pertinet ad solum Judicem Ecclesiasticum. *c. 13. de Judic. & c. 13. Qui filii. &. dist. Min.* pertinet ad judicem Ecclesiasticum, & quidem ad solum Pontificem, quando quæritur, an aliquid sit peccatum vel non, si id generali & Legali definitione decîdendum est. *C. Min.* si tantùm in casu particulari id decîdendum. *N. Min.*

TITULUS XX.

De Crimine Falsi.

SUMMARIUM.

1. *Falsum, & crimen falsi, tam verum quàm quasi tale.*
2. *Committitur Dictô,*
3. *4. 5. Scriptô, Factô, & Usu.*
6. *Quæ falsi species puniuntur quidem omnes à Jure, sed modô diversô.*
7. *Pœnæ criminis Falsi de Jure Civili.*
8. *Et de Jure Canonico.*
9. *An hujus pœnas incurrat falsans litteras Apostolicas non perniciosè, & in loco non suspecto.*

1 SCiendum 1. sicut *falsum*, vel *falsitas* in genere dicitur omnis immutatio veritatis, sive contingat sine dolo, ut siquis narret rem non veram, quam tamen putat esse veram, sive cum dolo, ut siquis mentitur, & scienter loquitur, quod verum non est, animô decipiendi; ita ad *crimen falsi*, quod ad furta & usuras, de quibus hactenus, multùm accedit, requiri *immutationem veritatis*, at non tantùm, sed insuper *dolum*, & quidem verum, non merè præsumptum, qui quamdiu non probatur, præsumitur potiùs error, quàm dolus, ac denique *damnum*, alteri illatum, vel quod saltem inferri potuisset, nisi per accidens fuisset impeditum. DD. passim ex *l. 1. l. 6. l. 22. l. 23. ff. & l. 6. l. 8. C. ad Leg. Cornel. de falsis l. 6. C. de dolo malo. Novell. 73. pr. can. 4. caus. 22. q. 2.* Ex quibus sic definitur crimen falsi: *est immutatio veritatis dolô malô facta in præjudicium alterius.* Unde tria essentialiter requirit. 1. ut fiat deceptio, & immutetur veritas. 2. ut id fiat dolo malo, seu cum intentione & animo decipiendi. 3. ut indè inferatur alteri damnum, vel saltem inferri per se possit: si tamen actu non fuit illatum, mitior pœna habet locum, ut communiter notant. Est crimen admodum grave, Exceptum, Publicum, & notatum *à Lege Cornelia de Falsis*, originaliter quidem illud tantùm, quod committitur circa Testamenta; quapropter hæc Lex passim appellatur *Testamentaria*; postea verò etiam alia falsa ab Imperatoribus notata, criminibus Publicis annumerata, ac pœnâ Legis Corneliæ de falsis punibilia facta sunt, & quidem sat multa in specie, adeò quidem, ut aliqui judicârint, nullum falsum esse punibile pœnâ dictæ Legis, nisi aliqua Lege id specialiter expressum sit; ex quibus P. König *h. t. n.* 11. propterea crimen falsi sic definit: *est delictum publicum, quo in alterius præjudicium veritas dolosè immutatur, quódque speciali Lege tanquam falsum notatur.* Sed aliis meritò videtur necessaria non esse specialis, sed sufficere generalis notatio Legis Corneliæ citatæ, quæ omnem dolosam veritatis immutationem, in præjudicium alterius factam, puniri jubet. *arg. l. 1. & l. 23. cit.* P. Schmalzgrueber *h. t. n. 8.* Porro si crimen falsi committatur circa Testamenta, testimonia, & nummos, quod notatur in *d. L. Cornel. de fals.* appellatur *verum*, si circa alias materias, & quod notatur vel vindicatur ab aliis Legibus, *quasi tale* dicitur. Qui illud vel istud committit, vocatur *Falsarius.*

Sc. 2. Crimen falsi quatuor modis committi posse. 1. *dictô*, quando veritas dolosè immutatur verbô. 2. *scriptô*, quando per falsam scripturam. 3. *factô*, seu re, quando per aliquod factum. 4. denique *usu*, seu potiùs abusu, quando quis falsitate ab aliis confictâ scienter utitur. Videamus singulorum modorum aliqua exempla. *Dictô*, itaque committit crimen falsi 1. testis in Judicio dolosè falsum deponens, vel verum supprimens, item qui testem corrumpit donis vel pretiô, aut subornat, ut testificetur falsum, vel occultet verum. Excusatur tamen testis à crimine falsi, saltem in ordine ad rigorem pœnæ, qui in Judicio non circa substantialia causæ, sed solùm in circumstantiis accidentalibus falsum deponit, aut sine præjudicio tertii; licèt per hoc etiam quoad substantialia se reddat valde suspectum. 2. Advocatus dolô malô causam sui clientis prodens, & dissimulatis probationibus veris, aut admissis adversarii exceptionibus

nibus falsis Partem adversam juvans, ut vincat. 3. Judex, qui pecuniâ corruptus, vel aliàs dolô malô fert sententiam injustam contra Leges.

3 *Scriptô* committit falsum 1. Notarius, qui conficit vel scribit, signat, recitat, subjicit Instrumentum, vel Testamentum falsum, aut legatum vel fideicommissum in Testamento alicui tribuit falsò. 2. qui testamentum, vel aliud instrumentum vitiat, celat, lacerat, supprimit, vel in parte substantiali aut considerabili immutat, radit &c. qui alienum chirographum, manum, aut sigillum imitatur dolose & cum aliorum præjudicio. 4. qui aperit testamentum clausum, vel alias litteras publicô sigillô Magistratûs munitas refert: quamquam probabiliùs ut falsarius puniri non debeat, qui alienas litteras privatorum, & publicô sigillô non munitas, aperit revulsò sigillô, ut notat Engel *h. n. 11.* licèt ordinariè peccet graviter, ac propterea arbitrariè puniendus sit, nisi justa causa excuset, v. g. jus belli, motivum impediendi peccatum, aut insidias detegendi, meritò præsumpta licentia illius, ad quem litteræ pertinent &c. 5. qui aliena instrumenta apud se deposita prodit adversario. 6. qui adulterinum signum facit, sculpit, exprimit. & 7. qui nomen alienum assumit, aut proprium mutat fraudulenter, & in præjudicium tertii. 8. qui corrumpit edicta Magistratûs. 9. & maximè, qui falsificat litteras Apostolicas, cujus falsationis novem modos recensèt Papa *in c. 5. h. t.* ut si falsis litteris falsa apponatur Bulla, aut filum falsum inseratur litteris falsis, vel addatur falsum sigillum, si veræ quidem sint litteræ, in parte tamen notabili fiat mutatio per rasuram, lituram &c. si aliquid adjiciatur, & forma mutetur &c. cujusmodi falsationes litterarum Apostolicarum *Gloss. in c. cit.* comprehendit hoc versu: *forma, stylus, filum, membrana, litura, sigillum.* Cæterùm per *litteras Apostolicas* hic veniunt omnes Bullæ, Brevia, & Rescripta ipsius Pontificis, sive Gratiam contineant sive Justitiam: item supplicationes, Pontifici oblatæ, & ab eo, vel hujus nomine à Vice-Cancellario, aut alio ex Pontificis mandato jam signatæ: non verò litteræ Congregationis Cardinalium, Pœnitentiariæ, Datarii, Legati à Latere, Nuntii à Papa missi, minùs Episcopi vel inferiorum.

4 *Factô* committit falsum 1. qui falsificat monetam, scilicet vel cudendo propria auctoritate, vel cudendo ex materia adulterina, stannum, cuprum, &c. admiscendo, vel justum pondus jam cusæ minuendo, abradendo, item tingendo, ut appareat aurea tectô cuprô &c. 2. qui aurum vel argentum per Alchimiam confectum adhibet pro moneta, vel aliis tradit pro auro argentóve vero, cùm soleat esse spurium, & præsumatur esse ob tot fraudes & deceptiones Alchimistarum, quas experientia docuit: licèt enim ars conficiendi verum aurum non videatur esse impossibilis Physicè, nunquam tamen hactenus adinventa esse putatur, vel saltem non scitur. 3. qui aliis mercibus adulterinam admiscet materiam. 4. qui pondera, bilances, mensuras publicè probatas corrumpit, & alias adhibet in aliorum damnum. 5. qui eandem rem duobus vendit in solidum, ac tradit, non monito priùs emptore secundo, nec ante sententiam pœnitet. 6. qui terminos & limites agrorum &c. dolosè mutat. 7. qui alienum alicui supponit partum. 8. qui fingit aliud genus familiæ, alios parentes &c. honoris titulos, v. g. Doctoris, Advocati, Notarii, Nobilis sibi vendicat falsò & in aliorum præjudicium, aut aliena insignia usurpat.

Usu denique committit falsum 1. qui in- 5
strumentum falsum scienter profert in Judicio, vel falsas leges, aut probationes, scienter adducit, vel utitur abrogatis rescriptis &c. 2. qui falsam monetam dolosè colligit & expendit: siquis tamen non studiosè colligat, licèt scienter & dolosè expendat falsam monetam, sive scienter sive ignoranter acceptam, peccat quidem & tenetur ad restitutionem damni faciendam illi, cui datum est, pœnæ tamen alteri non est obnoxius.

Sc. 3. quamvis memoratæ species crimi- 6
minis falsi, quod quatuor dictis modis contingere potest, comprehendantur & notentur fere omnes, ac puniantur à Jure, vel utroque, vel alterutro, Civili aut Canonico, uti notant DD. probántque adductis Legibus & Canonibus, præsertim Clarus, Menoch. Farinac. Carpzov. Molin. Barb. Haun. & P. Schmalzgrueber *h. t.* non tamen eadem omnes pœnâ affici. Imò Jus Canonicum sequentes tantùm notat, & vindicat. 1. Judicem, qui pretiô, odiô, gratiâ corruptus fert iniquam sententiam. 2. falsidicum testem. 3. falsantem sigillum Principis. 4. eum, qui circa monetam. 5. circa mensuras & pondera publica committit falsum. 6. qui exercent artem Alchimisticam, & aurum Chymicum expendunt. 7. & maximè falsantem litteras Apostolicas.

Dico 1. Pœna falsi de Jure & in foro Ci- 7
vili hodie est arbitraria, exceptis quibusdam speciebus, nimirum vel confiscatio bonorum, vel amputatio manûs, exilium, carcer, mulcta pecuniaria &c. vel etiam ultimum supplicium, prout Judici videbitur attenta qualitate personæ & quantitate damni aliísque circumstantiis. Ita communis cum *gl. in l. 1. §. fin. V. eorum ff. de L. Cornel. de falsis.* Claro, Farinac. Menoch. Wiestner *h. t. n. 5.* Favet Constit. Pœn. Caroli V. *art. 111. 112. seqq.* Dixi 1. *Pœna;* nam resarcitio damni per hoc crimen aliis illati non tam pœna est, quàm obligatio Jure Naturali imposita, vi cujus omne damnum iniquè datum in conscientia & ante omnem Judicis sententiam resarciendum est. 2. *Hodie*, de Jure enim Antiquo speciales pœnæ pro singulis ferè reperiuntur expressæ, uti in §. 7. *Inst. de publ. judic. l. 1. cit. &c.* id quod videre est apud citt. DD. 3. *exceptis quibusdam speciebus;* nam in Imperio Romano testis falsum juratò deponens

ponens in causa Civili redditur infamis, eique amputantur duo digiti, quos in præstatione juramenti erexit. *Const. Carolin. cit. a. 107.* pejerans in causa criminali punitur pœnâ Talionis. *Constit. cit. art. 68.* sed solùm tunc, quando processum est per viam Accusationis; si enim per viam inquisitionis, pœna potest esse extraordinaria & mitior. *arg. c. 21. de Accus.* Item qui ex adulterina ac vitiata materia efformant monetas, vel efficaciter cooperantur, pœnâ ignis (licèt soleat præcedere strangulatio) puniendi sunt. *l. 2. C. de falsa moneta. Constit. Carol. a. 111.* qui verò tantùm efformant ex vitiosa materia, vel cudunt, non tamen expendunt, capite plectuntur, uti Carpzov. & alii notant: qui autem non quidem cudunt, sed ejusmodi vitiosam monetam studiosè colligunt, ac pro legitima expendunt, frequenter & cum magno Reipublicæ damno, subjacent eidem pœnæ ignis. *Constit. Carol. art. 111. cit.* Reliqui falsarii circa monetam, uti qui cudunt monetas justi ponderis, vel formam mutant, propria & privata auctoritate, qui illas radunt, mutilant, minuunt &c. arbitrariè puniuntur, sicut alii falsarii, in foro Civili.

8 Dico 2. de Jure Canonico certæ pœnæ in sequentes falsarios determinatæ sunt. 1. Testis in Judicio deponens falsum, vel veritatem supprimens, sive in Civili sive in Criminali causa, fit infamis: si Clericus, etiam deponendus est, & in Monasterium hodie in carcerem vel ad triremes) detrudendus. *can. 9. caus. 3. q. 5. can. 7. d. 50.* 2. Judex Ecclesiasticus, qui pretiô &c. corruptus iniquam tulit sententiam, ultra æstimationem litis Parti læsæ præstandam incurrit suspensionem à Divinis. *c. 1. de sent. & re jud. in 6.* 3. falsans pondera, & mensuras publice probatas, 30. dierum pœnitentiâ in pane & aqua castigandus est. *c. 2. de Empt.* 4. falsificans monetam Regis Galliæ incurrit excommunicationem reservatam Pontifici. *Extrav. un. Jo. XXII. h. t.* 5. Alchimistæ, eorúmque ministri in hac damnosa arte & periculosa, uti &, qui aurô ab ipsis conflatô utuntur, damnantur ad tantum auri veri, quantum fuerit illud Alchimicum, pauperibus dandum, simúlque fiunt infames, &, si Clerici fuerint, privantur beneficiis, & ad alia obtinenda fiunt inhabiles. Si mulctam pecuniariam (nam plerumque ad incitas rediguntur hujusmodi artifices imaginarii) solvendo non sint, carcere vel aliâ corporis pœnâ macerantur. *Extrav. un. int. Comm. h. t.* 6. qui falsificant sigillum Principis, & Clerici sunt, depositi notantur stigmate, & ex provincia expelluntur. *c. 3. eod. X.* 7. falsarii litterarum Apostolicarum, uti & eorum fautores ac defensores, incurrunt excommunicationem ipso facto; si Clerici fuerint, omni officio & beneficio Ecclesiastico privantur perpetuò, &, si per se ipsos, non per alium, falsificaverint dictas litteras, insuper degradandi, Curiæque Sæculari tradendi sunt, juxta leges puniendi. *c. 7. h. t.* & respectu eorum, qui per se ipsos vel alium falsârunt, excommunicatio est reservata. *Bull. Cœn. in casu 6.* non verò respectu fautorum &c. 8. qui scienter impetrant literas Apostolicas falsas, vel iis utuntur, si sunt Laici, ipso facto excommunicantur; si Clerici, officiis & beneficiis Ecclesiasticis privandi sunt. *c. 7. cit. v. qui verò.* Imò qui habent tales litteras ab aliis falsificatas scienter, & intra 20. dies non destruunt, licèt iis non utantur, excommunicandi sunt per sententiam, &, hac latâ, excommunicatio est reservata Papæ. *c. 4. eod.*

Quæres, an pœnas in falsarios litterarum Apostolicarum statutas incurrat etiam, qui in Rescripto Justitiæ aliquid immutat, ex quo nullum vel leve oritur damnum Parti colitiganti, vel Fisco? 2. item qui in una tantùm syllaba vel paucis litteris, & quidem in loco non suspecto, radit litteras Apostolicas? R. ad 1. affirmativè; quia pœnæ in falsarios litterarum Apostolicarum statutæ sunt non tam propter damnum inde secuturum, quàm propter injuriam & contemptum authoritatis supremæ, atque ut evitetur omnis occasio falsationum. R. ad 2. negative, si per rasuram non immutetur sensus litterarum à Papa intentus. Navar. & alii; quia verba olim Bullæ Cœnæ adjecta, *excommunicamus eos, qui mutant punctum, aut litteram &c.* post Clem. VIII. solent omitti, satis clarô indiciô, quòd nolit Papa tam graves pœnas incurri propter vitium tam parvum, sensui non præjudicans: litteræ tamen taliter vitiatæ habentur pro falsis. Si rasura sit facta ab ipsis Officialibus in Curia, etiam in loco substantiali vel suspecto, nec Rescripta habentur pro falsis, nec pœnæ incurruntur. Si litteræ adhibeantur adhuc clausæ, & deprehendatur rasura, præsumitur, eam in Curia esse factam, uti &, si rasura appareat in loco non suspecto, ac litteræ jam sint apertæ, & dubium sit, an facta sit in Curia, vel postea ab impetrante vel utente: secus, si appareat in loco suspecto, & dubium sit, ubi contigerit.

TITULUS XXI.

De Sortilegiis.

SUMMARIUM.

1. Sortilegium, & sors quid.
2. Sortes Divisoriæ, Consultoriæ, & Divinatoriæ.
3. Divinationis varia nomina & species.
4. Magia, Maleficium, & Veneficium, Vana observantia.
5. Sortes Divisoriæ regulariter sunt licitæ.
6. Consultoriæ autem sub certis conditionibus.
7. 8. 9. Illicitæ verò sunt Divinatoriæ, seu Divinatio, Magia, & Vana observantia.
10. Pœnæ Divinationis & Sortilegii.
11. Utrò & Magia de utroque Jure.

SCiendum 1. *Sortilegium*, saltem Divinatorium, de quo potissimùm hic sermo, & *Collusionem*, de qua in *tit. seq.* propter falsitatem

tem & deceptionem, quam continent, convenienter subjungi post Crimen falsi. *Sortilegium* autem genericè acceptum comprehendit omnes superstitiones, Magias, Divinationes: presiùs autem Divinationem, quâ per sortes Divinatorias & signa falsa ac vana inquiruntur & manifestantur ope dæmonis futura & occulta: propriissimè huic Titulo dicit *usum sortium*, non modò illicitarum, quales sunt Divinatoriæ, sed etiam licitarum, quales sunt Divisoriæ, & Consultoriæ. *Sors* enim nihil est aliud, quàm quando aliquid fit eum in finem, ut ex illius eventu innotescat aliquid occultum. Unde

2 Sc. 2. Sortes cum S. Thoma communiter dividi in Divisorias, Consultorias, & Divinatorias. *Divisoriæ* sunt, quæ assumuntur ad jura dubia, aut ad res dividendas, vel ad lites dirimendas, vel ad aliquem ex pluribus competitoribus eligendum, uti si plures cohæredes bona defuncti inter se dividunt sorte v. g. jactu aleæ, vel si litigantes conveniunt, ut is sit victor in lite dubia, vel is ad officium electus sit, cujus nomen ex urna primum fortuitò fuerit eductum. *Consultoriæ* dicuntur, quæ adhibentur ad cognoscendum, quæ sit in re ancipiti Dei voluntas, quid faciendum, omittendum &c. Sic per sortem electus est S. Mathias in Apostolum, & furtum Achan deprehensum. *Divinatoriæ*, quibus exquiritur notitia arcanorum, absentium, futurorum, præteritorum, per media improportionata, v. g. per verba, scripturam, cruces, vel alia signa nullam connexionem naturalem habentia cum eventu, aut rebus futuris, & arcanis, quarum notitia exquiritur, atque sic tacitè invocatur dæmon, ut manifestet; nec enim necesse est, ut dæmon semper explicitè ad id invocetur. Hujusmodi sortium Divinatoriarum usus etiam vocatur *Divinatio*, eò quòd illi, qui per eas decipiebant homines, divinitate plenos se olim finxerint, ac propterea *Divini* sint nuncupati.

3 Sc. 3. Species hujus Divinationis, vel potiùs nomina esse diversa pro diversitate rerum & signorum, quæ adhibentur ad cognoscenda occulta: Sic quando Divinatio fit per terram, *Geomantia:* quando per aërem, *Aëromantia:* quado per aquam, *Hydromantia:* quando per ignem, *Pyromantia* appellatur. Si fiat per inspectionem pedum, *Pedomantia:* si per inspectionem manuum, ut faciunt Chaldæi, seu Zingari, vulgò Zigeiner / *Chiromantia*, si per observationem somniorum *Onyrocritica:* si per assumpta corpora mortuorum, à quibus accipere responsa dicunt, *Necromantia*: si per inspectionem Astrorum *Astrologia Judiciaria* dicitur. Qui adhibent verba vel cantiones, *Incantatores:* qui inspiciunt exta animalium, *Auruspices:* qui observant avium garritus, volatum &c. *Augures*, vel *Auspices:* qui ex horoscopo nativitatis prædicunt bonum vel malum hominis successum, mortis vel vitæ genus &c. *Genethliaci:* qui oculorum aciem præstringunt, & Magica arte faciunt apparere, quod non est, *Præstigiatores:* qui ex dæmone assistente vel insidente dant responsa, *Pythones:* qui denique in aris Idolorum superstitiones agunt, *Arioli* vocantur. vid. *can. 1. caus. 26. q. 3. & can. 14. q. 5.* Cæterùm ubi pactum explicitum cum dæmone intervenit, & similia fiunt, appellatur generali nomine *Necromantia*, Schwartz-Kunst.

Sc. 4. Divinationi affinem esse Magiam, & 4
Vanam observantiam. *Magia* (scilicet superstitiosa, & non Naturalis) est ars operandi mira per opem dæmonis, vel explicitè, vel implicitè per signa, nullam connexionem naturalem cum effectu habentia, invocati: si tendat ad nocendum, *Maleficium* aut *Veneficium* nuncupatur. Differt à Divinatione, quòd in hac solùm cognitio rei occultæ, per Magiam verò effectio alicujus operis miri à dæmone petatur. Quare utraque eandem ferè habet malitiam in se, secluso damnò per Magiam aliis illatò, nempe societatem, commercium, invocationem, & pactum cum dæmone, expressum vel tacitum: *expressum* pactum datur, quando explicitè imploratur dæmonis opera, vel intenditur, ad aliquid cognoscendum, vel efficiendum: *tacitum*, quando tantùm implicitè, nimirum adhibendo, inspiciendo &c. signum aliquod vanum, ex se nullam habens connexionem naturalem cum rebus occultis, vel virtutem operandi tales effectus, neque supernaturalem ex voluntate aut revelatione Dei, vel ex ordinatione aut precibus Ecclesiæ. Nec obstat, quòd sæpe interveniant verba Scripturæ, sancta, ad Dei cultum pertinentia, cruces, preces &c. si enim vanæ, & per se nihil conferentes, circumstantiæ adhiberi debeant, v. g. signum crucis efformari in calceo, exprimi ignotis characteribus, vel verba sacra dici ad aures ægri jumenti, versùs lunam, ante solis ortum &c. ab aliqua substantia intelligente (quæ nec DEus est, nec Angeli, quia DEus nullibi revelavit, se ad positionem talium signorum, & circumstantiarum, velle aliquid indicare aut efficere, nec Angeli sine Dei voluntate quidquam revelant aut efficiunt) adeóque à dæmone saltem implicitè & opere ipso petitur cognitio rei occultæ, vel effectio operis, consequenter Divinatorium vel Magicum est, proindéque superstitiosum; quia superstitionis species sunt Divinatio, & Magia, uti & *Vana Observantia*, quando nempe ex casuali quodam eventu, v. g. ex offensione pedis, sternutatione, casu tabulæ, cantu upupæ, occursu vetulæ &c. conjectura fit de futuro contingenti, prospero vel infortunato successu negotii &c. cujusmodi vanis observationibus olim Gentiles valde erant dediti, hodie autem ex Christianis simplices, fœminæ, pastores pecorum, & lusores. Differt à Divinatione propriè dicta, quòd vanus observator non ipse ponat signa, per quæ aliquid cognoscat, sed ex eventu, aliunde posito, conjiciat & intendat futurum aliquem effectum, non meram cognitionem: convenit tamen cum Divinatione in hoc,

quòd ex medio & signo improportionato credat aliquid futurum, quod dæmonis ope, vel explicitè, vel implicitè implorata, ponendum conjicit.

5 Dico 1. Sortes Divisoriæ regulariter & per se sunt licitæ. Communis fundata tum in Jure utroque *can. 1. caus. 26. q. 2. & l. 5. ff. famil. Herciſc. l. 3. C. Communia de Legat.* tum ex ratione, quia sunt quidam contractus, & species compositionis aut transactionis, dum plures idem jus habentes conveniunt, ut res per sortem vel temere dividatur, vel illius sit tota, cui sorte obvenerit: nihilque mali in hoc apparet: tum ex praxi quotidiana, imò & praxi Veteris Testamenti, ubi terra Promissionis per sortem divisa fuit inter Israëlitas. *Num. 33. Jos. 15.* Dixi 1. *regulariter*, nisi nempe circumstantia accedat, ex qua reddantur illicitæ, ut si sortientes non haberent æquale jus, vel, si ageretur de pœna per sortem determinanda, cui infligatur, non æqualem culpam: si admisceretur aliquid superstitiosi, vel eventus exspectaretur à dæmone. 2. *per se*; nam per accidens fierent illicitæ, si v. g. officia per sortes distribuerentur, promiscuè admittendo indignos cum dignis ad ducendam sortem, aut si à Jure pro aliquo casu specialiter prohiberentur, uti à Jure Canonico prohibentur in electionibus ad Prælaturas Ecclesiasticas, ita ut nec Electores Compromissarii sorte decerni valeant. *c. fin. h. t.* ibi: *sortis usum in electionibus perpetua prohibitione damnantes.* Et quia hæc dispositio concernit & spectat bonum Ecclesiarum, salutémque animarum, videtur extendenda etiam ad alias Provisiones Beneficiales saltem in casu, quo notabiliter minùs digni admitterentur ad mittendam vel ducendam sortem: quamvis in casu, quo omnes competitores sunt æqualiter digni, vel duo litigantes de beneficio habent æquale jus, absolutè fieri possit provisio per sortem, saltem interveniente auctoritate Superioris Ecclesiastici, cujus est conferre Beneficium. Cæterùm sola electio, & quidem tantùm illa, quæ requirit solennitatem *c. quia propter 42. de Elect.* est irrita, si fiat per sortem, aliæ autem provisiones & electiones per sortem factæ non sunt irritæ, etiam in casu, quo à Jure prohibentur, uti est electio compromissariorum.

6 Dico 2. Sortes Consultoriæ, si cautè & reverenter adhibeantur cum certis conditionibus, absolutè sunt licitæ. Communis, comprobata tum exemplo S. Scripturæ, ubi legitur *1. Reg. 10.* Saulem in Regem, & *Act. 1.* Mathiam in Apostolum esse electum per sortem, tum ex ratione, quia absolutè nihil in iis mali apparet, si fiant cum debitis conditionibus, quæ sunt 1. ut materia sit honesta. 2. ut adsit aliqua necessitas, & alius modus non suppetat cognoscendi, quid faciendum, quid Deus velit &c. 3. ut servetur debita reverentia erga Deum, & non (secluso speciali instinctu Divino) explicitè vel implicitè petatur aliquod signum extraordinarium, aut miraculum, quo res manifestetur, sed tantùm ut Deus per Providentiam specialem sortes ita dirigat, ut indè veniatur in cognitionem voluntatis Divinæ, quam quis ex sorte cognitam statuit bona fide exequi. 4. ut non peccetur in modo, v. g. ne quis sacras Reliquias vel sacram Scripturam adhibeat ad obtinendum lucrum temporale. Aliud foret, si per illas intenderes vitare damnum temporale. Si istæ conditiones non concurrant omnes, vix evitabitur peccatum, & periculum erit, ne quis permittente Deo decipiatur à diabolo. Imò siquis secluso speciali instinctu Dei peteret signum extraordinarium vel miraculum, foret tentatio Dei & peccatum mortale: pariter grave foret peccatum, si revelatio futurorum exspectaretur à dæmone, vel à fato quodam Sidereo, vel à casu, ut excludente specialem Dei providentiam. Si verò desint cæteræ conditiones, vel una ex eis, ferè tantùm peccatur venialiter ob vanitatem, curiositatem, aliqualem temeritatem.

Dico 3. Sortes Divinatoriæ (seu Divinatio, propriè dicta, ejúsque species) sunt illicitæ, non tantùm si interveniat pactum explicitum cum dæmone, quod nemo sanus & Catholicus à peccato gravi excusaverit, sed etiam quando intervenit tacitum, prout illud explicavimus. Omnes Theologi cum S. Thoma & Canonistæ. Patet ex *can. 3. 5. 6. 7. caus. 26. q. 5. c. 1. h. t.* Ratio est clara, quia etiam pactum tacitum cum dæmone, qui per vana & improportionata signa invocatur ad manifestanda occulta (cùm Deus & Angeli non promiserint, vel non velint, ad talium signorum positionem manifestare) turpe, Deo injuriosum, & rectæ rationi, nisi aliqualiter excuset simplicitas vel ignorantia, graviter repugnans est. Aliud foret, si signa non essent vana & improportionata, sed naturalem haberent connexionem cum re occulta: sic Divinatorium & superstitiosum non est ex infirmorum somniis conjicere corporis complexionem, valetudinis statum, periculum mortis: ex avium volatu vel garritu, ex colore lunæ, aëris temperie, pluvias vel serenitates prænuntiare: ex Siderum motibus & conjunctionibus præsagire fertilitatem terræ, salubritatem tempestatis, morbos: ex signis physiognomicis humani corporis, seu ex Physiognomia, conjecturas facere de tali vel tali inclinatione hominis &c. quamvis & in his cautè sit procedendum.

Dico 4. Magia eodem modo est illicita, ut 8 evincit eadem ratio, & communis omnium firmat consensus.

Dico 5. Vana observantia, in qua intervenit pactum explicitum cum dæmone, semper 9 est peccatum mortale, ut est clarum, & apud omnes certum. Si verò implicitum duntaxat involvatur, est quidem ex genere suo mortale, uti passim asserunt, & probant etiam ex illo Psalmi 30. *odisti observantes vanitates supervacuè*; sæpe tamen & multi saltem à mortali excusantur vel propter simplicitatem, & ignorantiam, etiam vincibilem, modò non sit crassa aut affectata, vel propter defectum firmæ fidei, eò quòd non firmiter credant, sed tantùm

tum

tùm aliqualiter formident sinistrum ex subito eventu, aut prosperum quid aliqualiter sperent, vel propter defectum intentionis, ut si vanum quid faciant vel observent ex levitate, curiositate, non animô efficaciter obtinendi aliquid.

10 Dico 6. Pœnæ Sortilegii, nempe Divinatorii, seu Divinationis, de jure Canonico sunt vel pœnitentia 40. dierum, vel, si admoniti se non emendent, & sint personæ viles, fustigatio, si honestiores, incarceratio, vel ejectio ex diœcesi cum stigmate, vel excommunicatio ferendæ sententiæ. *c. 1. h. t. can. 10. 12. caus. 26. q. 5. & can. 15. q. 7.* Nisi sortes saperent Hæresim, ut si baptizarentur bruta, imagines &c. vel negaretur Deo, aut tribueretur aliquid diabolo, quod soli Deo competit; tunc enim forent pœnæ Hæreticorum. *c. 8. §. sanè de hæret. in 6.* Si verò Sortilegi essent Clerici, posset infligi annalis vel longior suspensio. *c. 1. 2. h. t.* aut depositio ab officio, & beneficio, ac ordine (quæ in *can. 15. cit.* vocatur degradatio, nempe verbalis.) *can. 4. seqq. caus. 26. q. 5.* De Jure Civili olim erat vel publicatio bonorum, vel supplicium capitale, vel etiam ignis, pro qualitate personarum & gravitate delicti. *l. 3. l. 5. C. de Malef. & Mathemat.* Sed hodie vi consuetudinis in utroque foro tam Civili quàm Canonico pœnæ sunt arbitrariæ. Et quamvis Sortilegium sit mixti fori, & Ecclesiasticus etiam contra Laicos procedere posset, in praxi tamen Laicorum coërcitionem ferè Judici Laico relinquit Ecclesia; nisi Sortilegium sapiat hæresim; tunc enim ad solum Judicem Ecclesiasticum spectaret cognitio, si sub ratione hæresis institueretur examen.

11 Dico 7. Pœna Magiæ de Jure Canonico est infamia, incarceratio, censuræ, imò & traditio Curiæ Sæculari. *can. 9. caus. 3. q. 5.* cum Bulla *Summis.* Innoc. VIII. *Honestatis.* Leonis X. *Omnipotens.* Gregorii XV. quæ tractant de pœnis in Sortilegos, Magos, & Maleficos. Sed circa Laicos Magos hæc judicia ferè relinquuntur Judicibus Laicis, uti de Sortilegis Laicis dictum, imò & Clericos Magos, priùs degradatos, eidem Curiæ tradi asserunt P. Wiestner *h. t. n. 11.* P. Reiffenstuel *n. 14.* & alii. Dè Jure Civili autem est gladius. *l. 5. cit.* Sed Jus recentius Caroli V. *in Constit. pœn. art. 109.* facit distinctionem: si Magia cum damno tertii fuit exercita, adeóque Maleficium commissum, statuit pœnam ignis: si sine damno, pœnam arbitrariam, v. g. relegationis, vel pro exigentia circumstantiarum etiam mortis.

TITULUS XXII.

De Collusione detegenda.

SUMMARIUM.

1. Collusio, Prævaricatio, Tergiversatio quid.
2. Collusio in quibus causis habeat locum.
3. Ejus pœna.

1 SCiendum, *Collusionem* esse delictum, quo actor & reus dolosa conventione inter se paciscuntur eum in finem, ut delicta maneant impunita: ut si accusator veras probationes subdolè omittat, aut falsas exceptiones admittat, & vocatur *Prævaricatio*, vel si dolosè ab accusatione & judicio desistat ante sententiam, & dicitur *Tergiversatio*; de quibus jam egimus ad *Tit. II. de Calumniatoribus.* Extenditur hoc delictum etiam ad Procuratores, & advocatos, qui ita fraudulenter colludunt cum Parte adversa: quamquam Advocatus non propriè collusor vocetur. *l. 1. §. 1. ff. de Prævar.* sed potiùs Falsarius sit, & Falsi pœnis obnoxius.

Dico 1. Collusio locum habet in causis 2
Criminalibus. 2. in Beneficialibus certo casu. 3. in Civilibus, at non inter actorem & reum principalem, bene tamen inter Procuratores, qui in præjudicium sui Principalis colludunt cum adversario, vel principali vel ejus advocato, secreta causæ eidem manifestando, probationes efficaciores omittendo, vel exceptiones futiles admittendo. Pars 1. & 2. à nemine negatur. Casus in Beneficialibus refertur *c. 3. h. t.* iste: si beneficatus dolosè patitur sibi litem moveri super beneficio eum in finem, ut actor, cui occultè favet beneficii possessor, probans, sibi aliquod jus competere in beneficium, in isto succedat post mortem beneficiati, & à vivo consequatur pensionem ex eodem beneficio, quod retinet possessor ad dies vitæ. Pars 3. quam negat Masc. Barb. & alii ex eo capite, quia in causis Civilibus liberum & licitum est Partibus transigere, litem tollere, concordiam facere, rectè defenditur ab aliis sub data distinctione: nam allata ratio probat quidem, Collusionem in causis Civilibus quoad ipsos Principales, Actorem & Reum, non habere locum, exceptâ causâ Matrimoniali, & vergente in præjudicium tertii: non tamen excludit collusionem quoad Procuratores & Advocatos, qui in præjudicium suorum Principalium inter se dictis modis conveniunt. Quamquam, uti dixi, potiùs sint falsarii, quàm collusores. Atque hoc modo conciliantur Auctores, quorum aliqui absolutè negant, alii absolutè affirmant, in causis Civilibus sedem habere Collusionem.

Dico 2. Pœna Collusionis in beneficialibus 3
quoad dictum casum est privatio beneficii perpetua quoad utrumque colludentem *c. 3. cit.* In criminalibus præter infamiam est arbitraria pro modo criminis. *l. 2. l. 4. ff. de Prævar.* & sententia per Collusionem lata tanti roboris non est, ut per Inquisitionem, vel novam accusationem, super eodem delicto procedi nequeat. *l. 3. ff. eod. c. 1. c. 2. c. fin. h. t.* In Civilibus est itidem hodie arbitraria, prout de Falsariis *tit. XX.* diximus.

TITULUS XXIII.

De Delictis Puerorum.

SUMMARIUM.

1. Pueri seu Impuberes, Puberes seu Minores, & Infantes, ac Majores quinam dicantur, ac infantia & pubertati proximi.

2. *Pueri ordinariè habentur pro capacibus delicti, non item Infantes.*
3. 4. *Pueri propter delicta omissionis quomodo puniendi.*
5. *Et propter delicta commissionis.*
6. 7. *An pater pro filio impubere vel minorenni delinquente possit mulctari pecuniariâ pœnâ.*

1 SCiendum 1. ex præcedentibus Titulis, in quibus variorum delictorum pœnas recensuimus, quæstionem oriri, hìc decîdendam, an eas etiam incurrant pueri, & qui sunt infirmioris ætatis. Per *Pueros* intelliguntur *Impuberes*, seu qui septimum annum egressi sunt, at nondum impleverunt decimum quartum ætatis annum, si mares sint, vel duodecim, si fœmellæ: sed in ordine ad pœnas & in materia criminali fœmellæ æquiparantur maribus, & usque ad 14. ætatis annum completum habentur pro impuberibus. Post hos annos vocantur *Puberes*, vel *Adolescentes*, vel *Minores*, seu *Minorennes*, usque ad 25. ætatis annum. Ante exactum verò septennium *Infantes*: & post 25. completum *Majorennes*, vel *Majores*, seu in ætate virili constituti. Respectu *Puerorum* consideratur in hac materia etiam vicinitas vel ad Infantiam vel ad Pubertatem: qui enim uno vel altero duntaxat anno infantiam excesserunt, dicuntur *Infantiæ proximi*: & qui à pubertate distant dimidio tantùm, vel integrô annô, vel integrô cum dimidio, *Pubertati proximi*; nam DD. non conveniunt in determinanda utraque hac proximitate, & ideo plurimi rectè monent, in particularibus casibus determinationem relinquendam esse arbitrio Judicis. Pubertas autem quamvis 12. in fœminis, & 14. annô in maribus incipiat, *plena pubertas* tamen in prioribus vocatur, si 14. in posterioribus, si 17. vel 18. annum ætatis compleverunt. Farinac. *in Prax. Crim. q. 92. n. 20.*

2 Sc. 2. Certum esse, *Pueros* & *Puellas*, saltem pubertati proximiores, ita rationis ac doli ordinariè esse capaces, ut gravia etiam delicta, homicidia, imò ferè omnia, exceptô peccatô carnis consummatô (quamvis ad hoc quoque subinde apti inveniantur, malitiâ ætatem supplente) committere possint. *c. 1. h. t. l. 1. §. 33. ff. de S. C. Sylanian.* ac proinde pœnis obnoxii sint. *c. 1. cit.* Aliud est de *Infantibus*, qui ante septennium sicut rationis & doli, ita & delicti capaces ordinariè non sunt, & pro foro externo præsumuntur non esse capaces, nec scire, quid agant: quamvis coram Deo sæpius peccent saltem venialiter, si imperfectum rationis usum, & mortaliter, si quid graviter prohibitum designent, ac plenum rationis usum per accidens habeant. Nec obstat, quod infantes puniri soleant, siquid perperam agant; nam non propriè puniuntur, nec pœna Civili aut Criminali propriè dicta affici possunt propter præsumtionem Juris de doli carentia ob defectum rationis usûs. *l. sed & si 5. §. 2. ff. ad Leg. Aquil. l. 60. ff. de R. V. l. 12. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Clem. un. de hom.* sed castigantur, & rectè quidem, ferè sicut amentes, furiosi, & bruta, ut apprehensione doloris stimulentur ad faciendum vel omittendum id, quod postulatur. Porro in ordine ad puniendos Pueros & Minorennes discrimen observandum est inter delicta *Commissionis* & *Omissionis*: illa sunt, quando aliquid faciunt contra legem prohibentem, ista, quando aliquid omittunt contra Legem aliquam præcipientem.

Dico 1. Pueri propter delicta omissionis Legali pœna non sunt puniendi. 2. uti & propter delicta commissionis, qui sunt infantiæ proximi. 3. qui tamen doli jam sunt capaces, & proximi pubertati, subjacent quidem pœnæ Legali. 4. non tamen ordinariæ, sed mitiori, saltem regulariter. Pars 1. quam tenet communis cum Farinac. *q. 92. n. 69. 72.* sumitur ex *l. 2. C. si adversus delict.* ubi etiam Puberes seu Minores, si eorum delictum consistit in non faciendo, servantur illæsi, & ex ratione, quòd imprudentiâ potiùs, quàm malitiâ & dolô omisisse præsumantur. Unde si dolus in omissione interveniret, idque satìs probaretur, pœnam omnem non effugerent. *l. 14. ff. de S. C. Sylan.* Pars 2. quam cum eodem Farinac. *n. 46. 51.* iterum sustinent communiter, fundatur in §. *10. Inst. de inutil. Stipul.* eò quòd tales non multùm distent à furioso, & dolus ob infirmitatem Judicii non consideretur: quod intelligo, nisi extraordinaria in talibus deprehendatur judicii maturitas, & malitia. Pars 3. quam plerique amplectuntur, satìs clarè habetur. *c. 1. h. t.* ubi de *pueris grandiusculis* dicitur, quòd, sicut delicta commissionis, uti sunt furta, mendacia, periuria &c. committendi capaces sunt, ita & pœnis subjaceant; cùm pœna sit pedissequa delicti dolô commissi: *quamvis*, ut subjungit *d. c. in f. in eis non ita, ut in majoribus punienda videantur* delicta. Interim quinam sint doli satìs capaces, arbitrari spectat ad judicem; cùm alii citiùs, alii tardiùs usum rationis obtineant: plerumque tamen, si non sint infantiæ proximi, præsumitur doli capacitas, præsertim in pubertati proximis, quamdiu non probatur contrarium, adeóque pro pœna dignis reputantur. Pars 4. manifestè innuitur in verbis *c. 1. cit.* rectatis, uti & in *c. 2. seq.* ibi: *in pueris relinqui solet inultum* (nempe pœnâ ordinariâ, ne contradicat *c. 1.* præcedenti) *quod in aliis provectioris ætatis Humanæ leges ducunt severiùs corrigendum*, & ideò, licèt capitale crimen committant, ultimô tamen supplicio afficiendi non sunt. *l. 1. §. 33. cit. ff. de S. C. Sylan.* Accedit regula generalis in *l. 108. ff. de R. J.* tradita: *ferè in omnibus pœnalibus Judiciis ætati & imprudentiæ succurritur*, uti & ratio, quia plerumque adhuc aliquâ laborant judicii infirmitate, adeóque minùs malitiosè, & dolosè præsumuntur agere. per *l. 13. ff. de dolo*, proinde mitiori pœna meritò coërcendi, prout visum fuerit Judici, qualitatem delicti, majorem vel minorem doli capacitatem, & loci consuetudinem attendenti; quibus attentis præstat subinde, præsertim ubi

delicti

doli capacitas clarioribus se prodit indiciis, severiùs compescere delinquentes, ne delinquere assuescant. Addidi, *saltem regulariter*; nam si crimina puerorum sint enormia, valde pernicioſa, & malitia suppleat ætatem, ac proximi sint pubertati, nec spes emendationis constantis affulgeat, uti in Magis & Veneficis, etiam pœna mortis locum habet. per *l. 14. cit. & Constit. Pœn.* Caroli V. *art. 164.* Sic etiam incurrunt pœnam ordinariam excommunicationis, si percutiunt Clericum. *c. 1. c. fin. de sent. Excomm.*

4 Oppones 1. Pueri sine authoritate Tutoris conditionem suam non possunt facere deteriorem. *l. 9. ff. de Auth. Tutor.* atqui facerent deteriorem, si tenerentur pœnis delictorum: ergo nunquam tenentur pœnis. 2. In *l. 22. pr. ff. de L. Cornel. de falsis. & l. 1. C. de falsi. monet.* dicuntur immunes à pœna, *quia ætas eorum, quid videat, ignorat.* R. ad 1. Id procedit in Contractibus, non in Delictis. Ad 2. Illæ leges intelligendæ sunt de pœna ordinaria Legis, vel de delicto omissionis.

5 Dico 2. Minores seu Puberes possunt quidem pœnâ ordinariâ Legis affici ob delicta commissionis. 2. quamquam ratione infirmi adhuc judicii mereantur, possint, & soleant mitiùs plecti, mutatâ v. g. pœnâ mortis in fustigationem, relegationem &c. vel pœnâ mortis qualificatâ in pœnam mortis simplicem, si Judex rationabilem hujus mitigationis causam habeat. Pars prior habetur *l. 36. l. 38. §. 4. ff. ad L. Jul. de adult.* Posterior *l. 38. §. 4. cit.* & ex *reg. 108. ff. de R. J.* superiùs recitata. Carpzov. *Pract. Crim. quæst. 123. à n. 80.*

6 Quæres, an pater conveniri, & pœnâ pecuniariâ mulctari possit ob delictum à filio adhuc puero, vel minorenni commissum? R. Si pater nec delicti particeps, nec in correctione filii negligens, nec ex delicto factus ditior fuit, non potest. Covarruv. Wiestner *h. t. n. 11.* & alii. Id desumentes ex *l. 1. l. 3. C. ne filius pro patre. l. 3. §. 12. ff. de pecul. & c. 2. h. t.*

7 Oppones. Filius ex suo delicto conveniri & condemnari potest ad pœnam pecuniariam: sed hæc condemnatio foret frustranea, nisi pater ad eam solvendam conveniri posset, cùm filius sæpe nihil habeat proprii: ergo. R. Si filius non habeat peculium castrense vel quasi-castrense, adeóque nihil proprii, non mulctâ pecuniariâ, sed aliter plecti debet, ut pœna teneat peccati auctorem. *c. 2. de his, quæ à majori. l. 26. ff. l. 22. C. de pœnis.* Nec enim tenetur pater adhuc superstes filio dare Legitimam. *arg. l. 1. §. 21. ff. de collat. bonor.* ut filius ex Legitima solvere possit mulctam.

TITULUS XXIV.

De Clerico Venatore.

SUMMARIUM.

1. *Ordo connexionis cum seqq. Titulis.*
2. *Venatio, Aucupium, Piscatio quid.*
3. *Venatio terrestris quotuplex sit.*
4. *Clamorosa personis Ecclesiasticis de Jure prohibita est.*
5. 6. *Princeps licitè quidem prohibet subditis Venationem: isti tamen non peccant graviter, neque contra Justitiam, neque tenentur ad restitutionem, si hinc inde feram capiant.*
7. *Quænam sit pœna scripetarum, contra Edicta Principum venationem exercentium.*

AB hoc Titulo usque ad XXXI. inclusivè 1
agit Compilator de Delictis, quæ vel solis Clericis sunt propria, vel in iis specialiter reprehenduntur, uti sunt Venatio, Percussio, Maledicentia, Ministerium Clericale in censuris, vel à non ordinatis exercitum, Ordinum per saltum, vel furtiva susceptio, & excessus Prælatorum Ecclesiasticorum varii. In ordine ad præsentem Rubricam

Sciendum 1. *Venationem* in genere esse per- 2
secutionem & occupationem animalium, quæ in sua adhuc libertate naturali existunt, & in nullius dominio. Complectitur tres species. 1. *venationem* specificè acceptam, qua quis persequitur & occupat feras terrestres, uti sunt lepores, vulpes, cervi, apri &c. 2. *Aucupium*, qua volucres in aëre. 3. *Piscationem*, qua pisces in aquis. Piscatio neque Clericis legitur esse prohibita, utpote ab Apostolis etiam post conversionem exercita: bene tamen Venatio terrestris, uti & aërea, quæ aucupium dicitur: quænam autem interdicta sint personis Ecclesiasticis, & occasione hujus, an & qua ratione etiam Laicis prohiberi potuerit, ac multis in locis prohibita sit, deinceps explanabimus. Pro quo

Sc. 2. Venationem, maximè terrestrem, 3
ex parte modi & formæ dividi 1. in Clamorosam & Quietam. *Clamorosa* seu *Clamosa*, vel *solennis* est, quæ fit cum magno hominum & canum numero, clamore, tumultu, armorum apparatu, magnâ vehementiâ, venatorii corniculi inflatu, ferarum cæde &c. *Quieta* seu *Placida* aut *privata*, quæ fit cum exiguo personarum, canum, instrumentorum numero, sine magnis clamoribus, sine armorum apparatu, & crudelioribus ferarum cædibus, licèt retia & canes non excludat vom Strick aus hetzen. Ex parte objecti autem vel effectûs dividitur 2. in Maximam, Majorem, & Minorem. *Maxima* est persecutio & apprehensio ferarum nocivarum, schädlicher Thier/ als Wölff/ Bären/ Luchsen/ Otter/ Eltes/ Wild-Katzen. *Statut. Bavar.* Gejaids-Ordnung *c. 16.* Venatio *Major*, sive bannus ferinus superior, die hoche Jagtbarkeit/ hoche Wild-Bann/ grosses Weidwerck/ Haupt-Wild-Fuhr/ respicit majores feras, puta cervos, apros &c. hoches/ grosses/ roth- und schwartzes Wildprät. *Minor*, sive bannus ferinus inferior, die kleine Jagtbarkeit/ das kleine Waidwerck/ die nidere Wildbann/ Raißgejaid auf das nidere Wildprät/ comprehendit feras minores, ut lepores, vulpes, taxos, capreolos, item volatilia cujuscunque generis, ut perdices, alaudas, anates, & anseres sylvestres &c. exceptis in Bavaria

falconibus, & suo modo etiam ardeis. Gejaids-Ordnung *c. 24.* Venatio *Maxima* omnibus est permissa: *Major* in plurimis locis, & etiam in Bavaria nostra, Principi territoriali est reservata, ac omnibus subditis prohibita, exceptis quibusdam, qui illam ex speciali jure, gratia, vel privilegio, obtinent: *Minor* in Bavaria regulariter plerisque Statibus Provincialibus, uti Prælatis, Collegiatis Ecclesiis, Nobilibus, Dominis Hoffmarchialibus, Præfectis Provincialibus, & præcipuarum Civitatum Patritiis, der 4. Hauptstätten/ München/ Landshuet/ Ingolstatt/ Staubing concessa est, sed sua cum limitatione, quam indicat die erklärte Landsfreyheit *p. 3. art. 14.* Gejaids-Ordnung *cap.* 10. Herman. Ant. de Chlingensperg de Jure Hoffmarchiali *considerat. 41. num. 4. seqq.* cum D. Christoph. de Chlingensperg *ad Inst. l. 2. tit. 1. q. 30.* & Waizenegger *de Venat. c. 3.*

4 Dico 1. Venatio Clamorosa Clericis & personis Ecclesiasticis, quos inter vel maximè sunt Episcopi & Religiosi, de Jure est prohibita. Text. clari in *c. 1. & 2. h. t. Clem. 1. §. porro de statu Monachor.* Trid. *sess. 24. c. 12. de Ref.* Ratio; quia hæc venatio multùm abstrahit ab officiis divinis, tempus optimum & curas tribuit insectandis & capiendis feris, dedecet gravitatem ac modestiam Clericorum, præsefert feritatem aliquam & belli speciem, minùs convenientem mansuetudini & quieti Clericalem statum præprimis decenti. Dixi 1. *Venatio*, ad quam etiam refertur aucupium, si sit immoderatum cum accipitrum & falconum usu, longáque ac inutili temporis perditione &c. 2. *Clamorosa*; quietam enim passim etiam Clericis permittunt DD, cum *gl. in c. 1. cit.* nec obscurè indulget Tridentinum *lo. cit* ubi non omnes, sed tantùm *illicitas* statúmque Clericalem dedecentes venationes & aucupia prohibet. 3. *de Jure*; nam consuetudo Venationem etiam Clamorosam, si non sit nimis frequens, careat scandalo, & fiat sine magno dispendio temporis ad Officium cultúmque Divinum ordinati, & pro recreatione, excusat saltem à peccato mortali: cùm Venatio, etiam Clamorosa, de se & ex natura sua non sit mala, sed res indifferens. Pirhing *h. t. n 4.* cum Molin. Less. Laym. Palao. A fortiori per consuetudinem abrogatæ sunt pœnæ à Jure in *c. 1. h. t.* statutæ. Wagnerek *ad h. t.*

5 Dico 2. Princeps licitè potest prohibere, ne subditi in certis locis, vel in toto suo territorio venationem exerceant. 2. ordinariè tamen subditi contra hanc prohibitionem venantes non peccant graviter, si unam vel alteram duntaxat feram capiant. 3. nec ordinariè contra justitiam, sed tantùm contra Obedientiam aut aliam virtutem, supposito, quòd peccent in conscientia. 4. neque tenentur ad restitutionem probabiliùs, licèt peccarent contra Justitiam. *Partem primam* evincit tum communis DD. sensus contra paucos, tum justæ causæ, ob quas prohibere possunt, & passim defacto prohibent Principes. Qualis est 1. voluntaria subditorum cessio, 2. legitima præscriptio, & consuetudo, vi cujus in nostra Germania bannus ferarum, saltem major, censetur esse inter Regalia Principum. 3. occupatio bellica Regionis, vi cujus sub reservatione Venationis distribuerunt prædia & portiones provinciæ. 4. bonum publicum, ne subditi sectando feras negligant agriculturam, opificia, aliáque Reipublicæ necessaria negotia, & nimiùm assuescant armis. 5. recreatio Principis. Interim tamen, ut bene notant DD. cum Waizenegger *lo. cit. n. 24.* Principes ita debent uti jure venandi sibi solis reservato, ut subditi contra Charitatis & Justitiæ leges non graventur: si autem venatione sua, vel nimia multiplicatione ferarum, subditis inferatur damnum, compensare illud tenentur: quod si non faciant, ægrè ferre non possunt, si subditi feras agris suis noxias occidant, & sic sua defendant, vel occulta compensatione utantur. *Pars 2.* quam tenet Vasq. Mol. Lug. Dicast. &c. suadetur ex communi persuatione optima Legum humanarum interprete; nam imptimis Principes non solent clare mentem suam exprimere, quòd graviter obligare velint in conscientia, & an non velint esse contenti pœnâ, quam sumunt à transgressoribus, quos deprehendunt; deinde nec venantes, nec confessarii solent movere scrupulum, saltem gravis peccati. Imò Principes reservando sibi solis nemora omnia possunt & censentur esse contenti multis pecuniariis, ac aliis pœnis, quas statuunt in fericidas, si deprehendant, ut adeò hæc edicta videantur esse potissimùm pœnalia tantùm, uti illa, quibus prohibetur, ne pannus, tabacus, vel aliæ certæ merces invehantur ex alienis provinciis. Per accidens tamen feripetæ graviter possunt peccare. 1. si se exponant probabili periculo gravissimæ mulctæ, vel exilii, cum detrimento conjugis & liberorum. 2. si venentur cum magno neglectu rei domesticæ. 3. si cum omissione Sacri die festo, eo quòd sciant tali tempore securiores se esse à lynceis venatorum oculis. 4. si enormem vel valde notabilem edant stragem ferarum, ut valor sylvæ propterea notabiliter decrescat &c. *Pars 3.* defenditur à multis contra alios, idque verum est in hypothesi, quòd prohibitio non fundetur in jure proprietatis, ut si sub pacto de non venando subditis Princeps distribuisset terras, vel subditi sponte jus proprietatis transtulissent in Principem, & is hoc jure uti vellet. Sed in Germania non ex cessione subditorum cum tali jure proprietatis, sed potiùs per cessionem simplicem, absque titulo Justitiæ, vel per præscriptionem immemorialem Principes habent jus prohibendi venationes: ergo non peccatur contra Justitiam à subditis, etiam cum peccato venantibus, nisi fortè tunc, quando nimiam edunt stragem. *Pars 4.* probatur 1. quia contra edicta Principum venantes acquirunt dominium feræ; quia animalia fera, [illegible] natu-

naturali libertati relicta, fiunt primò occupantis. 2. Principes prohibent quidem venationem, sed non irritant acquisitionem dominii in feras captas. 3. ex magnificentia non exigunt restitutionem, nec urgent, sed sunt contenti, si feripetæ deprehensi luant pœnas à se statutas. 4. communis persuasio tam venantium quàm feras ementium est, se non obligari ad restituendas feras, vel aliud æquivalens.

6 Oppones. 1. si jaculatio unius vel alterius feræ non est prohibita sub gravi peccato, vel etiam, ut tanquam probabile insinuavimus reducendo talia edicta ad leges merè pœnales, sub nullo in conscientia, tunc gravissima sequuntur damna Principi: ergo, sicut propter periculum gravissimorum damnorum graviter censetur prohibitum etiam ditissimo Principi auferre unum vel alterum aureum, etiam jaculatio unius vel alterius feræ erit graviter prohibita & sub mortali. 2. nemo sentire debet commodum ex suo delicto. *l. Itaque ff. de Furtis:* at illicitè & contra prohibitionem Principis venantes sentirent commodum ex suo delicto, si fierent domini feræ, nec tenerentur ad restitutionem: ergo. 3. qui peccat contra Justitiam commutativam, tenetur ad restitutionem: ergo supposito, quòd illicitè venantes peccent contra Justitiam commutativam, tenentur ad restitutionem. R. ad 1. *N. Ant.* habent enim & usurpant Principes alia media impediendi gravissima damna, adhibendo nempe vigilantissimos venatores, & feris ipsis subinde haud mitiores in feripetas, constituendo lynceos sylvarum custodes, graves imponendo mulctas, quibus utplurimùm absterretur licentia subditorum. Dein inter unum vel alterum aureum & inter unam vel alteram feram lata est disparitas; nam aurei sunt in pleno Principis dominio, at feræ nondum captæ non sunt in ejus dominio, & spes illas obtinendi multis adhuc fortunæ casibus est exposita: item jus in aureos non dependet à voluntate subditorum, dependet tamen jus in feras: cùm subditi istud Principibus non cesserint titulò Justitiæ. Unde quando feripetæ vocantur Wildtprät-Dieb / & statuta Bavarica in der Gejaids-Ordnung *cap. 25.* utuntur verbò Stehlen / in largiore & impropria significatione sumuntur hæ voces. D. Christ. de Chlingensperg *q. 28.* Ad 2. sensus est, quòd nemini concedatur actio forensis in materia legibus prohibita: in alio sensu fallit axioma, ut patet in turpi lucro. Ad 3. *Antec.* non est universaliter verum; nam vendens eandem rem secundo emptori, & huic tradens, peccat contra Justitiam, & tamen acquirit dominium pretii, nec istud tenetur restituere (licèt per accidens teneretur resarcire damnum, siquod passus esset primus emptor ex venditione, vel huic, si pretium jam accepisset, istud restituere) item qui invitò dominò irrumpit in ejus domum, peccat contra Justitiam, nec tamen ad aliam tenetur restitutionem, quàm ut cesset ab injuria. *Conseq. dist.* tenentur ad restitutionem, si hanc exigat Princeps. *C. Conf.* si non exigat, sed vel ex magnificentia velit esse contentus pœnâ deprehensi infligendâ vel ejus lex prohibens non sit recepta sub onere restituendi. *N. Conf.*

Quæres, quæ sit pœna feripetarum con- 7
tra Edicta Principum venationem exercentium? R. Hæc pendet ex statutis & consuetudinibus particularium locorum: alicubi gradatim proceditur. 1. puniuntur mulctâ pecuniariâ, vel incarceratione. 2. relegatione. 3. condemnatione ad triremes, vel in opus publicum. Ad pœnam mortis, nisi aliæ circumstantiæ adveniant, non solet (& probabiliter nec potest) deveniri. Waizenegger *c. 7. n. 4.* Harpprecht, & Nicol. Everhard. Jun. In Bavaria præter citatam Gejaids-Ordnung speciales exstare sanctiones de hac re editas ann. 1663. 1666. 1674. 1677. 1678. testis est D. Christ. de Chlingensperg *q. 29.* ubi *in objectione* notat, feripetas torqueri & pœnâ mortis affici posse in eadem Bavaria juxta decretum de an. 1663. si nempe feripeta diffamatus officialium vitæ insidietur, vel de feriis minis ad inferendam mortem confessus aut convictus, vel totaliter incorrigibilis, & Principis ac legum contemptor habeatur.

TITULUS XXV.

De Clerico Percussore.

SUMMARIUM.

1. Percussor quis dicatur.
2. Quæ percussio Clericis prohibita.
3. Pœna percutientium injustè & illicitè.

SCiendum, *Percussorem* Clericum dici, 1
qui alios verberibus excipit, vel per se ipsum, vel excipi mandat per alios: percussio autem potest fieri vel ex justa causa & moderatè, vel sine justa causa, adeóque injustè, vel immoderatè.

Dico 1. Percussio immoderata seu cum 2
notabili excessu, omnibus Clericis graviter est prohibita. 2. Moderata autem leviter, si fit absque justa causa, & non passim, ac sine scandalo magno. 3. Moderata, & justa, seu quæ fit ex justa causa, quibusdam Clericis est permissa. Pars 1. sumitur ex *can. 1. 7. d. 45. c. 1. & 2. h. 1.* item ex repugnantia cum lenitate & mansuetudine Clericali, quæ reperitur in graviter percutiente sive per se sive per alium. Pars 2. ex ratione, quia talis percussio tantùm leviter repugnat mansuetudini Clericali, & peccaminosa fit propter defectum justæ causæ. Pars 3. eluceſcet ex enumeratione causarum, ex quibus, & Clericorum, quibus permissa in Jure est percussio moderata tam Laicorum quam Clericorum, sive per se, sive per alios facta. Sic 1. ex causa correctionis & disciplinæ licet Clericis, qui munus Præceptorum vel Magistrorum obeunt, discipulos Laicos

Laicos moderatè percutere. *can. 19. d. 1. de pœnit.* & Clericos. *c. 1. c. 54. §. fin. de sent. Excom.* quia talis percussio nec est violenta, nec fit suadente diabolo. 2. Sacerdotibus vel aliis Clericis senioribus ob zelum devotionis compescere inflicto moderato verbere pueros & adolescentes, etiam in Minoribus Ordinibus constitutos, si turbent officium & rem Divinam. *c. 16. eod. c. 54. cit.* 3. Prælatis Ecclesiasticis, tam Regularibus quàm Sæcularibus, ex causa justæ punitionis Religiosos & Clericos sibi subjectos, & quidem in Minoribus constitutos propter leviores culpas, Majoribus autem initiatos propter graviores excessus castigare verberibus moderatè. *can. 8. d. 45. can. 25. d. 86.* sive id faciant propriis manibus (exceptô Episcopô, cui *can. 25. cit.* prohibitum est propriis manibus verberare) sive per alium; ille tamen alius spectato Jure Antiquo deberet esse vel Religiosus vel Clericus; si enim Laico committeretur percussio, tam mandans, quàm Laicus exequens, incurreret excommunicationem. *can. 25. cit. & c. 24. de Sent. Excom.* Interim tamen consuetudo passim recepta obtinuit, ut Prælati Clericos delinquentes capiant, incarcerent, torqueri, & castigari, etiam missos ad triremes, faciant per Laicos; cùm difficile sit reperire Clericos, qui id muneris in se suscipere velint. Consuetudini consonat Jus recentius in *c. 15. de Sent Excom. in 6.* Prælatis Regularibus insuper privilegium verberandi suos Religiosos, etiam Clericos, per fratres Conversos seu Laicos concessit Alexander VI. & Leo X. semper autem attendendum est, ne in percussione Clericorum aut Religiosorum excedatur notabiliter; aliàs tam exequentes quàm mandantes incurrunt Excommunicationem Canonis.

3 Dico 2. Pœnæ in Clericos immoderatè & injustè percutientes sunt. 1. Si percutiant Laicum, corripiendi sunt, &, si percussio sit enormis, vel sæpe repetita, ita ut facilè procedant ad verbera ac passim, pro rebus etiam minimis, deponendi sunt. *c. 1. c. 2. h. t.* Pirhing *h. t. n. 2.* 2. Episcopus, qui mulierem propter delictum crudeliter fustigari fecit, à Missarum celebratione suspensus est *c. 2. cit.* 3. Qui notabiliter excedunt in verberando Clerico, licèt aliàs justa verberandi causa adfuerit, ipso facto excommunicantur excommunicatione reservata *can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4. & c. 24. de Sent. Excom.* Oppones. Idem delictum non debet bis puniri: ergo Clericus sæpius repetens verberationes, si propter priores jam correptus & punitus fuit, propter ultimam non potest graviùs puniri per depositionem. *R. trans. Ant. N. Conf.* nam consuetudo inveterata & incorrigibilitas aggravat peccatum ultimò commissum: fèrè sicut fur, qui alibi jam commisit furta, & propter illa jam fortè punitus est, tamen propter tertium & ultimum, hic commissum, hic suspendi potest, quamquam propter primum furtum suspendi non posset, & propter alibi commissa hic non puniri.

TITULUS XXVI.
De Maledicis.
SUMMARIUM.

1. Maledictum quid & quotuplex.
2. Quibus modis committatur Blasphemia.
3. Pœna maledicentium hominibus.
4. Et blasphemantium.
5. Quis sit Judex in causa blasphemiæ.

SCiendum 1. Sicut *percutere* est verberibus, ita *maledicere* est verbis lædere alterum. *Maledicus* ergo est, qui malè vel malum dicit, seu maledictum jacit in alterum, Si id contingat adversùs DEum, vocatur *Blasphemia*, crimen omnium facilè gravissimum, si fiat deliberatè & ex formali odio DEI. Si autem verbis impetitur homo, & quidem absens, & clàm, vocatur *Detractio*, quæ lædit famam proximi: si præsens & in faciem, *Contumelia, Calumnia*, vel *Convitium*, lædítque honorem proximi. Quòdsi malum dicatur non de præsenti vel de præterito, sed de futuro, ita ut proximo malum aliquod optetur in futurum, dicitur *Imprecatio*, de qua hic non agitur. Tam detractio, quàm contumelia, ex genere suo est peccatum mortale, & maledicus in foro conscientiæ tenetur restituere famam & bonam existimationem, quam detrahendo abstulit, vel notabiliter minuit, aut reddere honorem, quem convitiando invasit iniquè: in foro autem externo conveniri potest *actione injuriarum*, de qua ad *tit. de injuriis & damno dato* infrà. Tam detractio quam contumelia major evadit, si contra Superiorem vel Magistratum, Ecclesiasticum vel Politicum &c. committitur, quàm si contra privatum. 1

Sc. 2. Blasphemiam variè committi posse. 1. si per maledictum DEO aliquid negetur, quod ipsi convenit, v. g. dicendo quòd non sit providus, non omniscius, non justus &c. 2. si tribuatur ipsi aliquid, quod ei non convenit, v. g. dicendo, DEum esse tyrannum, personarum acceptorem &c. 3. si tribuatur aliquid creaturæ, quod DEO soli debetur, v. g. dicendo, dæmonem esse æquè omnipotentem, æquè scire omnia, etiam futura contingentia, secreta cordium &c. ac ipsum DEum, eíve malum imprecetur, v. g. ut pereat, ut non sciat, vel punire non valeat peccata. 5. siquis indecenter & in contemptum nominet DEum, vel Christum, vel Christi sanguinem, vel Sacramenta &c. dico, *in contemptum*, seu per modum despectionis, aut depressionis; nam siquis absque contemptu, nec animô in DEum exasperatô, sed ex mala consuetudine, ex ira contra hominem vel jumentum, DEum, Sacramenta &c. temerè & irreverenter pronuntiet, propriè blasphemia non est, sed tantùm indigna usurpatio Divini Nominis, & secluso scandalô aut conscientiâ erroneâ peccatum veniale non excedit, sicut sine reverentia ac temerè nomen *JESU* pronuntiare. 6. siquis juret seriò per falsos Deos, v. g. per Jovem, 7. si- 2

7. siquis proferat maledictum, vel verba contumelioſa in Deiparam, aut Sanctos; cùm hujusmodi ſaltem indirectè & ex conſequenti redundent in contemptum & injuriam DEI, qui, ſicut in Sanctis colitur, ita in iisdem contemnitur, &, ſicut cultus Sanctorum eſt actus Religionis, quo honoratur DEus (cùm Sancti non colantur tam propter ſe, quàm ſaltem ultimatò, propter DEum, à quo eſt eorum ſanctitas, excellentia ſupernaturalis, & gloria) ita contemptus Sanctorum, & injuria ipſis illata, eſt actus virtuti Religionis contrarius. Atque hinc Cajet. Azor aliique multi docent, blasphemias in DEum & in Sanctos ejusdem eſſe ſpeciei. Porro blasphemia, quæ continet falſitatem circa fidem, appellatur *Hæreticalis*, ut ſi diceres, DEum eſſe peccatorem, injuſtum, non providum &c. *Simplex* autem, ſi errorem in Fide non continet, ut ſi diceres, non curo DEum, dedignor ſupplicare Mariæ, abominor Sacramenta &c.

3 Dico 1. Pœna eorum, qui maledicta proferunt in homines, etiam Imperatorem & Papam, hodie eſt arbitraria, ſcilicet commenſuranda qualitati perſonæ Maledici, & gravitati detractionis vel contumeliæ, & infligenda ab alio Judice, quam qui læſus eſt. Communis ex *c. 1. h. t.* & praxi. Dixi 1. *etiam in Imperatorem & Papam*, intellige, ſi maledictum non ſit aptum concitare rebellionem aut ſeditionem; tunc enim pertineret ad crimen læſæ Majeſtatis, & puniendum foret, ut iſtud, graviter. 2. *hodie*; nam olim maledicens Principi Sæculari, Imperatori, Regi, &c. tenebatur crimine læſæ Majeſtatis: & Maledicus Clericus, maximè Sacerdos, compellendus erat ad petendam veniam, &, ſi renuiſſet, degrandandus, (id eſt, ſuſpendendus ab officio, ut exponit gloſſa; nec unquam ad illud revocandus, niſi ſatisfactione priùs præſtitâ) *can. 5. d. 46.* Religioſus verò offendens vel detrahens Prælato Eccleſiæ ſubjacet pœnis, quæ juxta Statuta Ordinis ob gravia imponuntur crimina. *Clem. 1. §. quibus. de Privileg.* 3. *infligenda ab alio Judice &c.* quia non decet, ut ipſe læſus, licèt ſit Princeps, maximè ſi Eccleſiaſticus ſit, in propria cauſa judicet, & vindicet injuriam ſuæ perſonæ illatam. Accedit, quòd excelſi animi, & heroicæ virtutis, Principes ſingulariter decentis, indicium ſit injuriam remittere: ſic enim piiſſimi Imperatores Theodoſius, Arcadius, & Honorius in *l. un. C. ſiquis Imperatori.* reſcripſerunt: *ſi id* (maledictum in Imperatores) *ex levitate proceſſerit, contemnendum eſt; ſi ex inſania, miſeratione digniſſimum; ſi ab injuria, remittendum.* Excipe, niſi maledictum non ipſam perſonam Principis, ſed dignitatem & officium ejus peteret; tunc enim ad aliorum exemplum graviter puniendum foret. *c. 1. cit.* Sic refert Barboſa in *cit. c. n. 2.* pulcherrimum exemplum S. Pii V. aptiſſimè diſtinguentis inter maledictum in perſonam & in officium Principis, dum dixit: *Si tu mihi, ut Summo Pontifici, maledixiſſes, impunè non ferres; verùm quia in fratrem Michaëlem* (hoc nomen erat Pio adhuc Religioſo) *in Monachum Scarponenſem &c. convitia jactâſti, liber abi, quò vis &c.* Porro ſi Epiſcopi vel alii Clerici maledictis lacerentur in propria perſona à Laicis, convenit, ut Judices Sæculares ex officio, licèt læſi non accuſent reum, contra eum animadvertant. *arg. l. 10. C. de Epiſc. & Cler.*

Dico 2. Pœna blasphemantium in Veteri 4
Teſtamento erat lapidatio. *Levit. 24.* De Jure Canonico in Clericum depoſitio, in Laicum excommunicatio olim ſtatuta reperitur in *can. 10. cauſ. 22. q. 1.* & poſtea præter pœnitentiam publicam mulcta pecuniaria. *c. 2. h. t.* & rurſus aliæ à Leone X. Julio III. & Pio V. tam in Clericos quàm in Laicos, modò blasphemia fuerit deliberata, ex propoſito, & publicè facta. Verùm hæc Jura non ſolent attendi, ſed potiùs peculiaria ſtatuta, vel conſuetudines locorum, vel puniuntur blasphemi arbitriò Judicis. Palao *tr. 17. de Vitiis Oppoſitis Religioni. d. 2. pu. 2. §. 5. n. 1.* Wagnereck &c. De Jure Civili *in Novell. 77. c. 1. §. 2.* decretum eſt ultimum ſupplicium, quod in blasphemos, erga DEum ſaltem, disjunctivè innovavit Carolus V. *in Receſſ. Auguſtano 4. de ann. 1548. art. 1. §. 2. & art. 3.* ubi blasphemantes DEum (nimirum deliberatè ac malitioſè, & ubi juſta iracundiæ & excandeſcentiæ cauſa deeſt) jubentur morte puniri, vel amputatione membrorum (ſcilicet labiorum aut linguæ) blasphemantes autem B. V. Mariam vel alios Sanctos, ſi moniti non reſipiſcant, vel in corpore, v. g. fuſtigatione, linguæ amputatione &c. vel in fortunis, nimirum pro qualitate perſonæ & maledicti aliarumque circumſtantiarum. Sed in foro Civili ab hoc juſto rigore in multis locis receſſum eſſe teſtatur invaleſcens blasphemiarum uſus, adeò ut Panorm. Clar. & alii Legiſtæ pœnam blasphemiæ arbitrariam hodie putent effectam eſſe, vel juxta loci conſuetudinem & ſtatuta menſurari. In Bavaria noſtra rigorem Juri communi conformem videntur exigere Statuta in der Polis cey-Ordnung. *l. 5. tit. 7. art. 1.* & enormes blasphemias contra DEum vel Sanctos, præſertim repetitas, juxta dictam ordinationem etiam pœnâ capitis puniri conſueviſſe, ſuperiorum annorum exempla, etiam hic Ingolſtadii, à probis omnibus multùm laudata, comprobârunt.

Quæres, quis ſit Judex competens in de- 5
licto blasphemiæ? R. uterque, tam Eccleſiaſticus quàm Civilis. Text. & DD. in *c. 2. cit.* adeóque eſt crimen mixti fori, & datur locus prævention. Si blasphemia eſſet Hæreticalis, & ſub hac ratione, nempe ſuſpicionis de hæreſi, & non ſub ratione blasphemiæ tantùm (quod tamen rarò contingit in praxi) deducetur in Judicium, Judex competens eſſet ſolus Eccleſiaſticus; quia cognitio de hæreſi ad hunc ſolum pertinet, uti patet *ex tit. de Hæret. VII. in fine.*

TITULUS XXVII.

De Clerico Excommunicato, Depoſito, vel Interdicto, miniſtrante.

SUMMARIUM.

1. Quis dicatur miniſtrare in Cenſura.
2. 3. Quæ ſit in ea miniſtrantium pœna.

1 SCiendum, cùm grave ſit peccatum, etiam contra SS. Canones, ſi Clericus, cenſurâ aliquâ, *excommunicationis, ſuſpenſionis* (hæc enim venit in Rubrica per *depoſitionem*, quamvis & vera *depoſitio*, ſeu perpetua remotio ab Ordinibus & gradibus Eccleſiaſticis ferè idem operetur hoc loco) vel *interdicti* innodatus, miniſtrat, ideo pœnas in eundem hic ſtatuit. Per *miniſtrantem* verò hic intelligitur, non qui actum *jurisdictionis* ſpiritualis exercet, ut eſt diſpenſare in votis, juramentis, ferre cenſuram, & à cenſura abſolvere ſine ſtola & ceremoniis &c. ſed qui exercet actum *Ordinis* quâ talis, uti eſt celebratio Miſſæ, Abſolutio Sacramentalis, Baptismi collatio ſolennis, benedictio Nuptialis &c. & quidem *proprium* Ordinis, quem quis habet, & ad quem actum ſpecialiter per Ordinationem deputatus eſt, uti Diaconus ad cantandum Evangelium cum Dalmatica, Manipulo, & Stola in Miſſa ſolenni.

2 Dico. Clericus, ſaltem in Majoribus conſtitutus, ſi ſciens, ſe eſſe excomunicatum, ſuſpenſum (vel depoſitum) aut perſonaliter interdictum, culpabiliter exerceat actum proprium Ordinis, quem habet, evadit irregularis. 2. item ſi non cenſuratus id faciat ſcienter in loco interdicto. 3. debétque deponi perpetuò. 4. & poteſt privari beneficiis habitis. 5. depoſitus autem inſuper prævia monitione etiam excommunicari. Pars 1. quoad excommunicatum, ſcilicet excommunicatione majore, conſtat ex *can. 7. cauſ. 11. q. 3. & c. 9. c. fin. h. t.* Procedit etiam de excommunicato tolerato, quia Jura non excipiunt, & toleratio nullum præſtat favorem ipſis excommunicatis, ſed tantùm aliis fidelibus, ut ſine peccato cum ipſis communicare valeant, ſi velint. De ſuſpenſo ex *c. 9. cit. c. 1. in fin. de Sent. & re jud. in 6.* Et quia depoſitio involvit ſuſpenſionem, à fortiori procedit aſſertio etiam de depoſito. De perſonaliter interdicto ex *c. is, cui 20. de Sent. Excom. in 6.* Pars 2. ex *c. is, qui. 18. eod.* Pars 3. ex *c. 3. 4. h. t.* Pars 4. ex *c. 4. cit.* quia beneficium datur propter officium: at excommunicatus &c. ſine pœna irregularitatis officium præſtare nequit. Pars 5. ex *c. 1. & 2. eod.* Addidi tamen, *culpabiliter exerceat &c.* Unde irregularitatem, quæ hic ſtatuitur ob delictum, adeóque pœnalis eſt, non incurrit, aliásve pœnas, qui bona fide ex ignorantia cenſuræ miniſtrat: qui actum ſui ordinis exercet urgente neceſſitate, ut ſi moribundo danda ſit Abſolutio, vel Sacra Synaxis: qui metu infamiæ, ſcandali, alteriúsve mali id facit: qui appellationem à ſententia ferendæ contra ſe cenſuræ ob juſtam cauſam interpoſuit: qui quocunque ex capite excuſatur à peccato gravi, ut ſi miniſtret toleratus ad requiſitionem fidelium.

3 Oppones 1. Si cenſuratus Clericus exercens actum Ordinis incurrit irregularitatem, tunc etiam incurret, qui in Cenſura aſſiſtit Matrimonio: prædicat Verbum Divinum &c. 2. qui baptizat, qui ceremonias baptismi ſupplet &c. 3. qui Sacramentum confert nulliter, ut ſi Sacerdos abſolvat ſine intentione, conſecret in aqua, ſi excommunicatus non toleratus abſolvat à peccatis. 4. Minoriſta exercens actum ſui Ordinis, vel exercens actum Ordinis Superioris, quem non habet. Sed hæc omnia ſunt falſa: ergo. R. generaliter negando omnia membra cum ſuis limitationibus, quas mox afferam. Ad 1. dico, aſſiſtentiam Matrimonialem non eſſe actum Ordinis Clericalis, ſed quaſi jurisdictionis, vel potiùs teſtis qualificati: quamquam benedicere Nuptiis eſſet actus inducens irregularitatem in cenſurato. Nec prædicare Verbum Divinum eſt actus Ordinis. Ad 2. baptizans non ſolenniter non exercet actum, qui requirat Ordinem; & ceremonias ſupplens, licèt non conficiat Sacramentum, verè exercet actum Sacerdotis officio commiſſum, uti qui diſtribuit Evchariſtiam. Ad 3. ſi Sacramentum eſt nullum ex defectu Ordinis, vel intentionis, non incurritur irregularitas; quia Laicus non miniſtrat in Ordine proprio, nec intentione carens, ſed tantùm ſimulat ſe miniſtrare; ſi verò Sacramentum eſt nullum ex parte materiæ, vel ſubjecti non bene diſpoſiti, vel jurisdictionis, quâ caret excommunicatus non toleratus, contrahitur irregularitas; quia talis invalidè conficiens Sacramentum facit actum Ordinis proprium, quantùm eſt in ſe, & ſic iſta attentatio in ratione exercitii prohibiti, propter quem ſtatuta eſt irregularitas, eſt actus perfectus & conſummatus. Ad 4. ſi Minoriſta exerceret actum ſui Ordinis ſolenniter, quaſi ex officio proprio, quatenus eſt deputatus ad tale miniſterium, quod tamen ordinariè fieri non ſolet, probabiliùs fieret irregularis, quia Jura non diſtinguunt inter Ordines Majores ac Minores, & Sixtus V. in *Conſt. Sanctum* declarat, etiam Clericos primæ Tonſuræ, ac Minorum Ordinum, ſuſpenſos, *ſi in eis miniſtrare præſumpſerint, irregulares fieri.* Notetur, quòd hic ſatis clarè numeretur Prima Tonſura inter Ordines, & ſic firmetur noſtra doctrina ad *tit. XI. n. 5. in lib. I.* tradita de eadem Tonſura. Si verò miniſtrent in Ordine ſuperiore, non miniſtrant in Ordine proprio, quod tamen à Jure requiritur.

TITULUS XXVIII.

De Clerico non Ordinato Miniſtrante.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. Pœna miniſtrantis Clerici in Ordine, quem non habet.
4. An Laicus miniſtrans fiat irregularis.

Sciet.

1 SCiendum, non minùs, imò magìs, delinqui à Clerico, qui *miniſtrat* in Ordine (h. e. exercet actum Ordinis proprium eo modo, quo ab Ordinatis vi Ordinis poteſt & ſolet exerceri) quem tamen nunquam ſuſcepit, quàm ab illo, qui ſuſcepit quidem, at uſum non habet licitum, utpote per cenſuram excommunicationis &c. ſibi prohibitum: ſicut ergo pœnas Clerici in cenſura miniſtrantis adduximus in priori Titulo, ita in præſenti adducemus pœnas Clerici non Ordinati miniſtrantis, ſeu Ordinis, quem non habet, actum exercentis. Igitur

2 Dico. Pœna Clerici Ordinem Sacrum, quem non habet, culpabiliter & ſeriò exercentis, licèt intentionem non habeat exercendi actum Ordinis, eſt 1. irregularitas, ſaltem partialis, prohibens ſuſceptionem Ordinum ulteriorum. 2. ſuſpenſio ferendæ ſententiæ ab exercitio Ordinis ultimò ſuſcepti. 3. excommunicatio patiter ferendæ ſententiæ, Text. & DD. in *c. 1. & c. 2. h. t.* Dixi 1. *Clerici*, quid de Laico Ordinis exercitium attentante ſentiendum, poſtea aperiam. 2. *Sacrum*; quamvìs enim idem probabiliùs foret de miniſtrante in uno ex Ordinibus Minoribus, quem non habet, ſi id faceret ſolenniter & quaſi ex officio proprio, per *c. 1. cit.* omitto tamen, quia rarò hodie ſolent ab ipſis Ordinatis exerceri taliter Minores Ordines. 3. *ſeriò exercentis*, h. e. ponentis actum externum non jocò, vel per modum ſcenicæ aut ludicræ actionis, ſed cum intentione talem actum externum ponendi, quantùm eſt in ſe, qualem ſolent Ordinati vi Ordinis, ut ſi non Sacerdos, ſed Subdiaconus, vel Diaconus tantùm, legeret Miſſam, audiret Confeſſiones, ſolenniter baptizaret, ſi Sacerdos attentaret Confirmare, vel Ordinare, quod eſt Epiſcoporum, ſi Miniſta, vel Subdiaconus, cum Stola, Manipulo, & Dalmatica cantaret Evangelium in Miſſa ſolenni: ſecus, ſi ſine Stola &c. cantaret. 4. *licèt intentionem non habeat exercendi actum Ordinis*, h. e. validè eum ponendi; cùm ſciat, id ſibi impoſſibile eſſe: ſi enim ignoraret, ſe carere Ordine, pœnas non incurreret miniſtrando.

3 Oppones 1. Qui non habet intentionem exercendi actum Ordinis, revera non exercet, cùm actus non operentur ultra intentionem agentium: ergo pœnas non incurrit. 2. Rebaptizans non incurrit pœnam irregularitatis, qui rebaptizat ſine intentione conferendi Baptiſmum: ergo neque ponens actum Ordinis ſine intentione illum verè ponendi. R. ad 1. *N. Conf.* Sufficit, quòd aliquis ſeriò intendat ponere talem actum externum, qui validè exerceri nequit niſi ab Ordinatis, hunc enim punire jam intendunt SS. Canones, cùm non Ordinatus ſupponatur ſcire, ſibi impoſſibilem eſſe poſitionem actûs validi. Ad 2. Iterum *N. Conf. & parit.* Irregularitas in rebaptizantes ſtatuta reſpicit principaliter Hæreticos, per errorem judicantes, dari poſſe validam collationem alteram Baptiſmi: qui autem judicat collationem Sacramenti à ſe valide fieri, utique debet habere intentionem verè conferendi: econtra Irregularitas ſtatuta in miniſtrantes in Ordine, quem ſciunt ſe non habere, reſpicit principaliter Clericos Catholicos, qui bene ſciunt, vel ſcire præſumuntur, ſe non poſſe actum Ordinis validum ponere, ideo nec prudenter eum intendunt, nec intendere præſumuntur, & tamen puniuntur.

Quæres, an Laicus, in Ordine Sacro miniſtrans, fiat irregularis? R. quamvìs graviſſimè peccet, & graviter ad arbitrium Judicis puniendus ſit: imò, ſi *celebrare Miſſam*, aut *Sacramentalem Confeſſionem audire* præſumpſerit, Judici Laico tradendus (utì & Clericus non-Sacerdos id attentans, ſed priùs degradatus) & ſeveriſſimè puniendus eſt juxta *Conſtit. Etſi aliàs* Clem. VIII. *& Conſt. Apoſtolatûs officium* Urbani VIII. Sic labente anno Neoburgi ad Danubium Eremita Laicus, ſolennes ibi Primitias celebrans, ultimò ſupplicio fuit affectus. Ubi autem viget Inquiſitio in Hæreticam pravitatem, eſt pœna ignis. Sic non ita pridem Romæ fuit aliquis Clericus adjudicatus huic ſupplicio, qui non-Sacerdos legit Miſſas. Quamvìs, inquam, hæc ita ſe habeant, irregularitatem tamen non incurrit probabiliùs, ut cum Barb. Sayro, atque aliis docet P. Schmalzgrueber *h. n. 23.* contra Navar. Suar. Engel, Wieſtner, & fortè communiorem. Ratio optima eſt negativa, quia Irregularitas non incurritur, niſi Jure expreſſa. *c. 18. de ſent. Excomm. in 6.* atqui in Jure non reperitur expreſſa Irregularitas in Laicos Actum Ordinis exercentes ſtatuta. Imò videntur fuiſſe excluſi per Rubricam præſentis Tituli, ſic ſonante: *de Clerico non Ordinato &c.* Oppones in *c. 1. h. t.* Jus generaliter & abſolutè ſtatuit irregularitatem in omnem, quicunque miniſtraverit in Ordine, quem non habet: ergo generaliter intelligendum eſt: ergo etiam de Laicis, & ſic *Nigrum* extendit *Rubrum*, ſeu textus generalior eſt quàm Rubrica, Clericis addens & Laicos. R. *N. Illatum*, quamvìs generaliter ſit intelligendum *d. c* non tamen omni generalitate, ſed tantùm eâ, quam habet Rubrica, omnem *Clericum* comprehendente, & non ſe extendente ad Laicos; cùm in materia pœnali non ſit facienda extenſio. Adde, quòd in Clericis reperiatur ſpecialis ratio, nempe periculum, ne miniſtrent in Ordine nondum ſuſcepto, quod faciliùs poteſt, & frequentiùs ſolet contingere apud Clericos, at apud Laicos valde rarò: ergo eſt ratio etiam poſitiva non extendendi textum ad Laicos. 4

TITULUS XXIX.

De Clerico per Saltum promoto.

SUMMARIUM.

1. *Quis dicatur per ſaltum promotus.*
2. *Quid Juris circa talem.*

SCiendum, *per ſaltum promotos* dici illos, qui Ordines non gradatim ſuſceperunt, ſed ſu- 1

perio-

periorem nondum susceptо inferiore, ut si-quis Presbyteratum susceпisset ante Diaconatum, Subdiaconatum ante quatuor Minores, & probabiliùs etiam in ordine ad pœnas, siquis quatuor Minores necdum susceptâ priùs Primâ Tonsurâ, ut cum Sperelli *decis.* 114. *à n.* 17. docet P. Wiestner, Reiffenstuel, & alii, allegantes declarationem Cardd. cum Gallemart ad Trid. *s.* 23. *c.* 14. *de Ref. n.* 4. idque in meis principiis, qui Primam Tonsuram inter Ordines propriè dictos refero, non videtur habere difficultatem; quam eandem sententiam à Jure definitam esse putat Sperelli. *l. cit. n.* 19.

2 Dico. Quamvis Ordo per saltum collatus valeat, ùt perspicuum fit ex *c. un. h. t.* Clericus tamen, per saltum promotus, suspensus est ipso facto ab exercitio Ordinis sic susceрti, ita ut nec in susceрto ministrare, nec prætermissum Ordinem, nec alios nondum susceptos, recipere possit absque dispensatione. Sumitur ex *can. un. d.* 52. *c. un. cit.* Trid. *lo. cit.* Suar. Gonzal. &c. Dispensare tamen Episcopo concessum est. per *c. un. & Trid. cit.* licèt scienter per saltum promotus quis fuisset. Trid. *d. l.* Excipe, nisi per saltum promotus ministrâsset vel in Ordine per saltum susceрto, vel in prætermisso; tunc enim talis, utpote ministrans in Censura, vel in Ordine, quem non habet, esset irregularis: irregularitas autem ab Episcopo dispensabilis non est, nisi occulta sit. Trid. *s.* 24. *c.* 6. *de Ref.*

TITULUS XXX.

De eo, qui furtivè Ordinem susceрit.

SUMMARIUM.

1. *Ordo furtivè susceрtus valet, & quando id fiat.*
2. *Pœna Ordinem furtivè susciрientis.*
3. *Quis cum illo dispenset.*

1 SCiendum, *furtivè* Ordinem susceрere nihil aliud esse, quàm siquis clàm, sine consensu aut licentia Episcopi, aut sine prævio examine susceрit, Ordinandorum numero se immiscens: vel qui eodem die sine debita licentia aut dispensatione duos Ordines Sacros, aut Subdiaconatum cum Minoribus recipit, nisi id permittat consuetudo. Ordo sic susceрtus valet, nisi Ordinans positivè & seriò nollet ordinare accedentes dolosè. Si Ordinans protestetur publicè, se furtivè accedentes nolle ordinare, & nesciatur, utrùm præcisè voluerit absterrere taliter se immiscentes & declarare suam displicentiam, vel an seriò illis non conferre Ordines, dubium est, an Ordo valeat. Rectè tamen speculativè loquendo præsumitur illud prius, quòd nempe habuerit intentionem generalem & absolutam ordinandi omnes, quibus materiam Ordinationis sub debita forma tradiderit; quia intentio aliquos excludens est contra Ritus & praxim Ecclesiæ, graviáque infert incommoda. Practicè tamen viderentur tales sub conditione reordinandi, quia in praxi tutiora sequi debemus, ubi agitur de valore Sacramenti.

Dico. Pœna furtivè susciрientis Ordinem: 1 non est irregularitas. 2. sed suspensio ab exercitio Ordinis furtivè susceрti, consequenter, cùm omnis Censura impediat susceрtionem Ordinum, etiam ab ascensu ad superiorem Ordinem. Pars prior constat indè, quia in nullo Jure statuitur irregularitas; nimirum nisi quis furtivè ordinatus ministraret in Ordine furtivè susceрto, antequam à Censura fuisset absolutus. Posterior ex *can. fin. d.* 24. *c.* 1. 2. *& 3. h. t.* Si tamen Episcopus sub excommunicatione priùs prohibeat, ne quis ad Ordines furtivè se ingerat, furtivè accedens suspenditur ab executione omnium Ordinum, quos jam susceрit, hoc ipso quòd sit excommunicatus, consequenter nullum exercere potest absque irregularitate: per susceрtionem furtivam autem nec iste videtur fieri irregularis; quia in Jure non clarè exprimitur, Navar. Suar. *de Censur. d.* 31. *s.* 1. Dices cum P. Reiffenstuel & aliis: in *c.* 1. *cit.* habetur, quòd ita ordinatus furtivè nequeat absque dispensatione ad altiores Ordines promoveri, quod est præcipuus effectus irregularitatis teste Covarruvia. R. non tantùm irregularitatis effectus est, sed etiam Suspensionis, & omnis Censuræ, ad superiorem Ordinem non posse ascendere.

Quæres, quis dispensare possit cum eo, qui furtivè susceрit Ordinem? R. cum distinctione: si specialis prohibitio Episcopi sub excommunicatione non præcesserit, Episcopus, licèt delictum sit notorium, vel Superior Regularis, cujus Religionem ingreditur suspensus ob ordinem furtivè susceрtum, *c.* 1. *& 2. h. t.* Si vero prohibitio talis præcesserit, solus Papa; nisi delinquens ingrediatur Religionem, & ibi aliquamdiu laudabiliter vivat; tunc enim permittitur dispensare Episcopo, imò probabiliter etiam Prælato Regulari. Text. & DD. *in c.* 1. *cit. & seqq.* Sicut eidem Episcopo permittitur dispensatio, si delictum sit occultum. Trid. *s.* 24. *c.* 6. *de Ref.*

TITULUS XXXI.

De Excessibus Prælatorum, & Subditorum.

SUMMARIUM.

1. *Horum delicta in Jure vocantur Excessus.*
2. *Quando Episcopi excedant contra subditos.*
3. *Quando Episcopis inferiores Prælati.*
4. *Quando subditi contra Prælatos.*
5. *Monialium clausura, ne illâ egrediantur.*
6. *Et ne alii ingrediantur in earum Monasteria.*
7. *An eodem modo prohibitum sit fœminis ingredi Monasteria virorum.*

SCiendum, post delicta personis Ecclesiasticis omnibus communia hoc loco regis- 1
tri quædam Prælatis erga subditos, & his erga Prælatos propria, non quidem omnia, uti Rubrica generaliter sonat, sed quædam in specie, eò quòd alia in aliis Titulis reprehendantur. Ve-

Vocantur *Excessus*, eò quòd per hujusmodi delicta excedantur limites à Sacris Canonibus præfixi. Illos autem Excessus, quorum ad hanc Rubricam tum in Decretalibus tum in Clementinis fit specialis mentio, ad tres classes placet reducere, in quarum 1. prodam excessus Episcoporum & his superiorum Prælatorum, excepto tamen Summo Pontifice. In 2. Prælatorum Episcopis inferiorum. In 3. Subditorum. Et (quia alibi non fuit occasio) quædam de Clausura Monasteriorum, quam aliqui hìc solent tractare, subnectam, ut nihil, quod pertinet ad Jus Sacrum, dissimulemus.

Dico 1. Episcopi, & his majores Prælati Ordinis Episcopalis, in subditos excedunt 1. si 2
eos Censuris aliisve pœnis injustè vexent, eorum Ecclesias Interdicto supponant absque justa causa, si ipsos tributis & exactionibus oneribúsque indebitis gravent, si Clericos viliter nimis tractent, ut etiam Laicis fiant despicatui. *c. 1. h. t.* Pœna est arbitraria. 2. si inferiorum jura, immunitates, jurisdictionem, ex privilegio, consuetudine, vel alio justo titulo competentem, tollant vel diminuant, aut Ecclesias eis subjectas à subjectione liberent. *c. 2. eod.* 3. si Ecclesias vel Beneficia ad ipsorum ordinationem vel provisionem pertinentia sibi conferant, vel retineant. *c. 3. eod.* ubi jubentur compelli per Censuras ad ea dimittenda. 4. siquid faciant contra Subditorum privilegia. *c. 5. & 7. eod.* ubi etiam habetur, quòd ejusmodi mandato, etiam sub pœna excommunicationis, contra privilegia tendenti obedire non obligentur, & excommunicatio non teneat. 5. si directè vel indirectè præbeant ansam homicidio. *c. 10. eod.* &, si homicidium sequatur, Episcopos fieri irregulares, ac removendos esse ab administratione Episcopatûs, alio idoneo per electionem substituto, ibidem asseritur. 6. si Ecclesias vel Beneficia conferant indignis, *c. 11. seq.* de quo jam alibi egimus. 7. si Sacerdotem sibi subjectum cogant, vel urgeant ad revelandam pœnitentiam, vel peccatum in Confessione auditum. *c. 13. eod.* quod scelus à Rectoribus cujusdam Universitatis attentatum fuisse ibidem dicitur, cujus Sacrilegii aliud exemplum non facilè legetur uspiam. 8. si gravamina inferant Religiosis, præsertim Mendicantibus, & Exemptis; cujusmodi gravamina quindecim in *c. 16. eod.* duodecim in *c. 17. seq.* atque triginta recensentur in *Clem. un. eodem.* Quandonam verò Episcopis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, procedere liceat contra Religiosos, etiam Exemptos, dictum ad *tit. de Offic. & potest. Ordinarii in lib. I. n. 19.*

Dico 2. Prælati Episcopis inferiores exce- 3
dunt, si violent & turbent jurisdictionem Superiorum, cujus rei exempla hoc Titulo referuntur circa Prælatos Regulares hæc. 1. si sine consensu Episcoporum uniant Ecclesias sibi subjectas. *c. 8. h. t.* sed de hac Unione Ecclesiarum & Beneficiorum vid. *Tit. V. in lib. III. de Præbendis.* 2. si pœnitentias publicas & solennes imponere, causas Matrimoniales (seclusô privilegiô aut consuetudine immemoriali) cognoscere, Indulgentias concedere præsumant. *c. 12. h. t.* nisi nempe habeant territorium proprium, in quo in populum & Clerum exercent jurisdictionem quasi Episcopalem. 3. si violent interdicta, aut alios ad violandum cogant. *c. fin. eod.* Quid Prælati Regulares possint circa erectionem novorum Monasteriorum, Collegiorum &c. & circa mutationem erectorum, dixi ad *Tit. 36. lib. III. de Religiosis Domib.* hìc autem adverto adhuc, quòd solennitates ad erectionem novorum Monasteriorum à Clem. VIII. & Urb. VIII. præscripta non se extendant ad erectionem Hospitiorum, Residentiarum, & Missionum; cùm Monasteria & Conventus propriè non sint, nec inhabitantes propriè Regulares *Conventuales.*

Dico 3. Subditi contra Prælatos excedunt 4
per sequentia delicta in hoc Titulo registrata. 1. si Beneficiati Personatum sibi falsò assumant, vel mutent causam possidendi, ut si Vicarius sibi arroget personam & titulum Rectoris Principalis. *c. 6. h. t.* ubi tale quid præsumens dicitur removendus ab executione officii sui. 2. si plures Clerici propriâ, sine Episcopali, auctoritate erigant Collegium, & Capitulum, aut sigillum commune aliáve jura Collegiorum usurpent. *c. 14. eod.* 3. si contra juramentum, vel fidem Episcopo datam, eidem negent subjectionem & reverentiam, ipsum negando suum esse Superiorem, vel trahendo ad Sæcularem Judicem, ejus adversarios juvando, aut ipsum invadendo, vel invasoribus auxilium consiliúmve præbendo. *c. 15. eod.* ubi additur, delinquentes uno ex his modis privandos esse beneficiis, seu officiis. 4. si indictas ab Episcopo festivitates, censuras, interdicta ab ipso promulgata, non observent. *c. fin. eod.*

Dico 4. Moniales omnes, Religionem ab 5
Ecclesia approbatam professæ, tenentur tam strictè ad *Clausuram*, ut extra Monasterii sui septa, spatium, & ambitum egredi ipsis non liceat sine gravi causa, eáque manifesta, & licentia Episcopi. 2. egredientes verò sine dicta causa & licentia Episcopi, vel licentiam dantes sine justa causa, & ad illicitum egressum cooperantes, in graves incidunt pœnas. Utraque pars habetur in *c. un. de statu Regular. in 6. Trident. s. 25. c. 5. de Regul. Constit. Circa Pastoralis.* Pii V. *Constit. Decori.* ejusdem, *& Constit. Deo sacris.* Gregor. XIII. *Dixi* 1. *sine gravi causa*, cujusmodi *in c. un. Trid. lo. cit. & Constit. Piana* allegatis recensentur, nempe morbus talis, cum quo Monialis absque gravi periculo vel scandalo cõmorari in Monasterio non potest, donec curetur, utì lepra aut epidemia, deinde magnum incendium, & quæcunque Episcopo visa fuerit legitima: qualis utique foret hæreticorum vel aliorum hostium incursio, necessitas colligendi eleemosynas (modò non mittantur juniores 40. annis) si aliò sint ducendæ coloniæ, si aliqua eligatur in Abbatissam alterius Monasterii, vel si aliqua correctionis causâ transferatur in aliud Monasterium &c. 2. *sine licentia Episcopi*, ad quem potestate ordinaria id pertinet, si Moniales ipsi sint subjectæ, delegatâ verò, si sint exem-

ptæ. per Jura *citt.* cujus loco licentiam dat Vicarius Generalis. Utrùm verò ab Episcopo petenda sit licentia, si Moniales non sint sub Episcopo, sed sub Prælatis Regularibus sui Ordinis, quæstio controversa est, seu utrùm præter Prælati Regularis licentiam etiam Episcopi consensù opus sit: quod spectato Jure Trid. *loco cit.* & *d. Const. Decori,* quæ indistinctè loquuntur, affirmandum videtur, nisi fortè obstet consuetudo. Porro si periculum tam urgens sit, ut moram non patiatur, & insuper causa sit manifesta, egressus Monialibus licet, antequam petatur & obtineatur licentia; cùm necessitas non habeat legem. 3. *in graves incidunt pœnas,* nempe ipso facto in excommunicationem reservatam, & in privationem dignitatum, administrationum, & officiorum, quæ adjunctam habent aliquam superioritatem: sed ad hanc privationem requiritur sententia declaratoria judicis. Hæc de *egressu* Monialium è clausura, nunc de *ingressu* aliarum personarum in eandem.

6 Dico 6. Clausura Monialium respectu aliorum est tam rigida, ut intra Monasterii ambitum, quousque se extendit claustrum, nemini liceat ingredi sine justa causa, & licentia Episcopi, si Monasterium sit subjectum Episcopo, vel immediatè Pontifici, aut sine permissu Prælati Regularis, si huic immediatè subsit. 2. Qui verò sine licentia ingrediuntur, de Jure incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, licèt non ingrediantur malo fine. Utraque pars iterum habetur in *c. un.* & Trid. *c. 5. citt.* Dixi 1. *quousque se extendit Claustrum:* quo nomine intelligitur omnis ille locus, in quem Monialibus licitus ingressus est, uti hortus, area, officinæ & totus ambitus murò cinctus. 2. *Nemini,* cujuscunque generis, conditionis, aut sexûs fuerit, ita ut nec Superiores extra casus necessarios possint ingredi: exceptis tamen pueris & puellis necdum rationis usum adeptis, vel puellis in Monasterio erudiendis cum licentia Superioris, modò sint infra 25. annos. 3. *sine justa causa,* scilicet necessitatis, cui aliter commodè non possit occurri, ut si Monasterium indigeat reparatione, si instituenda visitatio, si curandæ sint infirmæ, si ægris ministranda Sacramenta &c. tunc enim licet ingredi fabris & opificibus, visitatoribus, ancillis famulantibus, Medicis, Confessariis. 4. *& licentia Episcopi* (nisi periculum in mora sit) eaque in scriptis obtenta Trid. *lo. cit.* si in scriptis commodè obtineri possit. 5. *aut Prælati Regularis,* nempe Generalis vel Provincialis, vel immediati Superioris Monasterii virorum, cui Moniales subjectæ sunt: qui tamen in casibus necessariis ipse eadem facultate utitur licitè. 6. *excommunicationem,* quæ tamen reservata non est. Alias pœnas de privatione administrationis &c. ac inhabilitate ad eandem vide apud P. Wiestner *h. t. in f.* Quoad has pœnas autem, uti & ipsam prohibitionem ingressûs, attendi quoque debent particulares Ordinum Constitutiones, & consuetudines locorum, vi quarum in quibusdam Monasteriis tam viri quàm fœminæ non difficulter admittuntur ad septa, imò & ad cellas Monialium. Ratio autem introducendi clausuram, & quidem adeò rigidam de Jure, fuit, ut Moniales pulcherrimam continentiæ gemmam, purissimo Virginum sponso consecratam, in sua puritate ac nitore conservarent non quoad corpus tantùm, verùm etiam quoad mentem, secluso procul omni occasione mali.

Quæres, an pari ratione mulieribus sit prohibitus ingressus in Monasteria virorum? Prohibitus quidem est, at non in tanto rigore. Nam ingredi, saltem vi consuetudinis in quibusdam Ordinibus, permittuntur fundatrices, item Imperatrix, vel Regina, vel Princeps, earúmque filiæ, & aliæ fœminæ, quæ illas comitantur: quod quidem in Monasteriis Monialium quoque observari quandoque vidi. Si aliæ autem ingrediantur vel admittantur fœminæ, nec ingredientes nec admittentes excommunicantur, nisi id faciant sub prætextu alicujus privilegii aut facultatis ipsis concessæ, per *Const. Decori.* Pii V. & *Const. Dubiis.* Gregor. XIII. in alio enim Jure non reperitur pœna contra fœminas in Monasteria virorum ingredientes decreta.

TITULUS XXXII.

De Novi Operis Nuntiatione.

SUMMARIUM.

1. 2. Quid sit novum opus, & illud nuntiare.
3. Hæc nuntiatio quotuplex sit.
4. 5. A quo, & cui novum opus nuntiari possit.
6. Quos habeat effectus Nuntiatio.
7. 8. Quibus modis cesset, & effectu careat.

SCiendum 1. inter eccesus tam Prælatorum quàm subditorum numerari quoque posse *Novum opus,* quod aliquis ædificare incipit vel in fundo alieno, vel cum præjudicio alterius, aut pristinam ædificii formam cum alieno præjudicio immutare intendit, v. g. aperiendo fenestram erga hortum alterius, altiùs tollendo cum damno tertii &c. Et hinc illi, cum cujus præjudicio, sive verè injusto, sive saltem existimato, ædificat alius, datur jus *nuntiandi Novum opus,* h. e. prohibendi novam structuram, quam alter molitur, vel novam ædificii formam, quam alter inducere intendit, idque non tantùm de Jure Civili. *t. h. t. ff. & C.* si opus sit profanum, privatum vel publicum, sed etiam de Jure Canonico, si opus sit pium, seu structura Ecclesiæ, v. g. Hospitalis, Capellæ &c. vel etiam, si profanum quidem sit, sed fiat à persona, aut etiam Superiore Ecclesiastico. Ad imitationem enim Juris Civilis Sacri quoque Canones introduxerunt jus nuntiandi novum opus, seu prohibendi novum ædificium. *c. 1. h. t.* ubi Pontifex occasione hujus materiæ statuit hanc generalem regulam, *sicut Reges non dedignantur SS. Canones imitari, ita & Sacrorum Canonum statuta Principum constitutionibus adjuvantur,* insinuans, Jus Civile & Canonicum sibi mutuò succurrere, & quod in uno deficit, ab altero suppleri, non in hac tantùm, sed in aliis quoq; materiis, nisi aliud obsit. Quamvis autem, per se loquendo, quilibet saltem in suo fundo possit ædificare, quidquid & quomodo

modo voluerit, licèt vicinus indè aliquam incomoditatem sentiat, v.g. obscurationem suarum ædium, impedimentum prospectûs &c. etiamsi ædificare velit usq; ad cœlum, ut loquitur *Sumar. & text. l. 8. C. de Servit.* ex quo DD. formârunt hoc brocardicum, *si domus est mea, tunc mea est usq; ad cœlum, & usq; ad infernum*; fallit tamen 1. si vicinus in domo ædificantis habeat servitutem realem, & urbanam (nam in servitutibus rusticis locum non habet nuntiatio novi operis, *l. qui viam. 14. ff. h. t.* utique in discontinuis, ut est via, aquæ ductus &c.) cujusmodi constitui potest & acquiri vel pactô, vel testamentô, vel præscriptione. 2. siquis tantùm ex malitia, æmulatione, aut passione erga vicinum ædificaret, v. g. ad ejus ædes obscurandas, ad explorandum hortum vel ædes alienas, aperiendo fenestram contra ædes vel hortum alterius &c. cùm *malitiis hominum non sit indulgendum*, qui nempe nihil agunt, quàm ut noceant, *l. 38. ff. de R. V.* Præsumitur autem novum opus fieri ad æmulationem vicini, seu ad molestias ei creandas, si ædificanti vel novanti nulla indè proveniat utilitas. 2. si novum opus privatum cedat in dampum vel molestias boni publici, aut Religionis, ut si ædificium ita attollatur, vel in pristino fenestra aperiatur, ut exinde conspici possint Religiosi aut Religiosæ personæ intra proprias domos, ut notant Sperelli *decis. 58.* Layman. Donatus, aliique. 3. si ex nova structura imineat alteri, etiam privato, non tantùm incomoditas, sed etiam periculum damni, aut ruinæ suarum ædium; tali enim casu rectè nuntiatur novum opus, ut ædificans præstet cautionem *damni infecti*, h. e. quod nondum quidem illatum est, sed timetur ex novo ædificio. *arg. l. 1. §. 16. ff. h. t. & t. t. ff. de damno infecto.*

2 Sc. 2. Nuntiationem novi operis sic describi: *est prohibitio legitima novum opus paranti facta, ne in ædificando pergat, donec de jure ædificandi, vel ædificium immutandi, constiterit, aut eo nomine præstita sit priùs satisdatio.* Text. & DD. in *l. 1. & seqq. h. t. ff. & l. un. C. eod.* Dicitur 1. *legitima*, qualis erit, si fiat ex *justa causa*, scilicet vel ad conservandum jus, quod quis se habere scit aut putat, novo autem opere violari, vel ad avertendum damnum aut præjudicium, quod ex novo opere sibi imminere timet. *l. 1. §. 16. ff. cit.* Deinde si fiat in debito *loco*, scilicet ibi, ubi paratur novum opus. *l. 5. §. 2. ff. eod.* Licèt fieri possit quocunque *tempore*, etiam feriato, in-vel extra Judicium. per *l. 1. cit. §. 4.* modò opus sit, quod solo conjunctum, vel conjungendum, in eo permanenter duret. Dicitur 2. *paranti*, h. e. qui vel inchoavit ædificium, vel saltem actum externum præparatorium jam posuit inchoaturus, ut si lapides, ligna, aliáve ad ædificandum necessaria jam paravit: neque enim locum habet nuntiatio novi operis, si ædificium jam est perfectum; quia est *prohibitio*: prohibitio autem respicit futura, & non datur de jam factis & perfectis: si verò opus jam esset perfectum, quo quis læsum se existimat, datur ipsi aliud remedium ex injuria & damno dato, scilicet *interdictum, quod vi aut clàm*, vi cujus restitui debet, quod illicitè factum est. *l. 1. cit. §. 1.* Dicitur 3. *ne in ædificando pergat*: si autem spreta nuntiatione, sive ea fuerit justa sive injusta (modò non fuerit notoriè injusta. *l. 38. cit.*) pergat nuntiatus ædificare, suis tenetur expensis demoliri ædificatum, nec priùs auditur à Judice, licèt paratus sit docere, sibi jus ædificandi fuisse. *l. 20. ff. eod. §. 1. 3. 11. & 1. eod.* quia nuntiatio novi operis habet vim Appellationis extrajudicialis, qua pendente nihil est attentandum, &, quod attentatum, est revocandum. Dicitur 4. *aut præstita sit satisdatio*; si nempe nuntians ea velit esse contentus; nam in ejus arbitrio est vel petere demolitionem statim faciendam, vel admittere cautionem de ea facienda, si ædificans perdiderit litem in Judicio. *l. cit. c. fin. eod.* durior siquidem sit causa, si post completum ædificium urgeatur primùm ejus demolitio, & *præstat intacta jura servare, quàm post vulneratam causam remedium quærere. l. fin. C. in quib. caus. in integr. restitut. non est necess.* modò dilatio ædificii non sit damnum allatura ædificanti. *l. 5. §. 12. ff. h. t.*

Sc. 3. Nuntiationem novi operis dividi in 3
Realem & Verbalem. *Realis* fit factô, & per appositionem manûs, materiam & lapides jam paratos dispergendo, vel lapillum in opus inchoatum jaciendo, cum verbis tamen vel aliis signis prohibitionem significantibus. *l. 5. cit. §. 10.* vel etiam (quod regulariter conceditur, si in nostro fundo ædificatum) opus destruendo. per *l. 7. §. 3. ff. quod vi aut clàm. l. 29. §. 1. ff. ad L. Aquil.* Econtra *Verbalis* fit præcise verbis, adeundo ædificantem, vel architectos aut opifices, & prohibendo, ne quid novi operis fiat, aut à cœpto desistatur. *l. 5. cit. §. 3.* Utraque fieri potest vel auctoritate Judicis, ad hoc requisiti. per *l. 16. ff. eod.* & vocatur *Publica*, vel absque illa, & dicitur *Privata*. Omnis autem nuntiatio, saltem quæ fit privatâ auctoritate, utilissimè fit coram Notario, vel testibus, ut securiùs probari valeat. Cæterùm per *Verbalem*, eámque *Privatam*, nuntiator amittit possessionem ejus, circa quod nuntiat, & eam acquirit adversarius novans. *l. 5. cit. §. 10.* quia, qui solo verbo & sine auctoritate Judicis novum opus nuntiat, videtur meticulosus, & alteri censetur relinquere possessionem; siquidem possessio Civilis solô animô amittitur.

Dico 1. Nuntiare novum opus, quod fit in 4
præjudicium boni publici, regulariter potest quilibet de populo. 2. Si verò præjudicet bono alicujus privati, ille, qui habet vel prætendit jus in re, cui per novum opus præjudicatur, tam per se, quàm per substitutum. 3. Nuntiari autem omni illi, qui in alterius præjudicium molitur novum opus. Pars 1. sumitur ex *l. 3. l. 4. ff. h. t.* Excipiuntur tamen pupilli, nisi specialiter ipsorum interfit. *l. 5. pr. eod.* item infames. *l. 4. ff. de popul. act.* ubi popularis actio illis tantùm permittitur, qui sunt integræ famæ. Pars 2. ex *l. 1. pr. & §. 3. §. 16. §. 19. l. 5. §. 8. 9. ff. h. t.* Unde nuntiare etiam possunt bonæ fidei possessor, creditor hypothecarius, habens servitutem in alieno fundo, habens dominium utile, ut vasallus, & emphyteuta. Pars 3. ex

l. 8.

l. 8. pr. ff. c. 1. c. 2. h. t. adeóque nuntiari etiam contra Superiorem, vel Ecclesiam potest, imò & contra illum, qui revera jus habet ædificandi, de eo tamen notoriè non constat. Nec est necesse, ut nuntiatio fiat ipsi principali, vel novanti, sed sufficit quoque, si fiat in loco, vel prope illum, ubi paratur novum opus, fabris, opificibus, servis, vel aliis, qui domino referre valent, nuntiationem esse factam. *l. 5. §. 3. cit.*

5 Oppones 1. Si cuilibet permissum est nuntiare novum opus, tunc quoque Pupillo etiam sine Auctoritate Tutoris: sed hoc est falsum, cùm nec alios actus exercere valeat sine auctoritate Tutoris. 2. si nuntiare fors possit Pupillus sine dicta auctoritate, tunc eidem quoq; nuntiari poterit sine eadem auctoritate, uti & infanti, vel furioso sine auctoritate Curatoris: sed absurdum est his personis, usu rationis vel plenè vel penè destitutis nuntiari novum opus: ergo. R. ad 1. *dist. Ma.* Pupillus sine authoritate Tutoris nuntiare potest nuntiatione reali, vel quando non est in possessione rei, circa & ob quam nuntiat. *C. Ma.* merè verbali privata, quando est in possessione. *N. Ma.* Ratio disparitatis est, quia in priori casu non potest sibi præjudicare, bene tamen in posteriori; quia amitteret possessionem. Ad 2. iterum *dist. Ma.* eidem quoque nuntiari potest, vel infanti, vel furioso, solis. *N. Ma.* simul aliis præsentibus, v.g. fabris, opificibus &c. qui sufficientem habent usum rationis. *C. Ma.* Quia nuntiatio ex parte nuntiati fit in rem, vel rei, non personæ. *l. 10. ff. eod.*

6 Dico 2. Nuntiatio ex parte nuntiati, seu ædificantis, cui nuntiatur & prohibetur novum opus, operatur hoc, ut statim desistere teneatur ab opere. *l. 1. l. 20. citt.* donec nempe re examinata de ædificandi jure constiterit. *l. 8. §. 4. ff. eod.* si verò pergeret ædificare, vel postquam desiit, iterum inciperet, in continenti potest nuntians propriâ auctoritate post nuntiationem ædificatum destruere, vel ab ædificando impedire vi adhita. *arg. l. 1. §. 6. 7. 9. l. 20. §. 1. ff. quod vi aut clàm.* Ut autem constet, an statim destiterit nuntiatus, vel quid novi superaddiderit post nuntiationem, nuntians annotari curet, quod antè ædificatum erat. *l. 8. cit. §. 1.* Et si postea nuntiatus deprehendatur aliquid superaddidisse, tenetur propriis sumptibus, antequam audiatur, destruere illud totum, atque ad hoc datur nuntianti ejúsq; hæredibus edictum Restitutorium. Interim tamen cessatio ab ædificando durat tantùm ad tres menses, intra quos si nuntians non probet, injuriam & præjudicium sibi fieri per novum opus, nuntiatus potest pergere, modò satisdationem offerat, seu cautionem vel per pignora, vel per fidejussores præstet de opere suis sumptibus demoliendo in eventum, si causâ ceciderit. *c. fin. h. t.* Ne autem detur occasio calumniosis nuntiationibus, & ædificans malitiosè vexetur aut retardetur, potest nuntiatus, vel Judex ejus loco, exigere juramentum calumniæ, quo nuntians juret, se non calumniæ causâ nuntiare, sed quia putat, se justam causam habere. per *l. un C. eod.* Dixi, *ex parte nuntiati*; nam ex parte *nuntiantis* operatur hoc, ut teneatur de dolo, item actione injuriarum, & interdicto *ne vis fiat*, nec non interdicto *uti possidetis*, si deprehendatur injustè & male nuntiâsse. per *l. 33. ff. de dolo l. 13. §. fin. ff. de injur. l. 45. §. fin. ff. de procurat. l. 8. §. 5. ff. si servitus vindicet.*

Dico 3. Nuntiatio cessat, & suo effectu frustratur 1. si periculum sit in mora, & dilatio ædificii cederet in grave damnum volentis ædificare, præsertim si toti comunitati crederetur damnosa. 2. si nuntians nolit præstare juramentum calumniæ. 3. si sponte remittat nuntiationem. 4. si re adhuc integra, seu antequam aliquid ædificatum sit, moriatur nuntians. 5. si Judex nuntiationem remiserit, vel revocaverit admissam. 6. si fiat notorium jus ædificandi, seu constiterit, ædificationem injustè fuisse prohibitam. 7. si nuntians intra 3. menses non probavit jus prohibendi. 8. si a nuntiato recepit cautionem de opere demoliendo in eventum, quòd jus ædificandi non habuisse probetur. Habentur hæc *l. 5. §. 12. §. 14. l. 8. §. 4. §. 6. l. 16. l. 20. ff. h. t. l. un. cit. c. 3. & fin. eod.* His adde, si nuntiatio fiat opere jam perfecto; tunc enim non hæc, sed aliud remedium, nempe Restitutorium, vel *quod vi aut clàm*, conceditur.

Oppones 1. In *c. 1. eod.* & alibi dicitur, nuntiationem & prohibitionem novi operis impedire novantem à pergendo in novo opere, *sive* ea *jure sive injuriâ* sit facta: ergo non frustratur suo effectu, licet constiterit, ædificationem injustè esse prohibitam. 2. Nuntiatio est similis appellationi: sed interposita appellatione potest appellatus prosequi jus suum, donec per sententiam Judicis *ad quem* condemnetur: ergo & nuntiatus prosequi ædificium non obstante nuntiatione, donec re examinata per sententiam Judicis condemnetur, & jus ædificandi ei negetur. 3. Morte nuntiati non finitur nuntiatio: ergo nec morte nuntiantis, licèt res adhuc sit integra. R. ad 1. Id intelligendum est de injuria non notoria, seu quando non manifestò constat, jus prohibendi non competere nuntianti. per *l. 38. ff. de R. V.* Ad 2. *dist. Ma.* est similis Appellationi in hoc, quòd Nuntiationi, etiam injustæ (modò non sit notoriè injusta) deferendum sit, sicut Appellationi tam injustæ quàm justæ: non verò in aliis, præsertim ubi jus apertè aliud disposuit de Nuntiatione, quàm de Appellatione: nam Nuntiato, quia tantùm per 3. menses differre debet novum opus, negavit jus prosequendi ædificium, Appellato autem, quia per annum, & ex justa causa per biennium, appellatus expectare debet, ut appellans suum jus probare possit, concessit jus suum interea prosequendi. Ad 3. *N. Conf.* Nam nuntiatio ex parte nuntiati est in rem, seu realis, & ideo transit etiam ad successores ejus. *l. 10. ff. h. t.* ex parte nuntiantis autem est personalis, & ideo ad successores non transit; licet transeat ad hæredes universales, si tamen & suo & hæredum nomine nuntiatio est facta.

TITU-

TITULUS XXXIII.

De Privilegiis, & Excessibus Privilegiatorum.

SUMMARIUM.

1. 2. 5. Privilegium quid nominis & rei sit.
3. 4. Privilegium Exemptionis, & vivæ vocis Oraculo concessum.
6. 7. An ad valorem privilegij requiratur causa, scriptura, & promulgatio.
8. Privilegij multiplex divisio.
9. Privilegium Exemptionis habet suas limitationes.
10. Quibus modis acquiratur privilegium.
11. Interpretatio & extensio privilegij differunt.
12. Non-subditis an possit conferri privilegium.
13. Qualem privilegiorum communicationem habeant Religiosi Mendicantes.
14. 15. 16. Quomodo privilegia sint interpretanda.
17. 18. An & quando extendi possint.
19. 20. Usus, & abusus privilegiorum, seu excessus privilegiatorum.
21. Quibus modis amittantur privilegia.
22. An ijs uti liceat extra territorium concedentis.
23. An contra pariter privilegiatum.
24. Quomodo amittatur privilegium per abusum.
25. Quomodo per revocationem.
26. Quanam privilegia Regularium sint revocata per Tridentinum.
27. Quomodo amittantur per renuntiationem.
28. Quomodo cessante causa finali.
29. Quomodo per interitum subjecti.
30. An per mortem concedentis.
31. An per lapsum temporis, vel conditione non impleta.
32. An & quando per non-usum.
33. Vel per usum contrarium.
34. Etiam per unicum actum contrarium.

1 INter species Excessuum reputatur etiam alteratio privilegiorum. per *c. 7. h. t.* si nempe vel nimiùm extenduntur cum præjudicio aliorum, vel nimiùm restringuntur, ita ut sine effectu & viribus sint, vel ipsi privilegiati ijs abutuntur. Nomen habet *privilegium* à vocibus *privata* & *lex*, ut idem sonet ac *privata lex*, *privatum legium*; quia privilegia faciunt exemptionem à Lege communi, aut speciale quid conferunt, ac singulare jus tribuunt particulari vel personæ vel communitati vel loco. Sumptum *formaliter* vel *effectivè* dicit concessionem juris singularis & specialis, in qua acceptione vocatur subinde *Rescriptum Gratiæ*: *objectivè* autem acceptum est ipsum jus singulare, sonderbahre Freyheit / in qua acceptione etiam appellatur *indultum*, *Favor*, *Gratia*, *Immunitas*: quamquam strictè loquendo differat à *gratia*, *beneficio Principis* &c. tanquam species à genere, vel tanquam inferius à superiore; nam omne quidem privilegium est gratia, vel beneficium &c. non verò vicissim omnis gratia &c. est privilegium.

§. 1.

De Natura, & Varietate Privilegiorum. Ubi specialiter de Privilegio Exemptionis.

Sciendum 1. Privilegium quidem dici & aliquo modo esse *legem. can. 3. d. 3.* eò quòd obliget, non quidem eos, quibus conceditur, sed alios, ne privilegiatum impediant in usu privilegii, vel ut illud servari faciant: propriè tamen & directè Legem non esse, utpote quæ respicit favorem & bonum communitatis, & hanc, cui fertur, directè obligat: privilegium verò respicit favorem & bonum alicujus in particulari, sive personæ aut communitatis, sive loci, & eos, quibus conceditur, non obligat ad sui usum. Aliqua pertinent ad substantiam, valorem, & naturam privilegij, alia verò tantùm velut conditiones ad formam accidentalem. Cœterùm varia sortitur nomina in Jure; dicitur enim favor, gratia, immunitas, jus singulare, exceptio, indulgentia, constitutio personalis, indultum &c. 2

Sc. 2. Quamvis omne Privilegium, quod est *contra Jus*, inferat exemptionem, per *Privilegium Exemptionis* tamen intelligi liberationem à jurisdictione Ordinarij, quando nempe vel personæ, vel locus, vel tam personæ quàm locus certus subtrahuntur à potestate Episcopi vel alterius Superioris, ordinariam aliàs jurisdictionem in eos habentis, & immediatè subjiciuntur Summo Pontifici. Chokier *de Jurisdict. Ordin. in Exempt. p. 1. q. 1. n. 3. seqq.* Si locus unà cum personis & aliquo territorio à jurisdictione Episcopi est subtractus, dicitur esse, uti & personæ in tali loco existentes, *nullius diœcesis*, si verò personæ tantùm, & monasterium v. g. aut populus in certo loco & territorio existens, dicuntur esse *in diœcesi*, non autem *de diœcesi*. Exemptio acquiri potest vel privilegiò Papæ, vel concessione libera Episcopi saltem in limine fundationis, ubi nondum est jus absolutè Episcopo quæsitum, vel præscriptione. 3

Sc. 3. Privilegium *vivæ vocis Oraculo* concessum dici, quod Princeps sine scriptura, sed verbotenus tantùm seu oretenus cõcessit. Cujusmodi vivæ vocis Oracula, Religiosis sæpe à Summis Pontificibus concessa, cùm Gregorius XV. & Urbanus VIII. postea revocaverint, iste quidem sine ulla exceptione, ille autem exceptis illis, quæ vel ad instantiam Regum fuêre concessa, vel manu alicujus Cardinalis firmata; ideo multùm discepatur, utrùm aliquæ saltem facultates Religiosis vivæ vocis oraculo concessæ licitum hodie usum ac validum adhuc habeant vel non. Qua de re videri possunt Cardenas *in 2. Crisi dissert. 2. n. 314.* Diana *p. 5. tr. 14. resol. 17. & p. 11. tr. 6. resol. 45.* Illsung, Gobat *in Theol. Experim. tr. 9. n. 736. seqq.* Escobar, Dicastillo &c. 4

Dico 1. Privilegium essentialiter est *concessio stabilis & permanens alicujus specialis licentiæ circa Jus commune, ratione rei vel personæ, ab eo solo, qui legem aut Jus commune condere potest, facta* 5

subdito, vel saltem inferiori, aut per consuetudinem obtenta. Ita Gibalinus *de Scientia Canonica. l. 7. c. 7. n. 1.* P. Krimer *lib. V. n. 1164.* vel breviùs: *est concessio alicujus juris specialis permanens à legitimo Superiore facta contra vel præter Jus commune.* Definitio hæc explicat privilegium *formaliter* vel *effectivè* vel *causativè* acceptum; si verò definire velis privilegium *objectivè* sumptum, dic illud esse *jus speciale permanens à legitimo Superiore concessum.* Dixi 1. *essentialiter:* quæ autem non ad substantiam & valorem, sed tantùm ad licentiam vel formam accidentalem pertineant, dicam in assertione sequente. 2. *concessio:* alii & plures communiùs cum S. Antonino & Suar. pro voce hac utuntur verbis *lex privata:* at quia subinde conceditur alicui facultas aliquid faciendi vel omittendi, quin interveniat aliquis tertius, qui obligetur, v. g. facultas non recitandi Breviarium, ideo fortè meliùs usurpatur vox *concessio*, tanquam universalior: si tamen etiam hoc casu alios obligari contendas, & sic legem privatam adhuc habere locum, non pertinaciùs tibi resistam. 3. *stabilis & permanens*, h. e. privilegium necessariò habet aliquam stabilitatem & perpetuitatem, uti habere debet lex omnis: per hanc enim durationem privilegium inter alia differt à *dispensatione*, quæ necessariò perpetuitatem non habet, & plerumque unico actu finitur, ut si tecum dispensatur in impedimento Matrimonij. 4. *alicujus specialis licentiæ*, quibus verbis indicatur materia privilegij, & nihil est aliud, quàm jus speciale aliquid agendi vel omittendi contra vel præter Jus commune Humanum, vel favor aut facultas stabilis, in bonum illius, cui datur privilegiū, redundans: si verò favor solùm in facto consisteret, non in jure seu facultate & licentia aliquid faciendi vel omittendi, non foret privilegium, sed vel dispensatio, vel alia gratia. 5. *circa Jus commune*, abstrahendo, an talis licentia concedatur *contra* Jus commune, ut privilegium Exemptionis, vescendi carnibus in Quadragesima &c. licèt probabiliùs necesse non sit, ut concedens tale privilegium exprimat specialiter, quòd velit derogare Juri communi, saltem nisi Jus commune resistat positivè privilegiato (aliud est de jure alicujus privati, vel de consuetudine speciali, quibus per privilegium non derogatur, nisi eorum mentio expressa fiat, cùm tale jus & consuetudo particularis præsumatur ignorari à concedente) vel an *præter* aut *ultra Jus commune*, cujusmodi privilegium datur, quando Jus commune circa materiam privilegii nihil statuit, uti sunt multa privilegia Religiosis Ordinibus concessa. Utrùm verò dari possit privilegium *secundùm* Jus commune, ita ut nihil speciale concedatur, quod non jam sit concessum de Jure communi, sed id tantùm declaretur, disputant DD. Mihi videtur, propriè non esse privilegium, nempe *Concessivum*, licèt aliqui vocent *Declarativum*, quod tamen meò judicio, cùm concessionem juris & facultatis specialis non contineat, propriè privilegium non est. per *can. fin. §. Si ergo. caus. 25. q. 1. l. un. C. de Thesaur.* Et hinc in dubio, an privilegium sit concessivum vel tantùm declarativum, præsumitur esse concessivum. Abb. Felin. Azor, Suar. & alii, qui indè inferunt, si Clerico concedatur privilegium faciendi testamentum, illud intelligi de bonis beneficialibus; quia de patrimonialibus testandi facultatem habet jam aliunde & de Jure communi. 6. *ab eo solo* &c. quia à Jure communi aliquem eximere, & alios obligare, ne privilegiatum impediant in usu privilegii, nemo, nisi Legislativam potestatem obtinens Superior, potest. 7. *facta subdito, vel saltem inferiori*; quia obligatio & exemptio, quæ in privilegiis interveniunt, subjectionem aut certè inferioritatem supponunt in eo, qui obligatur vel eximitur ab alio; cùm autem privilegium nec ad culpam nec ad pœnam obliget privilegiatum, in concedente non requiritur potestas directiva aut coactiva, adeòque nulla jurisdictio propria in personam privilegiati licèt materia privilegii debeat esse sub jurisdictione privilegiantis: nec necessariò datur ulla in privilegiato subjectio, bene tamen aliqua saltem inferioritas: unde, licèt Clerici non sint subjecti Laicis Principibus, quia tamen quasi potestatem temporalem ijs inferiores sint, privilegium ab ipsis accipere possunt, uti &c. g. Hispanus transiens per terras Regis Galliæ capax est consequendi ab hoc privilegium. 8. *aut per consuetudinem obtenta*, cui quoad hoc æquivalet Præscriptio: utraque enim fundatur ultimò in voluntate Legislatoris, qui in jure tam Consuetudini quàm Præscriptioni vim tribuit concedendi privilegium.

Dico 2. Ad essentiam & valorem privilegij absolutè non requiritur 1. justa causa. 2. Scriptura. 3. promulgatio seu insinuatio. Ratio horum omnium est, quia privilegium, sicuti lex, dependet unicè à voluntate Legislatoris, vel Superioris, illud concedentis: item privilegium est quasi donatio: donatio autem, licèt absque causa & prodigè, vel sine scriptura, aut intimatione fiat, absolutè & regulariter subsistere ac valere potest: ferè sicut legatum valet sine intimatione &c. licèt non in actu secundo, nisi habitâ notitiâ acceptetur à legatario. Interim tamen *justa causa* requiritur ad hoc, ut licitè concedatur privilegium. *Scriptura* autem ad hoc servit, ut facilius probetur, & pleniùs de tenore privilegii constet: imò ad valorem quoque requiritur, ubi jus ita specialiter disponit, ut si concedatur facultas non residendi in beneficiis Curatis. Trid. *Sess. 23. c. 1. de Ref.* Ingrediendi Monasterium Monialium. Trid. *s. 25. c. 5. de Regular.* Si deputetur à Papa Judex delegatus. *Reg. 27. Cancellar.* juxta Ordinem quem tenuit Clemens XI. Si à Papa fiat collatio vel unio Beneficiorum Ecclesiasticorum, vel confirmetur Electus. *Extrav. 1. int. Comm. de Elect.* cum *Constit. Romanum Pontificis.* à Julio II. & *Const. Cùm nobis.* à Paulo III. editis. Item si dispensatio (vel alia gratia aut privilegium, ut extendit Choklet & alii) emánet à Sede Apostolica, pro foro externo, ut vim habeat, opus est scriptura per

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Reg. 52. Cancellar. & hinc gratiæ Apostolicæ ante expeditas litteras dicuntur quasi *informes* adhuc; quamquam in foro interno iis uti liceat, si de concessione sufficienter constet, etiam ante expeditionem litterarum. *Promulgatio* denique & *insinuatio* necessaria est, imprimis ipsi privilegiato, si privilegium concedatur motu proprio, & non ad petitionem; quia sine illa acceptari non potest; privilegium autem sine acceptatione, saltem ordinariè, non subsistit, sicut donatio sine acceptatione donatarii; cùm sit aliqua donatio: quamquam absolutè loquendo etiam invito concedi possit privilegium, sicut dispensari cum invito, v. g. cum illegitimè nato, vel in impedimento Matrimonii; licèt Princeps id facere non censeatur, nisi exprimat. Deinde intimatio privilegii (nisi absolutè aliter velit privilegians) videtur a privilegiatis facienda esse illis, in quorum cedit præjudicium, ut possint, si sic videatur ipsis, se opponere. *arg. c. 19. h. t.* Denique & aliis, ne privilegii usum impediant; cùm respectu horum sit quasi lex: lex autem promulgationem requirat: consequenter ut privilegium sit firmum, & in effectu prosit securè privilegiato, promulgationem exigit, non quidem solemnem, uti leges aliæ, & communes, sed singularem, quæ fit vel per testes, vel per ostensionem instrumenti legitimi, in quo continetur privilegii tenor.

7 Oppones 1. Indulgentiarum concessio non valet absque justa causa: ergo neque concessio privilegiorum. 2. In *can. 8. d. 100.* vis tantum *scriptis privilegiis* tribuitur, & in *Reg. Cancellar. 52. cit.* gratiæ Apostolicæ, ac dispensationes non prodesse dicuntur, nisi desuper expeditæ & confectæ sint litteræ, non obstante, quòd supplicationes à Papa jam sint signatæ per verbum *placet*, vel *fiat*: ergo saltem privilegia Sedis Apostolicæ generaliter exigunt scripturam ad sui valorem. 3. Concessio privilegii est aliqua donatio: ergo essentialiter requirit acceptationem privilegiati: sed sine notitia, intimatione, & insinuatione sibi facta, non potest acceptare privilegiatus: ergo. 4. Privilegium est lex privata, & obligat alios ad permittendum liberum privilegii usum: sed lex essentialiter requirit promulgationem: ergo. 5. Legislator nunquam intendit dare privilegium in præjudicium tertii, nisi id exprimat. *c. 1. de Constit. in 6.* ergo neque, nisi à conferente privilegium intimetur illis, in quorum cedit præjudicium. *c. 19. X. c. 7. in 6. h. t.* ergo necessaria est intimatio. R. ad 1. *N. Cons. & parit.* quia Papa Indulgentias concedit non tanquam Dominus & Legislator, sed præcisè ut Administrator, & nomine Christi, qui eidem non dedit potestatem prodigendi, & sine causa dispensandi suos thesauros. Ad 2. Illa Jura plus non probant, quàm necessitatem scripturæ in ordine ad probandum privilegium in Judicio, & ad licitum usum pro foro externo. Ad 3. Quamvis sit aliqua donatio, prout pretium & compensationem excludit, non tamen quoad omnia imitatur donationem; sed quoad acceptationem potiùs imitatur Legem, quæ etiam invitis imponi, vel Dispensationem, quæ etiam nolentibus dari potest. Id verum est, quòd privilegiatus ordinariè non possit licitè uti privilegiò, cujus notitiam non habet, quia se exponeret periculo faciendi actum illicitum, vel omnino invalidum; nisi nempe probabile ipsi sit, privilegium, quod petiit, jam esse concessum, & necessitas utendi urgeat. Imò, si privilegium motu proprio sit concessum, nec validè uti potest privilegiatus sine illius notitia saltem ordinariè; quia ordinariè non solent gratiæ obtrudi, & dari sine acceptatione, quamvis absolutè sic possint concedi. Ad 4. *dist. Min.* Lex communis ad essentiam suam requirit promulgationem. *C. Min.* lex privata. *N. Min.* ad firmitatem, & liberum usum privilegii necessaria quidem est insinuatio, vel potiùs probatio illius apud alios, non verò ad constitutionem & essentiam illius, utpote quæ à sola concedentis voluntate dependet, uti valor Rescripti aut Dispensationis. Ad 5. sicut Legislator absolutè dare potest privilegium aliis præjudiciosum, licèt mentionem non faciat alieni præjudicii, quamvis non soleat: ita absolutè valebit privilegium hujusmodi præjudiciosum, licèt non intimetur iis, quibus præjudicat; modò Legislator id latis exprimat, & gravamen ita sit moderatum, ut illi ad id sustinendum rationabiliter obligari possint.

8 Dico 3. Privilegium dividitur in concessum motu proprio, & ad instantiam: in clausum Corpore Juris, & speciali concessione indultum: in Commune & Privatum: in Affirmativum & Negativum: in merè Gratuitum, Remuneratorium, & Oneròsum seu Conventionale: in absolutè concessum, & sub conditione vel modo: in primò per se, & ad instar concessum: in Perpetuum, & Temporale: in Favorabile, & Odiosum: in Reale, ac Personale; quæ ultima divisio specialiter est notanda. *Concessum Motu proprio* est, quod Princeps vel independenter ad preces & intercessionem præviam, vel ad preces quidem, sed cum clausula *Motu proprio* dedit: *Ad instantiam* verò, quod ad preces alterius & sine dicta clausula. *Clausum Corpore Juris*, quod in Corpore Juris communis sedem habet, & ideo rationem Legis obtinet, ut est privilegium Canonis, Fori, & alia personis Ecclesiasticis aut Ecclesiis concessa: *specialiter* verò *concessum*, quod per speciale rescriptum, diploma, litteras, vel etiam oretenus. *Commune*, quod per se & principaliter respicit bonum Communitatis, v. g. totius Ordinis Ecclesiastici, uti est memoratum privilegium Fori, Canonis, & Competentiæ: *Privatum* seu *Singulare*, quod per se & principaliter respicit bonum personarum particularium, uti privilegium S. C. Vellejani, Macedoniani, & Restitutionis in integrum; licèt per accidens & mediatè redundet quoque in bonum Communitatis, *Affirmativum*, vi cujus aliquid facere, v. g. venari in alterius districtu, dare suffragium in aliena Ecclesia: *Negativum*, vi cujus aliquid omittere licet, aliàs

non permissum, v. g. privilegium non solvendi decimas, tributa &c. *Merè Gratuitum* seu *Gratiosum*, quod gratis ex pura liberalitate: *Remuneratorium*, quod in compensationem præcedentium meritorum, uti ferè sunt privilegia Religiosorum: *Oneroſum*, seu *Conventionale*, quod cum onere reciproco per modum contractûs conceditur, ut si Civitas pro privilegio sibi concesso se vicissim obliget ad alendam Principis Curiam. *Absolutè concessum*, quod excludit omnem conditionem & modum: *Sub conditione* vel *modo* autem ferè coincidit cum Conventionali & Oneroso. *Primò per se* concessum, quod alicui specialiter & sine respectu vel ordine privilegii priùs aliis dati: *Ad instar* autem, quod alicui datur eum in modum, quo jam alteri est concessum, v. g. si Papa, vel Imperator dicat, *concedimus Universitati Ingolstadiensi omnia privilegia, quæ concessa sunt Parisiensi, Bononiensi, Viennensi &c.* ubi tamen nota, licèt per hanc formulam Universitas nostra consecuta sit privilegia illarum Universitatum, ea tamen si respectu illarum revocarentur, non censeri revocata quoad nostram, cui ad instar sunt concessa. *Perpetuum*, quod sine præfinitione temporis conceditur, vel rei de se perpetuæ adhæret: *Temporale*, quod ad certum tempus, vel ad vitam personæ privilegiantis aut privilegiatæ restringitur. *Favorabile*, quod ita concernit favorem privilegiati, ut in nullius præjudicium redundet, uti privilegium faciendi Testamentum insolenne, dispensandi, non recitandi Breviarium: *Odiosum*, quod præter favorem privilegiati continet gravamen vel præjudicium alterius, sive Juris, quale est omne privilegium *Contra* Jus, sive hominis, ut privilegium immunitatis à solvendis decimis, tributis, pedagiis &c. Pro ultimo divisionis membro adverte, quòd quidem omne privilegium concedatur & cedat in utilitatem personarum, utpote quæ solæ sunt capaces favoris & beneficii, *Personale* tamen privilegium dici illud, quod immediatè & directè confertur alicui personæ certæ ac individuali in favorem ipsius, seu ratione ipsius, ut si privilegians dicat, *tibi Sempronio* do facultatem dispensandi, Breviarium non recitandi, duos Canonicatus retinendi &c. *Reale* autem, quod mediatè tantùm personæ, immediatè verò & directè confertur rei à persona distinctæ, sive dein hæc res sit Locus aut Fundus, sive Corpus seu Communitas, sive Status, Dignitas, Officium, Conditio &c. uti privilegium asyli Ecclesiis concessum, privilegium venandi certo castro annexum, privilegia Ecclesiis Cathedralibus, Religiosis Ordinibus, Civitati &c. indulta, privilegia statui Clericorum, Studiosorum, Pupillorum, Minorennium, Filiorumfamilias, Militum, Mulierum collata, Episcopis, Præpositis, Vicariis Generalibus, certis Officialibus &c. quà talibus data; quamvis enim privilegia subinde ita concedantur Religioni, Civitati, Communitati, Statui &c. ut non solùm Communitas &c. quà talis ijs uti valeat, sed etiam singula membra & personæ, non tamen communicantur personis, quà talibus, sed ob qualitatem communem, seu quà membris, & ideo potiùs Realia vocantur, quàm *Personalia*: licèt fortè & *Mixta* appellari possent. Discrimen notabile in effectu inter privilegium personale & Reale est, quòd illud extinguatur cum Persona privilegiata, istud verò transeat ad hæredes & successores, talem fundum, officium &c. obtinentes, vel inter membra communitatis &c. receptos, vel apud quos illa res reperitur, cui immediatè datum est privilegium. *c. 7. de R. J. in 6. l. 7. pr. ff. de publican. & vectig.* Si consideratis omnibus maneat dubium, an privilegium sit personale vel reale, præsumitur esse reale, si sit Favorabile & in nullius præjudicium cedens, personale verò, si Odiosum. *c. 15. c. 22. de R. J. in 6. l. fin. ff. de Constit. Princ.* Suar. Pal. Pirhing.

Dico 4. Exempti per privilegium exemptionis non omnino subducuntur à jurisdictione Episcopi, sed in multis casibus eidem subjecti manent. 2. Coram eodem conveniri & judicari possunt, quando delinquunt, vel contractum celebrant, extra locum exemptum, & de re non exempta, nisi simul personaliter ac specialiter ratione delicti, contractûs, & rei sitæ, sint exempti, & non tantùm realiter ratione Ecclesiæ, Ordinis, Monasterij. 3. Censentur autem omnes Clerici & Religiosi esse personaliter exempti hoc ipso, quòd Ecclesia vel Monasterium sit exemptum. Pars 1. constat ex dictis ad *tit. de Offic. Ordin. in lib. I. n. 19.* ubi varios recensuimus casus, in quibus Exempti subsunt Episcopo vel tanquam Ordinario, vel tanquam Delegato Sedis Apostolæ. Pars 2. sumitur ex *c. 14. c. fin. de for. comp. c. 3. h. t. c. 2. eod. in 6.* Addidi, *nisi simul personaliter ac specialiter &c. sint exempti*, adeóq; mixtè, quo modo plerosque Regulares hodie per specialia privilegia exemptos esse ait Pirhing *h. t. n. 3.* Pars 3. est decisa in *c. 9. eod. in 6.* Sed opponunt: Exemptis personis, nempe Clericis vel Religiosis, non hoc ipso est exempta Ecclesia vel Monasterium: item exemptâ Ecclesiâ non hoc ipso censentur esse exemptæ ejusdem capellæ, saltem nisi pleno jure sint eidem subjectæ, ut docent communiter ex ea ratione, quia privilegium exemptionis, utpote cedens in præjudicium jurisdictionis Episcopalis, est odiosum, & ideo non extendendum: ergo nec exemptâ Ecclesiâ vel Monasteriò exempti sunt Clerici illius aut Religiosi; cùm pugnet eadem ratio. R. *C. Ant. N. Conf.* partim quia de ultimo casu exstat specialis dispositio Juris in *d. c. 9.* partim quia nomine Ecclesiæ vel Monasterii veniunt quoque ejus Clerici & Religiosi tanquam Ministri unà cum Prælato. *c. 12. de Testam.* & sic non fit extensio, cùm comprehendens complectatur contentum; licèt vicissim res contenta non includat continentem: adeóque paritas non est cum prima instantia: neque etiam cum secunda de Capellis, quia hæ non tantam habent connexionem cum Ecclesia vel Monasterio, quantam Clerici & Religiosi.

§. 2.

De Acquiſitione, Communicatione, Interpretatione, Extenſione, Privilegiorum.

10 Sciendum 1. Privilegia acquiri non tantùm actuali *Conceſſione* Superioris, poteſtate Legislativa, vel ſaltem alia ſuperioritate in aliquo genere præditi, & ſimpliciter absque reſpectu ad aliud privilegium concedentis jus ſingulare; ſed etiam *Communicatione*, ſeu participatione, qua Superior privilegium jam priùs uni conceſſum, vel perſonæ vel Communitati, extendit ad aliam perſonam vel Communitatem: quod fit vel *abſolutè*, & pariformiter, dum idem privilegium, alijs quidem priùs conceſſum, ſine reſpectu ad illos, quibus jam erat conceſſum, communicatur & extenditur quoque ad alios: vel *ad inſtar* & *relativè* ad alios, quibus jam antè idem privilegium eſt conceſſum: ſi communicetur ad inſtar directè, per ſe, & æquè principaliter, tunc non augetur vel minuitur, ſi reſpectu illorum, quibus antè erat conceſſum, contingat illud augeri, vel minui, vel amitti: ſi verò ad inſtar communicatur non per ſe & æquè principaliter, ſed tantùm indirectè, acceſſoriè, & propter connexionem, quæ datur cum alijs jam privilegiatis, uti Religioſorum privilegia communicantur nonnunquam cum eorum familiaribus, Medicis, Advocatis, aut cum Monialibus, tunc augetur, vel minuitur, vel amittitur cum priùs conceſſo. Quæſtionis eſt, an privilegium etiam acquiratur per *Præſcriptionem* vel *Conſuetudinem*, non modò immemorialem, ſed etiam minoris temporis. Affirmatur quidem communiter, ſi adſint requiſita ad Præſcriptionem vel Conſuetudinem, maximè tempus; proprijſſimè tamen non videntur eſſe privilegia, quæ non proveniunt à Principe actualiter concedente, vel communicante jus aliquod ſingulare: Præſcriptio autem & Conſuetudo potiùs vim privilegij obtinent, ut notat P. Schmier *de Jure Legali cap. 9. n. 82.* Et hinc, ſi revocentur privilegia, non revocantur jura per Conſuetudinem vel Præſcriptionem acquiſita. Suar. *l. 8. de Legib. c. 7. n. 15.* aliſque.

11 Sc. 2. *Interpretationi* quidem privilegij locum non eſſe, ubi de mente concedentis ſufficienter conſtat vel ex ipſo tenore privilegij, vel fine, vel materia, vel circumſtantiis, vel declaratione ipſius concedentis; bene tamen, ſi de mente illius ſit dubium, uti ſæpe contingit. Et hinc examinandum, an in dubio privilegia ſint ſtrictæ vel latæ interpretationis. *Extenſio* autem privilegij differt ab interpretatione, quòd hæc locum habeat, ubi verba privilegij ſunt aliquo modo ambigua: illa verò, quando privilegium ultra verba ſatis clara ob ſimilitudinem casûs aut rationis extenditur ad perſonas vel caſus in privilegio non expreſſos.

12 Dico 1. Privilegia, quæ ſunt contra Jus, concedi nequeunt non-ſubditis. 2. bene tamen, quæ ſunt præter Jus, & merum favorem concernunt. Pars prior claret indè, quia privilegium contra Jus ſeu legem involvit diſpenſationem in lege: ſed diſpenſatio eſt actus jurisdictionis, & exerceri non poteſt niſi in ſubditum, vel lege obligatum: ergo. Poſterior à contrario infertur; quia conceſſio privilegii præter Jus non involvit actum jurisdictionis, ſed eſt actus meræ & liberæ facultatis, ſimilis donationi; nec obligat illum, cui conceditur: ſic Princeps poteſt extero, & non-ſubdito, dare facultatem in ſuo territorio venandi, militem conſcribendi, non ſolvendi vectigalia, merces, aliàs ſuis ſubditis prohibitas, importandi &c.

13 Dico 2. Regulares Ordinum *Mendicantium* omnes habent mutuam & generalem privilegiorum communicationem (*ad inſtar* directam & æquè principalem) inter ſe, imò etiam, licèt non mutuam, cum Religioſis Ordinum non-Mendicantium. Ita communis cum Aſcan. Tamburino *de Jure Abb. to. 1. d. 17. quæſito 2. n. 8.* id deſumens ex variorum Pontificum Bullis, Leonis X. ann. 1519. Clem. VII *Dum fructus uberes.* S. Pii V. Gregorii XIII. Sixti V. Clementis VIII. quæ incipit, *Ratio Paſtoralis*, edita 20. Dec. 1597. quam per extenſum recitat P. Reiffenſtuel *h. t. n. 57.* qui *n. ſeq.* ſe refert ad alias Bullas *lib. I. Decretal. tit. II. à n. 45.* adductas. Quòd autem Ordines non-Mendicantes mutuò non communicent regulariter in privilegiis Mendicantium, niſi nempe cum Congregatione Caſſinenſi, vel Lateranenſi, vel alia ex 12. Congregationibus, quibus id ſpecialiter à Summo Pontifice indultum eſt, communicationem ſpecialem habeant, probabilius eſt, ut docet Tambur. *d. 17 cit. quæſ. 1. per tot.* Dixi, *generalem*; ſiquidem per clauſulas generales à Sede Apoſtolica in privilegiis communicationis appoſitas non communicantur privilegia exorbitantia, quæ rarò concèduntur, vel ſpeciali nota ſunt digna. *arg. c. 81. de R. J. in 6.* Rota *deciſ. 214. p. 2. Recent.* neque illa, quæ locum certum determinatè reſpiciunt, vel ob aliquam ſpecialem rationem conceſſa ſunt, uti v. g. Indulgentiæ in honorem alicujus Sancti certæ Eccleſiæ per tot & tot annos conceſſæ, vel pro defunctis altari privilegiato annexæ, vel Indulgentiæ, quas vocant *Portiunculæ*: minùs illa privilegia, quæ non Ordini, ſed perſonæ vel perſonis ſingularibus data ſunt. Denique nec illa, de quibus ſpecialiter cavetur, ne aliis communicentur, uti ſunt quædam Societati JESU conceſſa à Gregor. XIII. *in Conſt. Satis ſuperque.* & *in Conſt. Pium & utile.* à Gregor. XIV. &c. circa receptionem Ordinum &c. Suar. *l. 8. de legib. c. 17. n. 8.* Quidquid in oppoſitum dicat Reiffenſtuel *n. 64. 65.* cum Dian. Roderiq. Donat. Herincx; nam ipſius ratio fundata in eo, quòd poſteriores Pontifices, uti Clem. VIII. & Gregor. XIV. ſine ulla limitatione, & non obſtantibus quibuscunque clauſulis, privilegiorum reſervativis &c. communicationem omnium privilegiorum Mendicantibus conceſſerint, non videtur efficax, partim quia diſpoſitiones generales non derogant ſpecialibus, quamvis

generi derogetur per speciem. *c. 34. de R. J. in 6.* partim quia probaret nimium, etiam Indulgentias Portiunculæ Ecclesiis extra Ordinem S. Francisci, vel privilegia extraordinaria & exorbitantia communicari aliis; quod nec Patri Reiffenstuel arridet. Denique non communicantur privilegia, per quorum communicationem læderetur observantia Regularis: sic privilegia habendi proprium, testandi &c. Ordinibus Militaribus concessa, non communicantur aliis Ordinibus, uti nec pœnæ vel prohibitiones aut præcepta, uni Ordini impositæ.

14 Dico 3. In privilegii interpretatione imprimis servanda est verborum proprietas. 2. non tamen ita rigidè, ut privilegium fiat inutile & sine effectu, vel evadat injustum, vel privilegiato onerosum. 3. si verba illius sunt aliqualiter obscura, videndum, quid supplicans intenderit; solet enim concedens se accomodare precibus. 4. item ex subjecta materia, vel privilegiis aliis similibus, & circumstantiis, interpretatio est facienda. 5. maximè autem in verbis dubiis attendendum genus privilegii, an favorabile sit vel odiosum; nam illud latè interpretandum, istud verò strictè. Pars 1. claret per se; quia ex verbis claris, & secundùm communem usum, ac stylum, qui observatur in concedentis Curia, acceptis colligenda est mens concedentis tanquam anima privilegii, à qua totam suam vim obtinet. Pars 2. ex *c. 30. h. t. & arg. l. 5. C. de LL.* quia Princeps non censetur nugari, & actionem inutilem ponere, aut tale quid concedere, ex quo nulla utilitas, vel aliqua injustitia sequitur. Et *quod ob gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. c. 61. de R. J. in 6.* Pars 3. sumitur ex *c. 6. V. cæterùm. de fid. Instrum. & l. 37. ff. de LL.* Pars 4. ex ratione; quòd ex his saltem verisimiliter constare possit de mente concedentis. Si tamen periculum non sit in mora, nec aliud obstet, oportet interrogare concedentem. *arg. c. 12. de Judic.* quia ejusdem est interpretari legem vel privilegium, cujus est concedere. Pars 5. ex *c. 15. de R. J. in 6.* ibi: *odia restringi, & favores convenit ampliari.* Atque hinc

15 Dico 4. Privilegium favorabile, seu quod merum favorem continet, & in nullius cedit præjudicium, est latè interpretandum, non obstante, quòd fortè cederet lata interpretatio in præjudicium concedentis. *c. 15. cit. c. 22. h. t. c. 16. de V. S.* ibi: *cùm beneficia Principum sint interpretanda largissimè.* Consonat *l. 3. ff. de Constit. Princ.* Suar. *lib. 4. de LL. c. 27. n. 3.* Modò non fiat extensio ultra omnem sensum verborum, etiam largissimè acceptum.

16 Dico 5. Privilegium odiosum strictè interpretandum est, quantum patitur proprietas verborum. *c. 15. cit.* Uti 1. si cedat in præjudicium Juris Communis, seu sit contra Jus commune. *c. 7. c. 9. h. t.* Excipe, nisi privilegium contineat favorem Religionis vel causæ piæ, ut si Regulares eximantur à jurisdictione Episcoporum: sic quoque, si filiis legitimis aliquid concedatur in causa pia, id etiam intelligendum est de legitimatis. *arg. l. 43. fin. ff. de Relig. & sumpt. funer.* aut nisi cedat in bonum commune Reipublicæ; aut nisi concessum sit motu proprio & ex certa scientia. *arg. c. 22. de Præb. in 6.* aut nisi insertum sit Corpori Juris communis; quia hujusmodi non est propriè contra Jus commune, sed illius pars. 2. si derogat statuto vel consuetudini particulari, modò statutum vel consuetudo non contrarietur Juri communi. *c. 8. de consuet.* Imò si concedens non exprimat, quòd velit derogare statuto vel consuetudini singulari, privilegium habetur pro subreptitio; cùm ea Princeps censeatur ignorâsse. per *c. 1. de Const. in 6.* 3. si præjudicet juri alicujus tertii privati. *arg. c. 12. de offic. Ord. & l. 4. C. de emancip. liber.* quia Princeps non præsumitur derogare velle juri jam quæsito tertii, nisi exprimat, & utilitas vel necessitas publica postulet. Nec constat, quòd motu proprio concesserit privilegium. Imò tale privilegium, in quo non exprimitur derogatio juris tertii, est nullum. per *c. 1. cit.*

Dico 6. Nec favorabile privilegium, & causa pia, patitur propriè dictam extensionem ultra proprietatem verborum ad personas & casus in eo non expressos. 2. licèt in aliis casibus & personis sit similis, eadem, vel major ratio, ut habet communis contra Sman. Saa *v. Gratia n. 18.* & Sanch. *l. 8. de Matrim. d. 1. n. 31. seqq.* Ratio utriusque membri est, quia tota vis privilegii pendet ex intentione & voluntate concedentis, quæ exprimitur per verba, non verò ex ratione; nam ratio similis, vel eadem, vel major posset quidem esse motivum, ut concedens idem privilegium etiam concedere valeat aliis personis, vel ad alios casus extendere, non tamen facit, ut defacto concesserit vel extenderit. Unde procedit tritum illud, *privilegium tantum valet, quantum sonat,* & Regula 74. *in 6. quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum.* Sic si Titio ob ejus merita in privilegio expressa concedatur pluralitas Beneficiorum, vel privilegium non solvendi decimas, non sequitur, hæc privilegia etiam alteri, qui paria, vel eadem, vel etiam majora habet merita, competere. Item si Gertrudi Moniali ob infirmitatem in privilegio expressam concedatur egressus è Monasterio, non exinde etiam aliis, æquè infirmis, concessus est ille egressus.

Dixi autem, *propriè dictam extensionem*, quando nimirum nec formaliter nec virtualiter comprehenduntur in privilegio alii casus aut personæ; si enim in eo comprehendantur *virtualiter* saltem, & insuper reperiatur par, eadem, vel major ratio in illis, privilegium favorabile patitur extensionem impropriè dictam, quæ potiùs est *interpretatio comprehensiva*, ut sentiunt plerique omnes, & aliqui sequentia afferunt exempla: si Clerico concedatur potestas faciendi Testamentum ad profana, censetur eidem quoque concessum donare mortis causâ, facere Codicillum, & Legata profana: si cui detur privilegium recitandi Matutinum

tinum à prandio, & is indigeat socio, v.g. propter imbecillitatem oculorum, etiam extenditur ad socium: si cui detur facultas audiendi Missam tempore Interdicti, idem licebit & famulo: si cui data est dispensatio ad Ordines Sacros, pariter data censetur ad Beneficium simplex: si marito concessa est nobilitas, vel patri, extenditur quoque ad uxorem, & filios. *l. 8. ff. de Senator. l. 1. C. de Dignit. lib. XII.* si filiis, vel fratribus, concessum est privilegium, rectè porrigitur ad filias quoque, & sorores. *l. 201. ff. de V. S.* nisi aliunde appareat restrictio: quamvis concessum *filiis* non sit extendendum ad nepotes, saltem regulariter: secus si *liberis* concessum sit. *l. 6. ff. de testam. tutel.* si Religiosis concedatur privilegium, etiam ad Moniales, si peregrinis, etiam ad fœminas pertinet. *arg. l. 93. ff. de leg. 3.* nisi nempe de contraria mente concedentis aliunde constet. Ratio horum omnium est, quia dicti casus & personæ virtualiter comprehenduntur in hujusmodi privilegiis, proinde etiam intelligenda sunt de illis, si sint favorabilia: nam virtualiter comprehendi censetur, quod vel continetur in altero tanquam pars, vel illi est accessorium ex communi sensu, consuetudine, aut dispositione Juris, vel arctè connexum per se aut ex communi persuasione, vel communiter censetur in eo comprehensum.

18 Oppones 1. Lex favorabilis extenditur ad casum non expressum, in quo reperitur eadem ratio: ergo & privilegium favorabile. 2. privilegium dispensandi in votis extenditur etiam ad vota jurata, item ad commutationem votorum: ergo privilegium favorabile patitur extensionem propriè dictam. R. ad 1. *N. Ant.* si ille casus nec virtualiter comprehendatur in lege; quia voluntas Legislatoris, non ratio, facit legem. Ad 2. *N. Conf.* nam vota jurata sunt verè vota, & comprehenduntur vel formaliter vel saltem virtualiter sub verbo *vota*, uti & *Commutatio* votorum tanquam minus comprehenditur in verbo *Dispensatio*, sicut sub factione Testamenti factio Codicilli vel Legati; cui enim majus conceditur, minus quoque, si sit in eodem genere, censetur concessum. *c. 27. de Decim.* ergo non propriè dicta extensio, sed interpretatio comprehensiva hic datur.

§. 3.

De Usu, Abusu, & Amissione Privilegiorum.

19 Sciendum 1. Licèt certum sit, neminem obligari ad *utendum* privilegiô, quod præcisè in ejus (non integri statûs vel communitatis, cujus ipse est membrum) favorem concessum est. per *c. 12. de for. comp. c. 6. h. t. & c. 61. de R. J. in 6.* controversum tamen esse, an uti liceat privilegiô extra territorium concedentis, item contra pariter privilegiatum.

20 S. 2. *Abusus privilegiorum* vocari *excessus privilegiatorum*, de quibus meminit Rubrica, & tribus potissimùm modis contingere. 1. si privilegiô utantur, vel extendant illud, contra intentionem privilegiantis, v. g. utendo contra personas, loco, vel tempore, pro quo vel contra quas non est concessum. 2. si ex privilegio, v. g. exemptionis, sumant occasionem delinquendi & liberiùs peccandi. 3. si finem privilegii negligant, directè contra illum agendo, v. g. si Canonicus aliúsve beneficiatus, cui ex privilegio concessum est abesse à loco beneficii, ut in Universitate aliqua prosequatur litterarum studia, tempus terat otiô vel negotiis inutilibus, nihilque minùs curet, quàm Studia. *In c. 3. 5. 10. 11. X. c. 8. in 6. & Clem. 1. h. t.* & alibi varii referuntur abusus & excessus privilegiatorum, maximè Regularium, præsertim Templariorum & Hospitalarium, contra Episcopos, v. g. si Regulares præsumant sine licentia Episcopi recipere Ecclesias, vel decimas de manu laicorum: in suis autem Ecclesiis non pleniſſimo jure ad se pertinentibus instituere vel destituere Presbyteros: in suis Oratoriis habere campanas, & publicè illas pulsare: si excommunicatos vitandos vel nominatim interdictos ab Ordinario non vitent: eos sepeliant in suis cœmeteriis: scienter celebrent vel celebrari faciant Divina in locis interdictis, aut in Ecclesia polluta: excommunicatos aut publicè interdictos ad Divina Officia vel Sacramenta admittant: Laico vel Clerico non subdito sine licentia Parochi ministrent Extremam Unctionem, vel Eucharistiam per modum Viatici, extra casum necessitatis extremæ, vel Matrimonio assistant; licèt suis familiaribus seu domesticis laicis possint ministrare Extremâ Unctionem & Viaticum &c. Videatur de hoc ultimo *Clem. cit.* ubi insuper Religiosis specialiter prohibetur, ne ab excommunicatione & casibus Ordinario reservatis, vel à sententiis per statuta Provincialia aut Synodalia promulgatis absolvant, ne Laicos ab Ecclesiarum suarum accessu arceant, ne Prælatis Ecclesiasticis nominatim detrahant, ne Indulgentias indiscretas promulgent, ne, si intersint Testamentis conficiendis, retrahant Testatores à Legatis Matrici Ecclesiæ faciendis, aut à debitis restitutionibus, ne legata, vel debita, vel ablata incerta sibi aut aliis sui Ordinis fratribus in aliorum præjudicium erogari procurent &c.

Sc. 3. Privilegia amitti posse velipso facto & Jure ac sine sententia; vel per sententiam: hoc posteriori modo maximè amittuntur propter privilegiorum abusum, uti dicemus: priori autem ex multiplici capite. 1. revocatione expresâ vel tacitâ privilegiantis. 2. libera renuntiatione, expresâ vel tacitâ privilegiati. 3. cessante causa finali ipsius privilegii. 4. pereunte vel destructo privilegii subjecto. 5. lapsu temporis. 6. non-usu, & præscriptione indè inducta ab aliis. 7. vel usu contrario. Quos modos infrà magis explicare oportet, præsertim quando & quomodo per *non-usum*, vel *usum contrarium* amittatur. Pro qua re valde intricata observo, non-usum posse esse vel merè *negativum*, si nempe aliquis non utatur privilegiô, quia non fuit occasio utendi, & *omissivum*, si fuit occasio utendi, & tamen aliquis 21

quis privilegiô usus non est, circa quod ulteriùs noto, quædam privilegia concedi sub *conditione usûs*, ita ut concedens, vel lex aut statutum, durare non velit privilegium, nisi privilegiatus eo utatur data occasione & tempore, ferè sicut leges volunt extingui servitutem rusticam, siquis eâ non utatur 10. annis. *l. penult. C. de Servitut.* diligenter quoque discrimen est faciendum inter privilegium, quod cedit in præjudicium tertii, & inter aliud, quod nemini præjudicat. Cœterùm *non-usus* spectat privilegium affirmativum, *usus contrarius* verò privilegium negativum.

22 Dico 1. Usus privilegii personalis illimitatè concessi, regulariter licitus & validus est etiam extra territorium concedentis. Communis cum Suar. *l. 8. de LL. num. 10. seqq.* Ratio, quia privilegium personæ concessum eam comitatur, quocunque ierit. Nec obstat, quòd privilegii concessio sit actus jurisdictionis, quæ in alieno territorio exerceri nequit; nam non est actus jurisdictionis propriè dictæ semper, sed subinde tantùm superioritatis, &, quando est actus jurisdictionis, uti quando datur privilegium contra Jus, non est jurisdictionis contentiosæ, sed tantùm voluntariæ, quæ sine strepitu, figura, & solennitate Judicii exercetur. Unde si Episcopus Diœcesis Augustanæ, cui aliàs subes, tecum dispensavit in voto, in irregularitate, in lectione librorum hæreticorum, in comedendis carnibus tempore Quadragesimæ, in recitando Officio B. V. loco Breviarii &c. hoc beneficio uti potes etiam extra Diœcesim Augustanam, nisi per accidens obstet scandalum, vel aliud. Siquidem dixi 1. *illimitate concessi*; si enim privilegium esset restrictum ad certum locum, vel concessum ex causa, quæ in alio loco vel diœcesi non reperitur, utique usus privilegii pro tali loco cessaret. 2. *regulariter*: nam si usus privilegii vel ad valorem vel ad honestatem & licentiam indigeret speciali permissione & consensu Superioris alieni territorii, nempe Parochi, Episcopi, Principis, uti requirit actus audiendi Confessiones, concionandi &c. in alieno territorio: item si actus, quem exercendi privilegium habes, in alieno territorio esset prohibitus aliqua lege speciali, & tali, qua tenentur etiam peregrini, uti sunt leges certam formam præscribentes contractibus, prohibentes exportationem frumenti &c. privilegium, quod tibi à tuo Superiore circa talia concessum est, tibi in alieno territorio non prodesset.

23 Dico 2. Licitus quoque est usus privilegii contra pariter privilegiatum, non modò si privilegia sunt in re simili sine oppositione mutua. 2. sed etiam, si quoad usum sibi aliquo modo opponuntur. Pars prior sumitur ex *l. fin. ff. ex quib. caus.* Ratio, quia in tali casu vel unum privilegium non præjudicat alteri, & usus illius non est contra alterum privilegiatum, sed potiùs cum altero privilegiato exercetur, ut si Titius & Cajus habeant privilegium non solvendi decimas; vel alteri privilegiato non competit jus impediendi alterum ab usu sui privilegii, ut siquis Reipublicæ causâ absens petat restitutionem contra alterum pariter absentem Reipublicæ causâ, & sic contra privilegiatum. *gloss. in l. fin. cit.* Pars posterior defenditur communiter cum Suar. *c. 29. n. 6.* Quippe vel talia privilegia sibi tantùm quoad speciem contrariantur, eò quòd unum habeat imbibitam conditionem, nisi altera pars exempta sit, aut nisi unum sit speciale, & alterum generale? & tunc res non habet difficultatem, v. g. si aliquod Monasterium habeat privilegium percipiendi omnes decimas in aliquo districtu, Titius verò ejusdem districtûs vir habeat privilegium non solvendi decimas, iste contra Monasterium rectè utitur suô privilegiô, eò quòd illud habeat imbibitam conditionem, nisi aliquis sit exemptus à solvendis decimis: item si Cajus Judex habeat privilegium incarcerandi quemcunque debitorem, tu verò habeas privilegium, vi cujus propter debitum Civile incarcerari nequeas, prævalet tuum privilegium contra alterum; quia tuum est speciale, alterum generale; generi autem derogatur per speciem. *c. 34. de R.J. n. 6.* Vel verè sibi contrariantur, quia utrumque est absolutum, utrumque generale, vel utrumque speciale, adeóque ambo æqualia, uti si unus Ordo Religiosus habeat privilegium ædificandi intra certas cannas prope aliud Monasterium, econtra alius Ordo gaudeat privilegiô prohibendi ædificationem prope sua Monasteria intra tales cannas? & tunc attenditur ac præfertur privilegium à potestate superiore concessum, vel, si à simili potestate procedunt, quod est antiquius. Suar. Haun. alii. Oppones. Est commune brocardicum ex tit. *C. qui potior. in pign.* desumptum: *privilegium non utitur privilegiô suô contra pariter privilegiatum.* R. Id verum est de illo privilegiato, qui habet privilegium generale, vel conditionatum, vel à minori potestate, vel recentius, alter verò speciale, absolutum, à superiori potestate, vel antiquius; adeóque attenditur, cujusnam privilegium sit fortius, cui quo privilegia quoad usum sibi opponuntur; tunc enim, qui habet fortius, rectè utitur contra alterum, non verò qui minùs forte: si autem sibi non opponantur privilegia, utraque rectè utitur, quamvis neuter propriè contra alterum, sed potiùs cum altero utatur.

Dico 3. Privilegium amittitur vel ex toto, vel ex parte, propter abusum illius, at regulariter non ipso facto, sed per sententiam; qui *can. 7. d. 74. c. 24. & c. h. t. & c. 47. de sent. Excom.* solùm habetur, quòd abutens mereatur amittere privilegium. Dixi tamen, *regulariter*; quandoque enim Jus statuit privationem ipso facto, uti pro una vice amitti voluit privilegium eligendi ipso facto ab illo, qui sciente eligit indignum. Sicut autem amittitur privilegium absque sententia, quando tenor privilegii denotat privationem ipso facto, ita quoque, quando abusus consistit in repugnantia cum ipso fine privilegii, ut si Clericus filiorista transit ad statum Matrimonialem; tunc enim ipso facto amittit privilegium Cle-

ricale

ricale Canonis & Fori, nisi observet tres conditiones à Tridentino *sess. 23. c. 6. de Ref.* præscriptas. Notat tamen Suar. *l. 8. de LL. c. 36. n. 8.* & alii monent, in casibus, in quibus privilegii amissio à Jure inducta est *in pœnam delicti* vel *abusûs*, & ipso facto quidem incurritur, ordinariè tamen requiri adhuc sententiam declaratoriam criminis, & ante hujus prolationem non dari obligationem abstinendi ab usu privilegii. Porro sicut propter abusum proprii privilegii rectè aliquis illò privatur, ita & alii, qui privilegiis alienis derogant, vel in usu impediunt, merentur privari suis. *c. 4. h. t.*

25 Dico 4. Privilegium cessat per legitimam revocationem, expressam vel tacitam, concedentis (vel Successoris, vel Superioris) ac privilegiato intimatam. Communis ex *c. 1. de Constit. in 6. & c. 1. de R. J.* X. cùm enim omnem vim suam habeat à voluntate concedentis (& in continuatione à voluntate Successoris, aut Superioris) ea cessante cessabit & ipsum. Dixi tamen 1. per *legitimam revocationem*, id est, per validam saltem, licèt fortè revocatio propter defectum justæ causæ foret illicita. Valida autem erit, si privilegium fuit merè gratuitum (vel etiam remuneratorium, in mera gratitudine, non in justitia fundatum, vel excedens merita) subdito concessum, licèt fiat absque omni causa, & sic illicitè: si verò fuit onerosum, interveniente pacto vel contractu concessum; vel indè aliquod dominium aut jus acquisitum, v. g. dominium castri, aut jus exigendi vectigal; vel si gratuitum fuit non-subdito concessum, tunc valida non est revocatio absque justa causa, eáque publica. Suar. *c. 37.* & alii passim; quia privilegia, quæ ex pacto concessa sunt, uti onerosa, vel transeunt in pacta, uti gratuita non subdito concessa, & acceptata, tribuunt privilegiato jus rigorosum: jure autem jam quæsito nec Princeps vel Superior potest privare absque causa publica; &, si privet ex tali causa, debet facere compensationem, si potest, nisi privilegium fuisset subdito concessum per pactum vel contractum merè lucrativum, v. g. per donationem castri &c. Suar. Palao &c. Dixi 2. *expressam*, nimirum verbis revocationem privilegij continentibus vel specialiter, vel generaliter, nam per se sufficit etiam clausula generalis, v. g. hæc, *non obstantibus* (vel *abrogatis*) *quibuscunque privilegijs in contrarium*; nisi nempe privilegium sit onerosum, vel remuneratorium, vel clausum in Corpore Juris, vel concessum non-subdito, vel munitum speciali clausula, vi cujus revocari nequeat, nisi de eo expressa & specialis mentio fiat &c. tunc enim per clausulam generalem non derogatur tali privilegio, sed requiritur specifica, vel talis, qualem ad derogandum requirit clausula prioris privilegio apposita, v. g. hujusmodi, *non obstantibus privilegiis sub quacunque verborum forma concessis*: vel: *tali clausula derogatoria munitis, ut eis derogari non possit, nisi eorum expressa, specifica, aut de verbo ad verbum mentio fiat.* Dixi 3. *vel tacitam*, videlicet per actum Principis directè contrarium privilegio, modò ex circumstantiis præsumi possit, eum sciviſſe vel recordatum fuisse privilegij antea concessi. per *c. 28. de Rescript. c. 1. de Constit. in 6.* Quare si Princeps ferat legem universalem privilegio, quod continetur in Jure communi, contrariam, censetur revocare privilegium, licèt ei expressè non deroget: non verò, si privilegium novum concedat, vel legem ponat, contrariam anteriori privilegio non clauso in Corpore Juris communis, nisi mentionem specialem faciat prioris privilegij. eique derogare intendat: ratio, quia privilegia in Jure communi contenta præsumitur scire Princeps, non verò alia. Dixi 4. *ac privilegiato intimatam*, nimirum vel promulgatione generali, si per legem communem revocetur privilegium, vel intimatione speciali ad privilegiatum directa (nec enim sufficit, si casualiter ei innotescat revocatio. *arg. c. 1. de R. J.* Suar. Laym. Palao) si revocatio sit specialis per decretum aut statutum particulare: quia, si debita intimatio non fiat, pergit privilegiatus in usu sui privilegij; & sic multos ponendi actus nullos foret periculum cum confusione Reipublicæ, si intimatio revocationis non esset necessaria.

Quæres, quænam privilegia Regularium, 26
ipsis antea concessa, sint revocata à Tridentino? R. Illa, quæ decretis ejusdem Concilij Tridentini adversantur, saltem si his illa decreta expressè derogant. 2. probabiliùs tamè non illa, quibus per nullam clausulam derogatoriam vel revocatoriam derogant decreta Tridentini. Pars 1. est certa ex Trid. *Sess. 25. c. 20. fin. & c. 22. de Regular.* atque ex damnata ab Alexandro VII. hac propositione: *Regulares possunt uti privilegijs suis, quæ sunt expresse revocata à Concilio Tridentino.* Pars 2. quam tenet Suar. Rodr. & alij contra Peyrinis & Donatum, probatur 1. per clausulam generalem Legis derogatoriam non derogatur specialibus statutis, aut consuetudinibus, si hæc in specie non exprimantur: ergo nec privilegijs particularibus in Corpore Juris Communis non contentis; cùm genus non deroget speciei; & Legislator ignorare possit statuta, consuetudines, & privilegia particularia. 2. si omnia privilegia Tridentini decretis contraria revocarentur in *Sess. 25. c. 20. cit.* etiam illa, quibus specialiter non derogant decreta Tridentini, tunc frustra aliquibus Tridentini decretis addita fuisset clausula expressa derogatoria privilegiorum contrariorum, in aliquibus verò omissa: sed hoc dici nequit: ergo. 3. consuetudo & usus privilegiorum non expressè revocatorum à Tridentino vigens apud Regulares satis declarat, ea non esse revocata.

Dico 5. Privilegium amittitur renuntiatione libera privilegiati, expressâ vel tacitâ, modò renuntiatio non cedat in præjudicium alterius, & accedat consensus concedentis, ac in quibusdam acceptatio illius, cujus interest. Communis ex *c. 6. h. t. & c. 12. de for. comp. l. 29. C. de Pactis.* quia quilibet renuntiare potest suo juri & favori pro se principaliter introducto. Dixi 1. *renuntiatione libera*; unde me- 27

tu gravi injustè extorta non tenet; cùm eam non accepret Princeps, & sic salva maneat voluntas privilegiantis. 2. *expresâ*, quæ fit verbis expressis. 3. *vel tacitâ*, quæ fit privilegij non usu, vel usu contrario, de quibus infrà. 4. *modò non cedat in præjudicium tertij*, vel privati, vel communitatis: sic Clericus non potest renuntiare privilegio Fori & Canonis, cùm id cederet in præjudicium statûs Ecclesiastici. 5. *& accedat consensus concedentis*; id enim requirere videtur *c. 7. de Procurat in 6.* & ratio; quia sola renuntiatione privilegiati non mutatur voluntas concedentis: quamdiu ergo hujus consensus in renuntiationem non accesserit, pro libitu ad usum privilegij renuntians redire potest. 6. *& in quibusdam acceptatio illius, cujus interest*, seu illorum, in quorum utilitatem cedit renuntiatio alicujus privilegij: sic privilegium exigendi decimas, non solvendi tributa &c. licèt ei renuntiatum sit, tamen tamdiu tenet, & renuntiatio à renuntiante revocabilis manet, quamdiu hanc non acceptârunt, quibus prodest renuntiatio, sicut donatio est revocabilis, usquedum à donatario fuerit acceptata.

28 Dico 6. Privilegium, quod derogat Juri vel Communi, vel alicujus tertii, & tractum successivum habet, cessante causa finali desinit, licèt nondum consecutum sit integrum effectum, modò causa finalis cesset contrariè. 2. non verò, si aliquid ex dictis conditionibus desit. Pars prior sic proposita, & ritè intellecta, fortè negatur â nemine, & fundatur satis clarè in *c. 12. de Cleric. non resid. & c. 60. de Appellat.* ibi: *cessante causa cessat effectus*, & concedentis intentio. Pars posterior patebit ex ulteriori explicatione prioris; nam dixi 1. *quod derogat Juri &c.* si enim privilegium est merè favorabile, & absolutè concessum, sicut sine causa validè fuisset concessum, ita ad suam durationem non exigit durationem causæ finalis, & *beneficium Principis*, quod meram continet gratiam, *decet esse mansurum. c. 16. de R. J. in 6.* Imò licèt in concessione privilegij, etiam contra Jus commune tendentis, opus fuisset causâ, ea tamen non requiritur ad conservationem privilegij. *arg. c. 73. eod.* Sic, qui ex dispensatione obtinuit plura beneficia ex causa, quòd tempore dispensationis vel privilegij alterum non fuerit sufficiens ad congruam sustentationem, licitè istud retinet cum priori, etsi postea ejus reditus ita sint aucti, ut ad congruam sufficiant. 2. *& tractum successivum habet*, h. e. cujus usus non consummatur unico actu; si enim unico actu consummaretur, tunc cessante causa, ob quam concessum est, non amitteret suum effectum. *arg. c. 73. cit.* ibi: *factum legitimè retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari.* Sic ille, quocum propter tentationes carnis dispensatum est in voto castitatis ad contrahendum Matrimonium, licitè utitur Matrimoniô, etsi postea tentationes cessent. 3. *licet nondum consecutum sit integrum effectum*: sic dispensatus ad comedendas carnes in Quadragesima ob infirmitatem corporis, hac cessante debet abstinere à carnibus, licèt Quadragesima nondum integrè sit finita. Aliud foret, si privilegium, vel ejus causa non haberet tractum successivum, sed unico actu absolveretur, juxta priùs dicta: sic impetrata dispensatio in Matrimonio ob paupertatem non amittitur hac postmodum cessante, sicut donatio facta pauperi manet firma, licèt is postea fiat dives. 4. *cessante causa finali*, quæ scilicet principaliter movit ad concessionem privilegij; sic privilegium non residendi in beneficio, concessum Clerico ob prosecutionem studiorum, his absolutis cessat. Aliud foret, si non finalis, sed tantùm *impulsiva* desinat causa, cui nempe concedens non alligavit privilegium; sicut dans eleemosynam illi, quem falsò credit pauperem, valorem eleemosynæ non alligat paupertati. 5. *modò cesset contrariè*, h. e. itaut usus privilegij evadat illicitus, aut cedere incipiat in præjudicium alterius vel damnum; ut si ex absentia Clerici, qui privilegium obtinet non residendi, Ecclesia pateretur damnum in ministerijs sacris ob defectum Ministrorum. Si autem causa finalis cesset *negativè* tantùm, h. e. præcisè non amplius existat, manet privilegium, ut patet in allato exemplo de obtinente plura beneficia, item in casu, quo Monasterium obtinuit privilegium decimandi ob paupertatem, quæ postea cessat. Oppones: jus commune cessat semper, quoties cessat ejus causa finalis: ergo & privilegium semper cessante causa finali. R. *N. Cons. & parit.* quia Lex semper fit inutilis cessante illius causa, Privilegium verò sæpe manet utile privilegato, licèt causa cesset finalis.

Dico 7. Privilegium extinguitur per interitum subjecti, cui inhæret. *arg. c. accessorium 42. de R. J. in 6.* Sic privilegium Personale perit per mortem privilegiati. *c. 7. eod. l. 6. ff. eod.* Reale autem, si res penitus destruatur, & esse desinat, v. g. Religio, Monasterium, Collegium, Dignitas, Officium &c. cui concessum est. *c. 25. de V. S. in fin.* Si verò non penitus esse desinat, sed transferatur tantùm à loco ad locum, v. g. Ecclesia, Academia, Contraternitas &c. privilegium transfertur cum illa tanquam persona ficta. *can. 48. seq. caus. 16. q. 1. c. 2. de Relig. dom.* vel si destruatur quidem, sed cum spe reædificationis, non extinguitur privilegium, sed tantùm suspenditur interim. *arg. l. 36. ff. de Relig. & sumpt. fun.* Pariter si privilegium concessum sit ipsi loco, vel solo, & non directè respiciat ædificium ibi positum, v. g. Ecclesiam, Collegium, Monasterium &c. his ædificijs destructis, vel incendiô consumptis non perit, sed inhæret fundo, quamdiu spes est reædificationis, ac interim suspenditur. *per cann. & c. citt.*

Quæres, an privilegium exspiret morte concedentis? R. regulariter non, si jam perfectè sit concessum, licèt res adhuc sit integra, & privilegiatus eo nondum cœperit uti. Sumitur ex *c. 9. de Offic. deleg. in 6. c. 36. de Prab. in 6.* quia est quædam donatio, quæ semel facta & acceptata, non exspirat per mortem donantis. Aliud est in Rescripto Justitiæ, quod secus

juxta c. 20. & 30. *de Off. deleg.* vires amittit, si delegans moritur re adhuc integra. Itaque, si alicui à Papa indefinitè concessa est potestas absolvendi à reservatis, dispensandi in impedimentis Matrimonii &c. cum eodem Papa mortuo non extinguitur, utpote gratia jam facta: aliud foret, si gratia non *facta* sed *facienda* esset, seu non concessa ipsi privilegiato vel delegato propter se, sed in favorem alterius determinatæ personæ, v. g. ut Episcopus Eustettensis conferat Titio beneficium proximè vacaturum; tunc enim, si Papa moreretur, antequam Titio fuisset provisum, seu re adhuc integra, Titij favor desineret, nisi Papa jussisset impositâ Episcopo obligatione providendi Titio; quo casu Titio jam esset jus quæsitum, gratia jam facta, & Episcopus foret merus executor. *c. 9. & c. 36. citt.* Sic quoque non expirat probabiliùs potestas tibi concessa ad dispensandum pro foro interno in impedimento Matrimonij, vel ad absolvendum à peccatis certas personas, cum vita concedentis, neque potestas tibi concessa ad eligendum Confessarium, qui te absolvat à peccatis reservatis, vel tecum dispenset; quia gratia jam plenè est facta, & à te acquisita ante concedentis obitum.

31 Dico 8. Privilegium finitur quoque lapsu temporis præfixi; uti & conditione, sub qua concessum est, non impletâ, nec deinceps implendâ. Sumitur ex *c. 4. de Off. deleg.* Ratio est clara; quia ultra voluntatem concedentis nulla vis est privilegio. Sic etiam expirat privilegium cum vita concedentis, si is ad hoc tempus restrinxit privilegium, non minùs, ac post decennium, si ad hoc restrinxisset. Idem est de conditione non impleta, quia conditio adjecta virtualiter continet tempus, licèt indeterminatum.

32 Dico 9. Licèt nullum privilegium amittatur per non-usum merè negativum. 2. amittitur tamen non-usu omissivo, si privilegium sub conditione usûs concessum est, seu expressè restrictum ad usum. 3. uti & privilegium affirmativum, quod in aliorum gravamen redundat, si illo utendi adfuit occasio. 4. & quidem tollitur tam per viam præscriptionis, quàm per viam tacitæ renuntiationis. Pars 1. quam tenet Suar. *l. 8. de LL. cap. 34. num. 4.* Haun. & alii, non habet difficultatem; quia non-usus merè negativus est, quando non fuit occasio utendi privilegiò: sed ex tali non-usu nec oritur tacita renuntiatio privilegii, nec præscriptio, consequenter ex nullo capite privilegii amissio. sic in *l. 34 §. 1. l. 35. ff. de Servit. Prædior. Rustic.* jus aquæ ducendæ non amitti dicitur per non-usum, si ex eo, quòd fons exaruerit, facultas ducendi defecerit. Pars 2. patet ex eo, quòd privilegium sub conditione concessum evacuetur conditione non impleta, lapsu temporis à Jure definiti. *arg. l. penult. C. de Servit.* sic privilegium nundinarum, ad usum tacitè restrictum per decennii designationem, eo elapso dicitur fuisse perditum *l. un. ff. de Nund.* Si verò privilegium non esset concessum sub conditione usûs, nec per non-usum omissivum, seu licèt suppetierit facultas utendi, amitteretur, ita ut alius præscriberet; cùm alius nullum actum possessorium haberet; quia talis non usus tam parùm arguit animum renuntiandi, quàm parùm non-usus rei propriæ, v. g. vestis, arguit abdicationem dominii, aut voluntatem habendi pro derelicta. *l. 2. §. 1. ff. pro derelicto.* Pars 3. & 4. quam iterum amplectitur Suar. *n. 16. 17.* & Haun. cum aliis, sumitur tum ex *l. 4. C. de Præscript. 30. vel 40. annor.* ubi omnia jura dicuntur esse præscriptione extinguibilia, quidni & privilegia quoque extinguantur per viam præscriptionis privativæ, si omnia aliàs ad Præscriptionem requisita adsint (uti adesse possunt) maximè tempus? tum ex *l. 6. ff. de servit. Præd. Urban.* ubi jura, sicut servitus rustica, non usu deperdi dicuntur: tum ex eo, quia ex diuturno non-usu privilegii onerosi aliis, cùm tamen utendi esset facultas, arguitur tacita renuntiatio. Aliud est de privilegio merè favorabili, v. g. dicendi Officium B. V. loco Breviarii; quia solus non-usus nec est signum renuntiationis, nec aliis, cùm nemini præjudicet, & omissio meræ facultatis sit, tribuat potestatem præscriptionis, eò quòd nullum actum possessorium unquam contra privilegium ponere possint. Oppones 1. In arbitrio privilegiati est uti suô privilegiô quocunque, vel non uti: ergo ex non-usu, licèt illud cedat in gravamen alterius, non potest argui animus renuntiâdi, cùm quis ex alio fine potuerit non uti; neque alter ponitur in possessione ad præscribendum privilegio necessaria. 2. renuntiatio privilegii expressa non tenet, nisi accedat acceptatio ejus, cujus interest, & consensus concedentis, uti *n. 27.* dictum: ergo nec tacita, quæ arguitur ex non-usu, aliter tenet. R. ad 1. si est sermo de privilegio cedente in præjudicium tertii, uti v. g. est privilegium accipiendi decimas, visitandi Monasteria exempta. *N. Ant.* nam si potest, debet uti; quia aliàs Jura illud volunt extingui per præscriptionem, vel præsumunt tacitam renuntiationem, ut patet ex *l. 4. l. 6. l. penult. citt.* Ad 2. Jura ipsa in non-usû privilegij onerosi supplent acceptationem aliorum, & præsumunt consensum concedentis.

33 Dico 10. Quamvis per usum contrarium, seu per actum repugnantem, non amittatur privilegium affirmativum, quia huic adversatur non-usus, utpote privilegio affirmativo contrarius, neque privilegium negativum merè favorabile, & in nullius gravamen cedens, v. g. non recitandi Breviarium, non jejunandi &c. quia nec Jus nec ratio probat amissionem, sicut nec privilegij affirmativi non onerosi amissionem per non-usum juxta dicta; & ideo vocantur privilegia *meræ facultatis.* Nihilominus tamen amittitur privilegium, v. g. non solvendi decimas, exemptionis à jurisdictione alterius &c. per usum contrarium, & quidem vel per viam præscriptionis; si concurrant omnia ad Præscriptionem necessaria, maximè tempus, quod est diversum pro diversitate privilegiatorum, contra quos currit

rit Præscriptio, vel per viam tacitæ renuntiationis, quæ præsumitur ex actu contrario & lapsu temporis, quod, si longum sit, nempe 10. annorum, ad hanc præsumptionem fundandam sufficit. Suar. *n. 7. seq. n. 21.* Pirhing. *h. t. n. 178.* Palao, & P. Schmier *de Jure Legali c. 9. n. 93. seqq.* De amissione per *viam præscriptionis* colligitur ex dictis *n. præced.* cùm omne jus per Præscriptionem extingui possit legitimo tempore, quod à Jure diversum est statutum, & per actum privilegio contrarium alter, cui privilegium est onerosum, ponatur in possessione. De amissione per *viam renuntiationis tacitæ* colligitur ex *c. 6. h. t.* Interim tamen hæc præsumptio tacitæ renuntiationis admittit probationem in contrarium, v. g. quòd usus contrarius (sicut in priori assertione non-usus) processerit ex ignorantia vel errore.

34 Quæres, an unicus actus privilegio contrarius sufficiat ad ejus amissionem? R. cum distinctione. Vel privilegium habet *tractum successivum*, seu datum est ad plures omissiones onerosas? & per viam tacitæ renuntiationis non extinguitur uno actu, v. g. solutione unica decimarú, quoad usum illius impositerum, utì nec per viam Præscriptionis, sed durat, & quasi reviviscit, si privilegiatus utatur postea, antequam tempus longum, ex quo præsumitur renuntiatio, vel illud tempus, quod requiritur ad Præscriptionem, fluxerit, vel si contrafactum reclamet & protestetur ante lapsum dicti temporis; quia sic tollit præsumptionem renuntiationis, & interrumpit possessionem ab altero contra suum privilegium cœptam. Vel non habet tractum successivum, seu effectum non iterabilem, sed *unico actu perficitur*, seu consistit in unico actu? & tunc per viam renuntiationis unico actu contrario tollitur, utì desumitur ex *c. 8. de Constit. c. 6. c. 15. h. t.* & DD. passim docent. Ratio est clara, quia privilegium unicum actum respiciens quoad substantiam & totaliter destruitur per actum contrarium. v. g. obtinuisti privilegium non solvendi decimas pro uno tantùm anno: si solvis pro hoc anno, totum privilegium est amissum.

TITULUS XXXIV.

De Purgatione Canonica.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Purgatio Canonica, & quomodo fiat.
2. Quem ob finem fiat: & quis ejus effectus.
3. Quibus personis, & à quo indicenda.
4. Quid ad eam indicendam requiratur.

1 SCiendum 1. cùm nonnunquam contingat, ut de crimine vel excessu, de quibus hucusque, aliquis accusetur innocens, vel suspectus fiat, ideo à SS. Canonibus introductam esse *Purgationem*, quæ propterea dicitur *Canonica*, quæ nihil est aliud, quàm *ostensio innocentiæ super objecto crimine* (vel etiam defectu, vel macula, propter quem vel quam aliquis removetur ab Ordine, Officio, vel Beneficio Ecclesiastico) *secundùm præscriptum Canonum.* Modus autem à SS. Canonibus hodie præscriptus consistit in his. 1. Accusatus de crimine, vel publicè diffamatus, vel vehementer suspectus, debet tactis Evangeliis (etiamsi Episcopus sit, qui aliàs præsente tantùm, non tacto à se Evangelio, jurat) jurare, nec per se, nec per alium suo nomine commissum esse crimen, quod ipsi objicitur. 2. Adhibendi sunt *Compurgatores*, seu alii viri vitæ & famæ honestæ, quibus persona Rei nota sit, & quidem, si commodè haberi possint, ejusdem ordinis cum eo, qui se purgat, nimirum Episcopi, Episcopus, Clerici, si Clericus se purget; secus, si tales commodè haberi nequeant; tunc enim & Laici, imò & fœminæ admittuntur: his Compurgatoribus pariter defertur juramentum, non *veritatis*, utì Reo, sed *credulitatis*, quòd credant, Reum jurâsse verum. Numerus autem Cõpurgatorũ arbitrarius est, & vel 12. vel 9. vel 7. vel 5. vel 3. adhibendi attenta qualitate personæ se purgantis, criminis, infamiæ, simultatis, qui se purgat, peregrinus sit, vel aliàs ignotus aut pauper, ipsi soli juranti, modò simul caveret, se compurgatores habere non posse, nec crederetur. Text. & DD. *in c. 5. 7. 8. 9. 10. h. t.* Dixi, *hodie*; nam olim etiam aliis modis poterat fieri Canonica purgatio, nempe per juramentum factum ad sepulchra vel Reliquias Sanctorum: per sortes aut tesseras ad S. Crucem jaci, vel de Altari S. Crucis extrahi; solitas: & per susceptionem Eucharistiæ, objecta quandoque imprecatione repentini interitûs, si objectum crimen à percipiente Eucharistiam esset commissum: sic S. Gregor. VII. Simoniæ insimulatus publicè se purgavit contra Henricum III. (alii scribunt IV.) Imperatorem, exigens id ipsum ab Henrico, si se innocentem sciret; at non impetravit. Vid. Del-Rio, & Gonzal. ad *c. 16. h. t. n. 5.* Sed postquam Fidelium in Deum & Sanctos syncera fiducia deficere, vel in superstitionem degenerare cœpit, his purgandi modis successit ille, qui fit per juramentum diffamati vel accusati, & simul Compurgatorum.

Sc. 2. *Finem* Purgationis Canonicæ salutarem esse, ut nempe vel innocentium defendatur honor contra iniquè diffamantes aut accusantes, vel crimen, quod alio modo satis probari nequit, detegatur & debitè puniatur; qui enim purgationem sibi delatam recusat, vel in ea deficit, nolens jurare, vel non inveniens compurgatores, censetur esse convictus. Nec enim expedit Reipublicæ, præsertim Ecclesiasticæ, ut persona infamata semper maneat suspecta. Unde *effectus* purgationis Canonicæ alius est, si illa debitè fiat, nempe sublatio infamiæ, & scandali, item absolutio à crimine ac declaratio innocentiæ, & ita quidem, ut purgatus super eodem crimine regulariter non possit sine nova criminis infamia accusari denuo, si priùs per viam accusationis fuit processum, & non præcisè infamia tantùm præcessit. text. gl. & DD. *in can. 6. 7. 19. caus. 2. qu. 5. c. 2. 10. h. t. l. 6. ff. Naut. Caupon. in fin. l. 2. ff. de Pœn. rejur.* P. Wiestner *h. t. n. 17. seqq.* Zeff. *eod. n. 8.* Alius autem effectus est, si in illa deficiat, cui injungitur, nempe pœna, & quidem pro-

babiliùs ordinaria, depositionis, privationis officij vel beneficij &c. infligenda deficienti, seu de sua innocentia jurare recusanti, vel compurgatores, qui jurare de credulitate velint, non invenienti. text. & gl. *in c. 7. h. t.* quia Reò in purgatione deficiente præsumptio, quæ priùs erat tantùm verisimilis contra diffamatum vel accusatum, postea transit in violentam: sed ex præsumptione violenta ad pœnam ordinariam procedi posse docuimus ad *tit. 23. de Præsumptionibus in lib. II.* Mitiùs tamen aliquando agitur cum deficiente, & pœna arbitriò Judicis temperatur. P. Wiestner *n. 20.* & alij. Purgatio Canonica tantùm pro foro Ecclesiastico maximè circa personas Ecclesiasticas, de crimine diffamatas vel accusatas, introducta est, licèt in quibusdam locis apud personas Illustres, & alias, quæ à tortura immunes sunt, rectè nonnunquam etiam in foro Civili fuerit adhibita, eique favere videatur *l. 26. in fin. C. de Usuris. & Nov. 124. c. 2.* Imò etiam in foro Ecclesiastico Purgationem Canonicam in desuetudinem abijsse, & rarò indici, nisi ubi viget Sacra Inquisitio contra Hæreticos, notant Doctores cum Jul. Claro & Barbosa, idque reprehendunt; cùm hoc modo personæ Ecclesiasticæ, quarum fama debet esse integra, maneant suspectæ, nec innocentium defendatur honor, nec delicta debitè puniantur, non sine præjudicio Reipublicæ.

3 Dico 1. Purgatio Canonica indici non debet, nisi personis, quarum famæ integritas multùm est necessaria Christiano populo, uti sunt Episcopi ac alij Prælati, Prædicatores Verbi Divini, Sacerdotes, Religiosi, imò & Laici de crimine Ecclesiastico, uti est Hæresis, Simonia, diffamati, modò sint probi, nec viles & plebeij. 2. nec ab alio potest, quàm à Judice competente, cujus aliàs est de crimine tali cognoscere, & judicare; sive talis Judex indicat ex officio, sive ad instantiam infamati. Pars prior sumitur ex *c. 1. & 3. h. t.* Posterior ex *c. 6. 10. 15. eod. & c. 5. de offic. leg.* Oppones. Si posset vel deberet indici Purgatio Canonica, tunc posset vel accusato vel diffamato de crimine: sed neutri potest: non accusato; si enim accusator deficiat in probatione criminis, reus est absolvendus, licèt nihil præstiterit. *l. 4. C. de edendo. l. fin. C. de R. V. l. 9. C. de O. & A.* Non diffamato; quia famæ & rumori temerè credendum non est. *c. 5. de eo, qui cognovit consang. c. 8. de cohabit. Cleric.* consequenter nec indicenda Purgatio. R. Utrique potest indici: accusato, quia in foro Ecclesiastico vult Ecclesia accusatos de crimine, quorum fama est necessaria valde, aut utilis publico bono, purgari, & non statim absolvi manente criminis suspicione: diffamato autem tunc, quando suspicio criminis est fundata in fama probabili; non enim sufficit qualiscunque rumor. Hinc

4 Dico 2. Ut Purgatio Canonica indici possit aut debeat, requiritur 1. ut præcesserit accusatio, aut denuntiatio, vel publica diffamatio, vi cujus aliquis verisimiliter suspectus sit de gravi crimine, ita ut fama illius etiam apud probos læsa existat; nec enim sufficit suspicio vel infamia levis, sed requiritur verisimilis & gravis aut vehemens, itaque ut fama sit orta à personis honestis & fide dignis, nisi etiam à malevolis orta generaret publicum populi scandalum, alio modo, quàm per indictam Purgationem, non auferibile. 2. ut nec innocentia nec crimen alio modo, v. g. per testes, probari queat. 3. ut crimen non sit notorium. Ita communis. Pars 1. fundatur in *c. 4. seqq. c. 10. h. t.* Pars 2. in *c. 10. cit.* Pars 3. in *c. 15. eod. & c. 9. de Accusat.* Oppones. Infamatus non potest admitti ad juramentum: ergo nec ad Purgationem Canonicam, cùm hæc fiat per juramentum: ergo diffamatio non potest requiri ad indicendam Purgationem. R. *dist. Ant.* infamatus infamiâ Juris. *C. Ant.* infamiâ facti, *subdist.* in alijs materijs. *transeat.* in ordine ad Purgationem Canonicam, quem casum excipit Jus ipsum. *N. Ant. & Conf.*

TITULUS XXXV.

De Purgatione Vulgari.

SUMMARIUM.

1. Quid sit Purgatio Vulgaris: quomodo fiat.
2, 3, Est illicita.
4. Neque cruentatio cadaveris probat occidentem.
5. An licita sit provocatio ad Divinum Tribunal.

SCiendum, Purgationi Canonicæ opponi probationem seu *Purgationem Vulgarem*, sic dictam, quia Vulgi usurpatione & superstitiosa observatione fuit introducta. Definitur esse *probatio criminis vel innocentiæ ex superstitiosa observatione, vulgi moribus introducta.* Olim varijs fiebat modis, ex quibus quatuor sunt celebriores. 1. *Monomachia* seu *Duellum*, in quo si de crimine suspectus succubuisset, habebatur pro reo, si vicisset, pro innocente. 2. *Ignis* à quo si illæsus abiret, cujus ambigua erat innocentia, innocens reputatus est; secus, si adureretur: jubebantur enim suspecti vel subire rogum accensum: vel prunas ardentes ferre manu, aut calcare nudis pedibus: vel ferrum candens aut igitos vomeres aut aliud hujusmodi instrumentum contrectare vel calcare ad probandam suam innocentiam. 3. *Aqua fervens* seu bulliens, in quam ille, qui innocentem se ostendere volebat, debebat manum vel brachium nudatum immergere, &, si illæsum retraxisset, pro insonte, si ambustum, pro nocente habitus est. 4. *Aqua frigida*, in quam colligatis manibus pedibúsque conjiciebantur de crimine insimulati, præsertim de veneficio, & arte per caminum volandi suspectæ fœminæ: si corpus fuit submersum, erat signum innocentiæ: si supernatavit aquæ, indicium sceleris impacti. His aliqui superaddunt *cruentationem cadaveris*, seu occisi hominis, ad præsentiam occisoris; quia ex hac cruentatione colligebant etiam docti quandoque, quisnam esset reus commissi homicidij, vel saltem eam unà cum alijs indicijs sufficere putabant ad torturam illius, in cujus præsentia cadaver sanguine manavit, inter quos ultimos fuit quoque magnus Besoldus in

1

Thesaurò v. Baarrecht; sic enim in Germanico appellatur hæc observatio. Nos præter hos modos etiam examinabimus, an *Provocatio ad Divinum Tribunal* (fürs Gericht GOttes citiren: vel in das Thal Josaphat laden) licita sit.

2 Dico 1. Purgatio vulgaris, quæ fit primis 4. modis, quos recensuimus, certò est illicita, ut habet communis Theologorum & Canonistarum contra quosdam veteres. Siquidem repugnat non tantùm SS. Canonibus. *can. 7. can. 20. 22. caus. 2. q. 5. c. 1. 2. 3. h. t.* sed etiam Juri Naturali; quia hi modi vel continent tentationem Dei, utpote à quo temerè postulatur & exspectatur miraculum; vel quia sunt media superstitiosa & vana; cùm enim ex una parte illis à Deo nullibi sit promissa manifestatio veritatis, ex altera verò nullam habeant naturalem cum rei veritate connexionem, detectio innocentiæ aut criminis contingit vel casu, vel occulta dæmonis ope, qui tacitè invocatur; vel quia in manifestum inducunt periculum condemnandi innocentem, vel absolvendi reum. Contra duellum specialiter jam alibi pugnavimus. De reliquis videantur quoque Del-Rio *l. 4. disquisit. Magic. c. 4.* Theoph. Raynaud. *in Hopolotheca contra ictum calumniæ sect. 3. c. 1. 2. 3.* Emman. Gonzal. *ad c. 3. h.* & apud hunc plurimi alij,

3 Oppones 1. Deus ipse *Num. 5.* jussit mulierem de adulterio suspectam purgari aquis amarissimis, quas sacerdos (cum maledictione, ut, si rea esset, disrumpatur uterus ejus &c.) in illam effundere debebat, &, si quidem disrumperetur, adultera judicabatur: ergo purgatio per aquam non est illicita. 2. Concil. Moguntinum, ut refertur à Gratiano in *can. qui Presbyterum 24. caus. 17. q. 4.* statuit, ut, *qui Presbyterum occiderit - - - si servus est, super 12. vomeres ferventes se expurget:* ergo purgatio per ignem approbatur in jure Canonico. 3. Exstant exempla virorum sanctorum, quæ refert P. Seybold *in Dicæomachia p. 2. Sect. 5. §. 3. & 4.* qui per ignem vel aquam purgârunt suam innocentiam, & Deus per miracula comprobavit, id sibi non displicuisse: sic etiam S. Kunegundis S. Henrico, ex Duce Bavariæ Imperatori, & conjugi suo, à suspicione adulterii se purgavit candente ferro, nimirum nudis pedibus calcando ignitos vomeres, vel, ut alii volunt, manibus illæsis ferendo: ergo hoc illicitum non est. 4. Passim adhibetur, nemine improbante, tortura ad detegendam veritatem apud suspectos de crimine, quod alio modo sufficienter probari nequit: sed talis tortura est similis purgationi vulgari, quæ fit per ignem, præsertim ubi tortura fit per ferrum candens, uti quandoque contingit. R. ad 1. Illud medium, quia à Deo fuit præscriptum, in Veteri Testamento nec fuit superstitiosum, nec temerarium, nec vanum aut incertum: sed Leges Ceremoniales, & Judiciales, qualis fuit ista, in Novo Testamento cessârunt, atq; ideo observari nec debent, nec possunt. Ad 2. Concilium Moguntinum, utpote solùm Particulare, cui Sedes Apostolica nunquam tribuit auctoritatem, fuit errori obnoxium, & in hoc puncto erravit ob simplicitatem hominum illius temporis, quo nondum ita clarè fuit à SS. Canonibus prohibita purgatio vulgaris. Antiquorum bona fides, simplicitas, & Religio, qua Deum rogabant, ut per miraculum manifestaret innocentiam, successu temporis degeneravit in superstitionem. Quòd Gratianus Concilii Moguntini decretum transtulerit in Jus Canonicum, propterea non acquisivit majorem authoritatem; quia Canones in Decretum Gratiani relati tantum valent, quantum fontes eorum, ex quibus desumpti sunt. Ad 3. Viri & homines illi sancti vel ex speciali Dei instinctu, vel bona fide, & Religione ducti petierunt miracula à Deo, & operabant, atque ideo Deus prodigiosè adfuit; sed hujusmodi non sunt in consequentiam trahenda, ubi abest talis instigatio Divina, vel justæ illæ causæ, ob quas sine Dei tentatione peti vel exspectari bona fide posset miraculum. Ad 4. *N. Min.* nam imprimis tortura naturaliter perferri potest; deinde, licèt fieret per ferrum candens, qui eo adustus, & hoc tormento ad confessionem veritatis compulsus est, non hoc ipso habetur pro reo, sicut in purgatione vulgari habebatur, neque pro convicto absolutè, nisi nempe extra torturam & conspectum tormentorum perseveraverit in confessione per torturam extorta.

Dico 2. Cruentatio cadaveris non est sufficiens proba vel signum occisi hominis ab illo, ad cujus præsentiam cruor profluit, nec etiam sufficiens indicium ad torturam, etiam una cum aliis indiciis, si hæc se solis non sufficiant. Ratio; quia, licèt fortè ex causis naturalibus, v. g. ex antipathia & odio, quod fuit inter occisorem & occisum, vi cujus alteretur sanguis, & ob occultam qualitatem prorûpat ex vulnere vel ore, fieret, incertissimũ tamẽ est, an vere ex causis naturalibus, vel an dæmonis ope aut præstigijs, cursus ille cruoris moveatur, vel an non etiam divinitus; imò sæpe, &, ut puto, ordinariè non fluit sanguis in præsentia occisoris, &, si flueret, casui videretur tribuendum; unde ad condemnandum non potest sufficere hæc cruentatio, ut apud plerosque certum est, nec etiam velut complementum aliorum per se non sufficientium indiciorum ad torturam, ut apud complures receptum.

Dico 3. Provocatio ad Divinum tribunal, quamvis absolutè licita sit, si fiat debitò modò & fine per illum, qui injuriâ aut calumniâ oppressus omni humanò præsidiò ad se tuendum vel purgandum destitutus est, 2. periculosa tamen est, & cautè facienda, ne vel inter veniat tentatio Dei, ac petatur miraculum, præcertim si citatio ad Dei tribunal fiat adjecto certo tempore, v. g. intra anni curriculum, ut nempe Deus intra tale tempus manifestet innocentiam; vel ne fiat ex ira, impatientia, & cupiditate vindictæ; vel ex vanitate aut alia vitiosa affectione; vel ne temerè, ut cùm effet adhuc in terris, à quo sperari & haberi possit defensio, aut injuria est levis; vel ne injustè quod fieret, si aliquis justè premeretur sen-

tentia

Judice, seu ab alio, aut injustitia prementis non esset certa. Pars 2. per se est clara. Pars 1. autem, cui patrocinatur S. Thomas, Delrius, Raynaud. & alii communiter, probatur, non tantùm exemplis multorum proborum hominum, quæ videre est apud Justum Lipsium in *Monitis Politicis l. 2. c. 11.* Delrium, & Raynaud *citt.* sed etiam ex Scriptura S. Sic Sara dixit Abrahæ: *judicet Dominus inter me & te. Gen. 16.* Sic David ad Saulem: *judicet Dominus inter me & te; & ulciscatur me Dominus ex te. 1. Reg. 24.* item ex hac ratione: quia talis provocatio, debitè facta, est appellatio ad Judicem superiorem & competentem, scilicet ad Deum, quando deficit Judex in Mundo inter homines, & est rogare, ut Deus aliquo Providentiæ aut Justitiæ suæ opere aperiat (vel in hoc vel in altero Mundo, prout ipsi libuerit) latentem veritatem, & oppressam vindicet innocentiam. Est quoque signum confidentis in conscientia sua animi, subindéque conducit, ut injustè supprimentes salubriter terreantur, & ab injuria cessent. Habent quippe Judices, & alij, qui injustum gravamen inferunt, cur timeant ejusmodi provocationes, ac illud auferant; audit enim Deus injustè oppressorum clamores, & vel in hac, vel adhuc graviùs in altera vita vindicabit innocentes. Certè P. Drexelius in *suo Tribunali l. 2. c. 3.* affert omnino 24. tragica exempla, in quibus tales citationes ad Dei tribunal omnes suum effectum consecutæ sunt. Si verò Judex justam tulit sententiam, atque exequitur, ridere debet, non timere, tales provocationes, vel citationes ad Dei tribunal, aut ad vallem Josaphat; uti & si justè repetis vel retines rem certò tibi debitam, licèt adversarius supra animam tuam conjiciat, dicens fortè, ich gibs dir auf dein brinnende Seel ꝛc. Cur enim timeat mens conscia recti? cùm Deus contra innocentem non tueatur temerè provocantem, sed potiùs hunc puniat ob temeritatem & indomitam passionem vel malitiam suam.

TITULUS XXXVI.

De Injuriis, & Damno dato.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Quid & quotuplex sit Injuria.*
4. *Quinam inferre eam, & pati possint.*
5. *Quam pariat obligationem, & quas actiones.*
6. *Quibus & contra quos competant actiones injuriarum, & an infament.*
7. *An teneatur injuriarum, qui objicit vel divulgat crimen vel delictum verum.*
8. *Quomodo cesset actio injuriarum.*
9. *An licita sit retorsio contra injuriantem.*
10. *Quid intelligatur per damnum dolò vel culpâ datum.*
11. 12. *Indè oritur actio Legis Aquiliæ. Quid hæc sit. Et quinam obligentur ex quasi-delicto.*
13. *Quænam actiones oriantur ex quasi-delicto.*
14. *A quo, & quando reparari debeat damnum datum.*
15. 16. *An datum ex culpa merè Juridica (vel quasi-delicto) debeat in conscientia reparari ante sententiam Judicis.*
17. 18. *An saltem post sententiam Judicis.*
19. *Corollaria inferuntur.*
20. *Repressaliæ, & Pignorationes, an licitæ.*

QUoniam delicta & excessus sæpe fiunt cum injuria alterius, quæ & ipsa inter delicta, nimirum privata, numeratur. *t. t. Inst. & ff. de Injur.* vel etiam cum *damno*, illa autem satisfactionem, istud verò reparationem postulat, recto ordine post priores Titulos de Delictis varijs, purgatis vel non purgatis, subnectitur præsens de Injurijs & Damno dato. 1

§. 1.

De Injurijs.

Sciendum 1. *Injuriam* aliter à Theologis, & aliter accipi à Juristis: Theologicè est alieni juris violatio, seu actio vel omissio contra jus alterius: Juridicè sumitur potissimùm triplicter. 1. *generaliter*, prout opponitur juri, sive privativè sive contradictoriè, & in hoc sensu injuria dicitur *pr. Inst. & l. 1. pr ff. h. t.* quidquid contra justitiam & æquitatem fit, vel jure non fit: *omne enim, quod non jure fit, injuria fieri dicitur. l. 1. cit.* sive dein fiat cum culpa, sive sine culpa. 2. *specialiter* pro culpa, uti in *Lege Aquilia*, & est, quidquid opponitur juri contrariè, atque sic etiam damnum contra *Leg. Aquil. cit.* datum comprehendit. 3. & huic loco propriissimè pro contumelia seu læsione honoris cum intentione injuriandi & contemptu; nam *contumelia* dicitur à *contemnendo*. Unde definitur esse *delictum, quo alterius honor aut existimatio dolosè læditur*, seu est delictum privatum dolô in contumeliam alterius commissum, quo nempe alterius bona opinio apud alios minuitur aut adimitur. per *l. 7. l. fin. C. h. t.* Germanicè vocatur Verleimbdung / Schmach / Unbild. Notanter dixi, *dolosè*, vel *dolô*, h. e. cum intentione ac animo injuriandi, seu lædendi existimationem. *l. 3. §. 1. l. 5. C. h. t.* & quidem sine jure dicendi vel faciendi tale quid, quo læditur alterius honor aut existimatio. per *pr. Inst. & l. 1. citt.* Si ergo absit dolus seu animus injuriandi, vel jus adsit aliquid faciendi, licèt indè sequatur dispendium honoris & existimationis alienæ, injuria non censetur illata. *l. 3. §. 3. l. 13. §. 1. & 6. l. 33. ff. l. 5. C. eod. & l. 55. ff. de R. J.* Quare qui per jocum vel inconsiderantiam profert verbum alteri injuriosum: si concionator detonet in depravatos mores, & peccatores, in genere tamen, neminem in specie perstringendo vel indicando, acriùs reprehendat: si parentes liberos, præceptores discipulos, domini famulos, mariti uxores, Superior subditos castiget verbis probrosis, vel etiam moderato verbere, scilicet corrigendi causâ, injuriam non faciunt; licèt cautè utendum injuriosis objurgationibus, quia per illas subditi facilè exacerbantur magis, quàm emendantur, præsertim si in proferente notetur inordinata passio. Pariter nemini infert injuriam Magistratus, si aliquid ordinet, vel præcipiat, quod pertinet ad Juris vel Justitiæ administra- 2

tio

tionem, licèt indè sequatur honoris & existimationis dispendium: neque qui contra testem velut infamem excipit in Judicio &c. *l. 3. §. 3. l. 13. §. 1. 6. l. 15. l. 33. &c. ff. h. t. l. 5. §. fin. ff. ad L. Aquil.* Porro per animum & intentionem etiam indirectam & virtualem injuriandi infertur injuria, si nempe scienter aliquid dicatur vel fiat, quod per se trahit læsionem honoris aut famæ alienæ, ut si quis personam honestam nitatur pellicere ad impudicitiam. *l. 9. ff. h. t.* vel alterum inebriet, ut exponatur ludibrio &c.

3 Sc. 2. Injuriam dividi in Verbalem & Realem. *Verbalis* est, si dictô, vel verbô contumelioso, lædituralterius honor & existimatio, ut si alteri objiciatur, vel evulgetur, defectus morum, quòd sit fur, adulter &c. vel defectus naturalis exprobretur, quòd sit spurius, claudus, gibbosus &c. siquis utatur verbis obscœnis apud virginem, si cantet aut prælegat quidquam, quod alterius pudorem fugillat. *l. 15. §. 7. 21. 27. ff. eod.* Huc revocari potest injuria *scripta*, quæ fit per scripturam, epistolam, item per *carmen* seu *libellum famosum*, ut vocant, quando nempe per scripturam omisso auctoris nomine crimen, historia, vel aliud in ludibrium, contemptum, vilipensionem, infamiam alterius cedens spargitur in vulgus. *Realis* autem, si factô, vel gestu, ut siquis alterum pulset, verberet, ejus domũ vi introëat, alicui digitum medium, seu inter alios digitos compressum, ostendat, cornua alterius januæ affigat, aut aliquem aliter ludibrio exponat. *§. 1. Inst. l. Cornelia 5. pr. ff. eod. l. 15. §. 27. cit.* Idem est, si alterum sputo conspurces, manũ leves adversùs eum quasi verberaturus. Item si Judex non servato Juris Ordine procedit vel aliquid statuit. *l. 32. ff. eod.* Si verba vel facta de se ex natura sua sunt contumeliosa vel probrosa, præsumitur dolus seu animus injuriandi, licèt proferens vel ponens illa protestetur, se non facere vel fecisse animô injuriandi, v. g. alterum vocando furem, sed addens: *salvo ipsius honore &c. l. 5. C. eod. arg. c. 54. in f. de appellat.* cùm sit protestatio contraria facto: nisi nempe sufficienter probet, abfuisse dolum: sicut vice versâ, si verba & facta de se non sint contumeliosa vel probrosa, præsumitur dolus abfuisse, nisi contrarium probetur. Si consideratis omnibus maneat dubium, an adfuerit dolus, seu animus injuriandi, is tam parùm est præsumendus, quàm parùm aliàs præsumitur delictum. per *l. 51. pr. ff. pro Socio. l. 6. C. de Dolo malo. c. fin. de Præsumpt.* Porro si per dictum aut factum læditur honor vel fama leviter, injuria *Levis*, si graviter, *Atrox*, appellatur: levitas autem vel gravitas desumitur vel ex conditione personæ injuriantis & injuriatæ: vel ex loco: vel ex tempore: vel modo: vel ex ipsis verbis aut factis. *§. 7. §. 9. Inst. l. 7. §. fin. l. 8. l. 17. ff. h. t.*

4 Sc. 3. Quamvis injuriam inferre non possint, nisi personæ doli capaces, ut adeò infans, furiosus, amens, plenè ebrius &c. non inferre censeantur ob defectum doli. *l. 3. §. 1. ff. eod.* pati tamen possunt homines quicunque, etiam rationis usu destituti. *l. 3. §. 1. cit.* quin & mortui. *l. 1. §. 4. ff. eod.* Nec interest, an quis patiatur injuriam directè & in persona propria, vel indirectè & in personis sibi valde conjunctis, quæ in alicujus potestate sunt: sic injuriosa tractatio uxoris in maritum, liberorum nondum emancipatorum in patrem, famuli in negotio vel servitio domini occupati &c. in dominũ. Religiosi in Prælatum redundare censetur. *§. 2. & 6. Inst. l. 1. §. 3. 5. l. 15. §. 48. ff. eod. c. 21. de Sent. Excom. in 6.* Unde & dictæ personæ aliis læsæ permittuntur instituere actionem injuriarum. *l. 41. ff. h. t.* quamvis vicissim id non permittatur uxori, si lædatur maritus.

Sc. 4. Ex injuria oriri in injuriante obligationem satisfaciendi læso in conscientia ante omnem sententiam per repatationem honoris aut famæ, utpote per iniquitatem ablatæ: in injuriato autem multiplicem *actionem injuriarum*, quarum prima est *Criminalis*, quâ læsus petit, ut reus debitè plectatur, nimirum extraordinariâ pœnâ, vel corporis afflictivâ, vel mulctâ pecuniariâ Fisco applicandâ &c. *§. 11. Inst. h. t.* nisi injuria sit facta per libellum famosum; tunc enim determinata in jure est pœna capitalis. *l. un. C. de famos. libell.* innovata a *Constit. Pœnali Caroli V. art. 110.* casu quo impingitur crimen capitale. Neque multum refert, an crimen, quod in libello objicitur, sit verum vel falsum; quamquam in casu veritatis non ordinariam, sed extraordinariam pœnam statuere videatur *Constit. Carol. cit.* Extenditur pœna ad illos quoque, qui libellum famosum, ab alio compositum, scripserunt, evulgârunt, aut inventum apud se retinuerunt: licèt non ad illos, qui ab alio acceptum descripserunt non animô divulgandi, sed privatim penes se retinendi, ut docet Menoch. *de arbitr. Jud. casu 263. n. 39.* Teste autem Harprecht ad *§. 1. Inst. h. t. n. 210.* etiam libelli famosi pœna passim solet esse arbitraria. 2. *Civilis*, eáque vel Pœnalis, vel rei Persecutoria. *Pœnalis* oritur tum ex Jure Prætorio, vocaturque *æstimatoria*, quâ læsus petit, ut reus persolvat æstimationem injuriæ, quanti nimirum læsus æstimat honorem, dicendo v. g. quod maluisset amittere 100. florenos, quàm hoc dedecus vel probrum sustinuisse: & hanc pecuniam, prævia tamen moderatione, si æstimatio videretur esse nimia, Judex teneatur adjudicare læso pro satisfactione. Et hæc actio, utpote Prætoria & Pœnalis, durat tantùm per annum. Tum ex Jure Civili, nimirum ex *Lege Cornelia*, quâ vindicantur quædam injuriæ reales, ut si aliquis pulsetur, verberetur, aut domus ejus, in qua actu habitat, vi introëatur. *§. sed & 8. Inst. l. 5. pr. & §§. seqq. ff. h. t.* Tendit hæc actio vel ad æstimationem injuriæ, sed faciendam à Judice & adjudicandam læso, vel ad pœnam pecuniariam fisco inferendam, vel ad corporis afflictivam: eáque Perpetua, quia Civilis. Demum 3. actio *rei Persecutoria* (scilicet bonæ existimationis) vel *Recantatoria*, seu *ad Palinodiam*: est introducta ex Consuetudine tum Jure Bavarico *tit. 18. art. 2.* quâ læsus exigit, ut reus contumelia-

dica

dicta recantet seu revocet, eáque injustè à se attentata judicialiter fateatur, atque sic læsam existimationem restituat. Est Perpetua, utpote ex consuetudine, quæ est species Juris Civilis, descendens, seu durat 30. annis. Porro si per convitium, contumeliam, aut opprobrium re ipsa in morali æstimatione non fuisset læsa, saltem graviter, alterius existimatio, nulla videtur actio concedenda contra convitiantem &c. sed Christiana deprecatio, vel alia reconciliatio (quæ etiam in casu læsionis gravis suadenda est) sufficeret. Laym. *lib. 3. tr. 3. p. 2. c. 7. n. 6.* uti si tantùm defectus corporis fuisset objectus, v.g. gibbositas, lippitudo &c.

6 Dico 1. Actio injuriarum tam *Civilis*, quæ est pœnalis, seu *æstimatoria*, aut ex *Lege Cornelia*, uti & rei persecutoria seu *ad Palinodiam*, quàm *Criminalis*, competit læso contra injuriantem. 2. quamvis non conjunctivè seu cumulativè, sed disjunctivè, nempe alterutra, vel Civilis pœnæ persecutoria, vel Criminalis, licèt in arbitrio læsi sit hanc vel illam eligere. 3. exceptâ tamen rei persecutoriâ, seu recantatoriâ sive ad palinodiam, quacum & aliæ actiones ad pœnam, seu Civilis seu Criminalis, cumulari possunt. 4. omnis autem actio injuriarum est personalis, unde neque hæredibus læsi competit (exceptâ probabiliùs actione ad palinodiam) neque contra hæredes lædentis. 5. est famosa, seu inferens infamiam Juris illi, qui condemnatur tanquam injurians, nisi Judex reservet famam &c. actio tamen ad palinodiam non Juris (sed Facti) infamiam invehit de Jure communi, bene tamen de Jure Bavarico. *tit. 46. art. 9.* si recantatio imperetur à Judice, & fama non reservetur. Pars 1. constat ex *§. 2. §. 8. & 10. inst. l. 5. ff. eod.* Palinodiam probat consuetudo. Pars 2. ex *l. 6. ff. h. t. l. 14. ff. de accusat.* quia tam Criminalis & publica, quàm Civilis privata, pœnam intentans, refertur ad eundem finem, nempe ad punitionem; bis autem puniri idem delictum non convenit. Pars 3. colligitur ex §. 1. *inst. Si quadrupes pauper.* ubi dicitur, quòd actiones, quæ tendunt ad diversos fines, cumulari possint: sed actio ad palinodiam tendit ad restitutionem honoris per recantationem dicti contumelioši, & sic est rei persecutoria, actio injuriarum alia verò ad pœnam, & est pœnæ persecutoria: ergo tendunt ad diversos fines. Confirmatur à pari: condictio furtiva, quæ tendit ad restitutionem rei ablatæ, cumulari potest cum actione furti, quæ tendit ad pœnam dupli vel quadrupli: ergo à pari. Favet Mynsinger. *cent. 2. observ. 98. n. 10.* Gail. *l. 1. obs. 65. n. 5.* & alii: dissentiunt tamen aliqui ea de causa, quòd actio ad palinodiam vi consuetudinis sit surrogata actioni injuriarum pœnali. Et hinc D. Christoph. de Chlingensperg. *l. 4. tit. 4. Inst. q. 15.* dicit, se in praxi sæpe vidisse utrumque petitum, nempe pœnam & recantationem, nunquam tamen utrumque adjudicatum esse. Pars 4. ex *§. 10. cit.* quia descendit ex delicto, intendit pœnam, & sapit vindictam, quam moriens læsus præsumitur remisisse. Consonat *l. 13. l. 15. §. 14. ff. eod.* Actio ad palinodiam ideo datur hæredibus injuriati, quia est rei persecutoria. Cœterùm vi consuetudinis, Jure Bavarico *tit. 46. a. 2.* approbatæ, hodie passim ex injuria verbali tantùm agi solet actione ad palinodiam, qua maximè suo honori consulit injuriatus. Pars 5. iterum solet probari ex *§. 10. cit.* Quòd autem actio ad palinodiam de Jure communi non invehat infamiam Juris, eruitur indè, quia in nullo textu id reperitur: quòd verò infamiam Facti, exinde, quia apud viros honestos malè audit, qui se ipsum mendacii arguere debuit. Infamia autem Juris non incurritur, si Judex fert sententiam in procuratorem, si conventus ante sententiam transigit cum injuriato authoritate Judicis, aut, si Judex, uti potest, & alicubi vi Statutorum debet, condemnando de injuria reservat famam. per *l. 6. §. 2. §. 3. l. 13. §. pœna gravior ff. de his, qui not. infam.* Pari modo infamia evitatur, si injuriatus remittit gratis injuriam. per *l. non damnatos 18. C. ex quib. caus. infam.* In Bavaria non tantùm Judici cuicunque permissum est famam injurianti reservare, sed etiam, si causa injuriarum proposita adeò liquida non est, aut si nescitur, an non & injuriatus dederit causam injurianti, præceptum est actionem & processum injuriarum penitus tollere. Land-Recht *tit. cit. a. 10.* Id quod praxis habet communis non solùm apud rusticos & cives plebejos, quibus cavillandi & injuriandi libido frequentior est, sed etiam inter personas dignioris conditionis observatum est à nostra Facultate Juridica. Sic igitur pronuntiari solet: Soll der Beklagte umb so vil punctirt; vbrigens beyde zu guten Freunden gesprochen/ vnd alles vbriges ex officio auffgehebt seyn. D. Herman. Ant. de Chlingensperg *de Differentiis inter Jus Comm. & Bavar. ad tit. & a. cit. pag. 164.*

Quæres, an actione injuriarum teneatur, 7
qui crimen vel defectum verum objicit alteri, vel divulgat? R. 1. si crimen vel defectus est occultus, nec interest Reipublicæ, illud vel hunc detegi, tenetur hac actione, seu conveniri potest. Julius Clarus *v. Injuria n. 15.* ac alii multi; quia talis objicit vel vulgat injustè, & sic non sine dolo, in quo consistit substantia injuriæ; nam alter habet jus ad suam famam & honorem, quamdiu occultum manet ejus crimen vel defectus, nisi utilitas vel necessitas publica exigat revelationem. R. 2. Si verò interest Reipublicæ crimen vel defectum manifestari, uti est crimen homicidii, falsationis, furti, adulterii, defectûs natalium &c. ne illo laborans promoveatur ad Prælaturam &c. & manifestetur in Judicio, manifestans non tenetur; quia non animò injuriandi, sed studiò Reipublicæ, censetur manifestâsse, *nec æquum est, eum, qui nocentem infamavit, ob eam rem condemnari; quia peccata nocentium nota esse oportet, & expedit*, uti ait *l. 18. pr. ff. h. t.* Secus, si manifestet extra Judicium, vel (in foro Canonico) si non præmittat manifestationi in Judicio admonitionem secretam, quam exigit Lex charitatis, ubi ea creditur suffectura ad aver-

tendum alterius damnum. P. Wieſtner *h.t. n. 13. 14.*

8 Dico 2. Actio injuriarum tollitur vel ceſſat 1. morte tam injuriantis quàm injuriati, ſi ante mortem lis non fuit conteſtata. *l. 13. pr. ff. h.t.* niſi per injuriam ſimul datum ſit damnum; iſtud enim ſibi reſarciri etiam ab hæredibus per injuriam damnificantis, quantum permittunt hæreditatis vires, petere poteſt damnificatus, & ejus hæredes. *c. 5. de Raptor. c. fin. de ſepult.* 2. lapſu unius anni. *l. 5. C. h.t.* excepta tamen actione injuriarum Civili, quæ deſcendit ex Lege Cornelia, item rei perſecutoriâ ſeu recantatoriâ, atque ortâ ex libello famoſo; quæ ſunt perpetuæ, & primùm præſcriptione 30. annorum extinguuntur. 3. ſatisfactione pro illata injuria. *l. 17. §. 6. ff. eod.* 4. transactione, vel pacto. *l. 11. §. 1. ff. eod.* 5. condonatione expreſſa. *l. 17. cit. §. 12. arg. c. 12. de For. Comp.* ubi adverte, filium familias, vel Religioſum, invito patre, vel Superiore, non poſſe injuriam, vel potiùs actionem injuriarum remittere, quamvis viciſſim pater loco filiifamilias, etiam inviti, poſſit remittere. per *d. l. 17. §. 12.* niſi filius ſit eminentioris conditionis, quàm pater. 6. condonatione vel remiſſione tacita. *§. fin. Inſt. & l. 11. §. 1. ff. h. t.* ut ſi injuriam paſſus non ſtatim & in continenti eam revocavit ad animum, quando potuit, ſubridendo, aut ſigna dando, ſe non ægrè ferre, vel, ſi initiò quidem ſe offenſum oſtendit, dein verò amicitiam cum offendente reſtaurat, familiariter cum eo agit, ſponte cum ipſo converſatur, ad convivium invitat, vel aliud ſpeciale (commune, v. g. ſalutatio obviantis non ſufficit) charitatis ſignum eidem exhibet. Ubi etiam nota, quòd per hoc, quòd injuriatus poſtea ſuſcipiat Sacramentum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ, cenſeatur quidem injuriam remiſiſſe, at non, uti aliqui putant perperam, actionem injuriarum, etiam Criminalem. 7. retorſione, quæ nihil eſt aliud, quàm propulſatio injuriæ verbalis in ipſum injuriantem propria auctoritate & in continenti facta, v. g. ſi voces eum mendacem, vel dicas, eum mentiri ut furem vel latronem, aut eſſe talem, qualem te eſſe aſſerit, ac tamdiu habendum pro tali, donec objectum crimen probaverit; ſic enim defenditur honor, & infamatio evitatur. Verum de hac

9 Quæres, an Retorſio ſit licita, ac fieri poſſit abſque nova injuria adversùs injuriantem? R. eſt licita, ſi habeat has conditiones. 1. ſi læſus es injuria verbali; nam infligenti alapam non potes reddere aliam, niſi plures timendi cauſam habeas. 2. ſi fiat animô te defendendi, & propulſandi injuriam. 3. ſi fiat in continenti, ſeu ſtatim, ac fieri poteſt, moraliter loquendo; ſi enim abſenti illata fuiſſet injuria, poſſes poſt aliquod intervallum temporis, ubi reſciiſti, retorquere vel ſcriptô, vel coram Notario cum teſtibus. 4. ſi obſervetur moderamen inculpatæ tutelæ; quod non obſervares, ſi objiceres crimen longè gravius, vel longè diverſum ab eo, quod tibi objectum eſt, nec ſerviens ad minuendam vel tollendam injuriam tibi illatam: ſi injuriam verbalem reali, v. g. verberibus ſi injuriam privatim tibi illatam publicè affixâ ſchedâ retorqueres &c. De Jure Bavar. *Tit. 96. a. 6. & 7.* injuria ſtante pede, ſi præſenti, &, ſi abſenti illata eſt, intra menſem faciendo; nec ſufficit præcisè dicere, alterum mentiri, ſed aptis in adverſarium verbis transferri debet. Ratio Reſponſionis eſt; quia ſuum honorem defendere, ac injuriam repellere, cuivis permiſſum eſt. *arg. l. 3. ff. de J. & J.* & juſtum animi dolorem, quem quis ex recenti ſentit injuria, temperare difficillimum. *l. 38. §. ult. ff. ad L. Jul. de adult.* Oppones. Jus defenſionis tantùm datur adversùs injuriam futuram, vel præſentem, non præteritam, aliàs enim licet vindicta privata: ſic non licet repercutere eum poſt intervallum aliquod, qui te percuſſit. R. Eſto, quòd hoc regulariter verum ſit in injuria Reali; in Verbali tamen, quæ manet moraliter, poſtquam verba phyſicè pertranſierunt, & præſens cenſetur, niſi retorſione (ſeu poſt morale intervallum, poſtquam innotuit) tollatur ſuſpicio de objecto crimine apud audientes, vel Judicis auctoritate eximatur. De retorſione & tota materia de Injuriis reſconſulitur Harpprecht ad *h.t. in Inſtit.*

§. 2.

De Damno dato. Ubi etiam de Repreſſaliis, & Pignorationibus.

Sciendum 1. per *damnum datum* hîc, utitur *Inſtit. Digeſt. & Cod. ad Legem Aquiliam*, non intelligi illud, quo quis cum ſuo lucro nocet alteri, uti fit per furtum, rapinam, uſuras, de quibus egimus in ſuis Titulis, ſed tale damnum, quod alteri voluntariè quidem, & per injuriam ſive formalem ſive materialem, infertur, ut ſine inferentis lucro vel emolumento, ut res aliena corrumpatur, deterioretur, deſtruatur, v. g. ædes incendantur, animal occidatur, aut vulneretur, veſtes lacerentur &c. ſive dein id fiat *dolô vero*, ſeu animô nocendi ſatis manifeſtô, vel *dolô præſumptô*, ſeu ubi ex indiciis valde veriſimilibus & conjecturis talis animus interveniſſe cenſetur, uti fit in *culpa lata & latiore*, ut vocant, ſive ex *culpa Theologica*, quæ continet peccatum coram Deo, ſive *mere Juridica*, quæ non eſt conjuncta cum peccato coram Deo, v. g. propter defectum advertentiæ ad Legem Dei vel obligationem in conſcientia in aliquid faciente aut omittente, ex quo oritur alteri damnum, ſeu dein illa culpa ſeriatica fuerit, *levis*, ſeu *leviſſima*, ſive denique ex *caſu fortuito*, quando damnum alterius, ex actione vel omiſſione ſecutum, prævideri, aut evitari nec potuit, nec debuit. Quid ſit culpa juridica, lata, levis, & leviſſima, explicavi ad *tit. 31. de Pactis in lib. I.*

Sc. 2. Sicut damnum ex *vero delicto*, nimirum dolo vel culpa propria, ad quod reparandum media & actionem ſuppeditat famoſa *ex Aquilia*, dari poteſt, ita quoque dari poſſet *quaſi delicto*, videlicet ex imperitia, vel alieno facto, non propriô dolô, vel culpâ, & tum damnum paſſo ſuccurrunt *Leges Noxales*, ex quibus

quasi-delicto obligantur ad resarcitionem damni secundùm Leges. 1. Judex malè judicans per imperitiam vel errorem, licèt bona fide & sine culpa processerit; præsumitur enim, vel potiùs fingitur à Jure culpabilis in eo, quòd vel ipse rem non satis discusserit, vel peritiores, cùm potuisset, non consuluerit. 2. Paterfamilias, seu caput domûs vel familiæ, vel habitator alius, si ex cænaculo, aut alia parte domûs ejiciatur vel effundatur aliquid in locum, per quem homines commeare solent, & transeuntium aliquis fuerit indè læsus vel in persona, vel in vestibus, vel in rebus suis: licèt enim caput, vel habitator domûs de ejectione, vel effusione, nihil sciverit, delinquere tamen præsumitur, vel potiùs fingitur, quatenus non sufficienter cavit, ne quid cum alterius detrimento dejiciatur, vel effundatur. 3. Ille, qui in loco, ubi passim & vulgò fit iter, aliquid posuit vel suspendit cum periculo, ne, si fortè cecideri, prætereuntibus, aut ponè consistentibus noceat: auctor enim hujus positionis vel suspensionis censetur non adhibuisse debitam cautelam. 4. Caupo, Stabularius, & Nauta, seu Rector navis, si in ejus caupona, stabulo, aut in navi, per famulos aut inquilinos illius, viatoribus, vel vectoribus, damnum inferatur per furtum aut aliud malefactum; quamvis enim exercitor, seu qui cauponam, stabulum, vel navim exercet, damni conscius aut particeps non sit, in eo tamen præsumitur culpabilis, quòd fidem famulorum & inquilinorum non accuratiùs exploraverit. 5. Dominus, vel possessor servi propriè dicti, uti & animalis, si servus, vel animal contra naturam generis (ut si equus sibi blandientem calce percussit; tunc enim censetur calcitrosus) alijs nocuit; quia dominus (aut ille, qui fuit possessor tempore actionis natæ) censetur, vel fingitur, servum vel animal non debitè custodisse. Habentur hæc *pr. & §. 1. 2. & fin. Inst. de obligat. quæ ex quasi-delicto. t. t. Inst. & l. 1. &c. ff. si quadrupes pauperiem fecis. dicat.* Oppones. Medicus, Advocatus, & artifices, si inferant damnum ex imperitia, tenentur ex vero delicto & culpa. per §. 7. *Inst. de L. Aquil.* ergo & Judex imperitè judicando damnum inferens. R. *N. Cons.* quia imperitia solùm in illis æquiparatur culpæ propriæ & delicto, qui artem profitentur, uti est Medicus &c. uti explicatur *l. 132. ff. de R. J.* non autem in Judice, qui artem non profitetur, sed publica auctoritate constituitur, etiam invitus: & hinc non condemnatur imperitè judicans in totum damnum, sed solùm in id, quod æquo Judici videbitur. *l. ult. ff. de Extraord. cognit.* qui verò conveniuntur ex Lege Aquilia, condemnantur in totum damnum.

12 Sc. 3. Ex damno saltem gravi & notabili, per dolum, aut culpam quamcunque, etiam merè Juridicam, imò & levissimam saltem commissionis (modò ista extra contractum, in quo non præstatur culpa levissima, fuerit causa damni, ut habet melior cum Struckio *in Usu Mod. Pand. tit. ad L. Aquil. §. 14.*) oriri pro foro externo *actionem Legis Aquiliæ* (sic dictæ, quia ab Aquilio Tribuno plebis constituta est) quâ petitur non tantùm æstimatio rei in statu præsenti, seu quanti æstimatur damnum tempore, quo illatum est, resarcienda (si occisum est animal ex ijs, quæ gregatim pascuntur, ut oves, boves, porci) valuit intra totum retrò annum, sed etiam (si tale animal fuit solùm vulneratum, vel aliud animal occisum, quod gregatim non pascitur, uti canes, feræ, vel in alia re inanimata damnum est illatum) quanti plurimi intra proximos 30. dies valuit. Adeóque actio Legis Aquiliæ non est præcisè rei persecutoria, sed etiam aliqualiter pœnalis. *t. t. Inst. ff. & C. ad L. Aquil.* Quamquam hodie in praxi non ampliùs æstimetur damnum secundùm id, quod res destructa vel deteriorata valuit antecedenti tempore, sed juxta statum præsentem, quo datum est damnû, adeóque actio tantùm datur hodie ad *simplum*, non verò *ad quanti plurimi*, uti testantur Bruneman. Laurerbach. Schneidevvin, Stryck. *lo. cit. §. 2.* & alij communiter; licèt habeatur ratio sumptuum & impensarum in curationem hominis vel animalis occisi aut vulnerati factarum, vel operarum propterea cessantium. *c. 1. c. 8. b. t. l. 7. pr. l. 21. §. ult. ff. ad L. Aquil. l. 3. ff. Si quadrupes.* Dolor verò, quem per injuriam vulneratus vel percussus sustinere debuit, de Jure non æstimatur. *arg. l. 3. cit.* proinde pro illo nihil adiudicatur. Competit hæc actio, utpote rei persecutoria, omnibus & solis illis, quorum propter jus reale vel dominium aut usumfructum rei interest, damnum non fuisse datum. *l. 11. §. 6. 9. & fin. ad L. Aquil.* item contra damnificantem, & vel physicè vel moraliter efficienter cooperantem ad damnum, non verò contra hæredes illius. *§. 9. Inst. l. 23. §. 8. ff. eod.* quia descendit ex delicto sterili, ac tali, ex quo ad hæredes nihil defertur. Excipe, nisi damnum esset datum dolô vel per culpam Theologicam; tunc enim juxta vires hæreditatis tenerentur quoque hæredes damnificantis, saltem de Jure Canonico. *c. 5. de Raptor. c. fin. de sepult.* Quia verò contra hæredes damnificantis non datur, ideo ex parte Rei conventi hæc actio à D. Gletle *Jurisprud. terrib. p. 2. c. 4. §. 5. n. 2.* rectè appellatur *Pœnalis.* Est autem *Perpetua*, quia Civilis.

Sc. 4. Ex quasi-delicto varias nasci actio- 13
nes: & quidem 1. contra Judicem ex imperitia malè judicantem datur *actio de Syndicatu*, vel *malè judicati*, vel *actio in factum*, qua convenitur, ut læso tantum præstet, quantum Judici superiori æquum fuerit visum. *l. ult. cit. l. ult. C. de pœn. Jud. qui malè.* 2. contra patremfamilias vel habitatorem domûs, ex qua aliquid alijs noxium à quocunque inquilino, etiam hospite & extraneo, fuit ejectum vel effusum, *actio dejecti vel effusi*, qua petitur duplum damni illati, &, si homo indè fuit vulneratus, impensæ curationis, atque compensatio operarum cessantium, si verò occisus, 50. aurei. §. 1. & 2. *Instit. de Oblig. quæ ex quasi-del. l. 1. & l. fin. ff. de his, qui effud.* 3. contra ponentem vel suspendentem aliquid cum periculo commeantium *actio positi vel suspensi*, vel *actio in factum*, qua

convenitur, ut 10. aureos persolvat. §. 1. *Inst. cit. l. 5. §. 6. ff. qui effud.* 4. contra cauponem, stabularium, & nautam *actio in factum*, ut duplum præstet illius, quod viatoribus, hospitibus, vectoribus ex damno in caupona &c. à famulis, vel operariis cauponis &c. causato abest de rebus suis. *l. fin. ff. Nautæ, caupon. stabular.* 5. contra dominum animalis irrationalis, quod alteri damnum intulit, *actio quadrupedaria*, & quidem *directa*, si animal quadrupes & mansuetum nocuit. *l. 3. ff. Si quadrupes pauper.* Si verò animal bipes, vel bestia per se fera, at cicurata & custodiâ hominis coërcita, *utilis. l. 4. ff. eodem.* Idem est, si servus propriè dictus damnum dedit. Hæc actio eò tendit, ut vel æstimatio damni, relata in tempus, quo datum est, compensetur, vel animal damnificans noxæ dedatur, h. e. actori relinquatur in damni compensationem, prout Reus conventus elegerit, cum resarcitione impensarum in curationem, & operarum omissarum. *pr. Inst. l. 1. l. 3. ff. eod.* Hujusmodi damnum à bruto animali illatum Jura non vocant damnum, quia damnum, quod compensari debet, videtur inferendum esse per injuriam, cujus inferendæ bruta non sunt capacia, sed appellatur *pauperies*. Plura de his Civilistæ. Nos advertimus, has Leges Noxales esse justas, quia sunt inductæ ex fine boni publici, ut homines reddantur accuratiores ad damna aliorum impedienda. Utrùm verò hæ, uti & lex Aquilia, ante sententiam Judicis obligent in conscientia ad resarcitionem damni illati ex quasi-delicto, aut per culpam merè Juridicam, ardens est controversia, quam hic decîdemus.

14 Dico 1. Certum est, damnificantem dolô malô obligari in utroque foro, & in conscientia ante omnem sententiam, ad reparationem damni. 2. uti & si damnum est datum ex culpa non Juridica tantùm, sed etiam Theologica, saltem gravi. 3. econtra datum casu merè fortuito, nec in interno, nec in externo per se ex obligatione reparandum esse. Partem 1. omnes, 2. *dam* ferè omnes amplectuntur, eò quòd Jus Naturale, & Justitiæ Commutativæ natura, non Lex Aquilia, damni formaliter injustè dati reparationem exigat. Pars 3. æquè certa videtur, quia nec Jus Naturale pro foro interno, ubi nulla est culpa coram Deo & in conscientia, nec Jus Positivum pro foro externo adstringit. per *c. un. de Commodato. l. 1. §. 4. ff. de O. & A. & l. 6. C. de Pignorat. act.* Adeóque res perit domino; nisi nempe aliquis specialiter ex pacto se obligâsset ad damnum fortuitò secutum, vel in re aliena restituenda culpabilem morâm, quæ fuit causa damni casu fortuito dati, commisisset.

15 Dico 2. Damnum ex culpa merè Juridica datum (idem est à fortiori de quasi-delicto, si indè accidat alteri damnum) reparandi obligatio neque de Jure Positivo datur in conscientia ante sententiam Judicis. v. g. si rem alterius ex oblivione relinquas in publico, & illa pereat, vel per imprudentiam fortè perdas illam, frangas &c. si famulus ad ignem ob dormiscens causam dedit incendio &c. Ita communior & verior cum Innoc. Molin. Leym. Lug. Haunold. *to. 1. tr. 2. num. 178.* D. Christ. de Chlingensperg *Inst. ad L. Aquil. q. 9.* contra Angel. Panorm. Covarruv. Zæf. & Arnold Rath *tract. de damno n. 34.* Probatur 1. De Jure Naturali non est obligatio in conscientia, quia nec datur ex *re accepta*, cùm hoc damnum non sit lucrosum, nec ex *injusta acceptione*, quia peccatum in conscientia & formale non est commissum: Jus autem Positivum nullibi satis clarè exprimit obligationem in conscientia ante sententiam Judicis, quamvis tribuat actionem pro foro externo: ergo nec de Jure Positivo datur obligatio in conscientia; *non contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, faciendo ejus interpretatio. c. 57. de R. J. in 6.* Et *in obscuris, quod minimum est, sequimur*: atque *in dubiis nigniora præferenda sunt. l. 9. §. 6. 192. ff. eod.* Ini Lex 2. *C. de L. Aquil.* satis clarè insinuat, nonnisi post sententiam debere damnum culpâ dicâ datum reparari, & resarcitionem acquiposse, dum ait, *competentis Judicis authorita consequéris - - - Judicis curâ impetrabis*: ergo Lex Aquilia ante Judicis sententiam non intendit obligare ad reparationem damni. Confirmatur. Praxis & communis hominum persuasio optimè interpretatur Leges, adeóque et Legem Aquiliam: sed praxis & communis persuasio fidelium habet, quòd nemo faciè resarciat damnum sine culpa Theologica datum, vel sibi persuadeat, se obligari ad id, ante sententiam Judicis; quis enim sibi scrupulum facit, si antea non resarciat? Prob. 2. Lex Aquilia, & Leges Noxales, si ante sententiam obligarent in conscientia ad reparandum damnum, essent nimis arduæ, consequenter magis noxiæ quàm utiles, siquidem spectatâ hominum fragilitate, ignorantiâ, oblivione, inadvertentiâ &c. promissimum est vel per se vel per suos famulos, aut animalia &c. damnum alijs inferri vel omissione vel actione aliqua, coram Deo non culpabili; ex altera verò parte difficillimum, damnum, sine omni culpa coram Deo datum, & ex quo nullum acquisitum est lucrum, resarcire exspoliando se ipsum rebus proprijs; & hinc obligatio hæc passim negligeretur cum multiplici animarum dispendio: ergo Legislatores humani vel non potuerunt (cùm in ipsorum potestate non sit, leges ponere communitati magis noxias quàm utiles) vel saltem non voluerunt istam obligationem in conscientia ante Judicis sententiam imponere: præsertim cùm consequantur satis finem suum, qui fuit homines reddere accuratiores in cavendis alienis damnis, per hoc, quòd dederint læsis actionem, & Judices obligârint ad præcipiendam resarcitionem per sententiam: ergo planè verum esse videtur, quod ex D. Gletle notavimus, prædictas Leges ex parte Rei, seu lædentis, esse merè pœnales, & ante sententiam non obligare ad reparandum damnum. Prob. 3. damnum, sine omni culpa Theologica datum & sine advertentia ad culpam coram Deo, est involuntariè & quasi casu fortuito datum, non minùs, ac si detur ab amente, furioso &c. ergo coram Deo & in con-

conſcientia non datur obligatio reſarciendi, & æquè parùm, atque ſi ex caſu fortuito, vel ab amente detur damnum.

Porro aſſertionem intelligo non tantùm de culpa levi, ſed etiam de lata, ſi ſit merè Juridica, & cum peccato ſaltem gravi injuſtitiæ in conſcientia (quod tamen fortaſſis ordinariè non contingit) non conjuncta; ut ſi res alienas, quas bona fide credidiſti eſſe tuas, prodigè aſſumpſiſſes, aut in pueritia ſcienter quidem & voluntariè, at ex Juvenili levitate, alium damnificâſſes, non apprehendens, tuam actionem eſſe Theologicè malam, ſed ſolùm politicè, & pœnæ ſubjectâ, ſi deprehendereris. Idem intelligo de leviſſima quoque culpa, conformiter *leg. 44. pr. ff. ad L. Aquil.* Quæ autem de culpa merè Juridica modò dixi, intelligenda quoque veniunt de culpa eadem in contractibus commiſſa, in quibus præſtari debet culpa Juridica, ſeu levis aut leviſſima, ſeu lata, quæ non eſt conjuncta cum culpa Theologica.

16 Oppones 1. Lex juſta in foro externo eſt etiam juſta in foro interno: ſed Lex Aquilia & Leges Noxales ſunt juſtæ pro foro externo: ergo & pro interno: ergo obligant in foro conſcientiæ interno per ſe & immediatè ante Judicis ſententiam. 2. Leges, quæ concedunt actionem in factum, ex quo damnum, licèt materialiter tantùm injuſtum, alteri eſt ſecutum, non ſunt pœnales, ſed rei perſecutoriæ; cùm cuilibet factum ſuum nocere debeat, non alteri: & alteri per alterum non ſit inferenda iniqua conditio. *l. 74. ff. de R. J.* atque convenientius ſit, illum potiùs ſuſtinere damnum, qui commiſit culpam, licèt Juridicam tantùm, quàm qui ſine omni culpa damnum eſt paſſus: ergo. 3. Non modò Leges Civiles, ſed etiam Jus Canonicum vult compenſari damnum ex culpa merè Juridica datum, uti in *c. 2. 3. 4. 5. h. t.* Sed Jus Canonicum obligat in conſcientia ante omnem ſententiam. 4. In *c. fin. eod.* ſatis clarè exprimitur obligatio in conſcientia; dicit enim textus, eum non excuſari, cujus *imperitiâ, vel negligentiâ* damnum eſt datum, & ſolum illum excuſari, *qui, ut damnum non accideret, de contingentibus nil omiſit.* Confirmatur: In *d. c.* & Legibus Civilibus non fit diſcrimen inter culpam Juridicam & Theologicam, ſed generaliter *culpâ* datum damnum jubetur compenſari: ergo nec nos debemus diſtinguere. R. ad 1. *diſt. Illatum:* ergo obligant in foro conſcientiæ ad aliquid, nempe ad id, ad quod volunt obligare in foro conſcientiæ, quod eſt, ut Judex inſtituta actione condemnet ad reſarcitionem damni, & ut condemnatus reſarciat. *C.* immediatè, abſolutè, & independenter à ſententia Judicis ad reſarcitionem damni condemnante. *N. Illatum*; nam ad hoc vel non potuerunt, vel ſaltem non voluerunt obligare, partim quia hanc obligationem clarè non expreſſerunt, conſequenter in dubio non aſſerenda eſt obligatio, & receſſus à Jure Naturali. *arg. l. 47. ff. de Obl. & Act.* partim quia communior Doctorum, communis hominum perſuaſio, & ipſa praxis non agnoſcit hanc obligationem, partim quia uſus declarat, dictas Leges, licèt fortè (quod tamen verum eſſe non cenſeo) intendiſſent aliquando obligare in conſcientia directè, immediatè, & abſolutè, non eſſe receptas in tali rigore. Sunt ergo vel ex ſe, uti verius eſſe puto, vel ex uſu & communi perſuaſione quoad damnificantem Leges pœnales, quales ſunt aliæ Leges merè pœnales, Venationem &c. prohibentes; in quibus proinde fieri poteſt retorſio argumenti. Ad 2. *diſt. Ant.* Non ſunt pœnales, ſed rei perſecutoriæ, ex parte damnum paſſi. *C. Ant.* ex parte inferentis, ſaltem de facto. *N. Ant.* Convenientius quidem eſt, ut is ferat damnum in foro interno, qui intulit per culpam Theologicam, vel per Juridicam quidem, ſi Leges id præcipiant ante ſententiam; non verò, ſi culpa merè Juridica fuit commiſſa, & propter hanc ſolam Leges non imperant reſarcitionem ante ſententiam; uti revera non imperant; quod oſtendimus. Ad 3. Jus Canonicum, ubi loquitur de culpa merè Juridica, cùm clarè non exprimat obligationem in conſcientia ante ſententiam, cenſetur ſequi Leges Civiles, ac tantùm tribuere actionem, & hac mediante, ac ſententia Judicis interveniente, ad reſarcitionem damni obligare. Ad 4. Ibi vel eſt ſermo de culpa Juridica lata, quæ eſt conjuncta, uti ordinariè ſolet eſſe, cum peccato in conſcientia, quia textus ſubdit, *nec ignorantia te excuſat, ſi ſcire NB. debuiſti, ex facto tuo injuriam veriſimiliter poſſe contingere:* vel ſi de culpa merè Juridica ſermo ſit, non tamen ſatis clarè videtur textus exprimere obligationem ante ſententiam; quia non dicit, *nulla* ignorantia, *nulla* imperitia, *nulla* negligentia te excuſat; ne condemnet, quem Jus Naturale & Divinum, imò & Civile, non condemnat. Ad *Confirmat.* Imprimis *c. fin. cit.* ſatis diſtinguit, quia dicit, *ſi ſcire debuiſti.* deinde rationes noſtræ ſatis evincunt, diſtinctionem neceſſariò eſſe faciendam inter culpam Theologicam & Juridicam.

Dico 3. Datur tamen probabiliùs obligatio 17
in conſcientia poſt ſententiam Judicis ad reparandum damnum ex culpa merè Juridica, vel quaſi-delicto datum. Adeóque Lex Aquilia & Leges Noxales mediatè, & conditionatè, ſi nempe Judex inſtituta actione, quam dant dictæ Leges (non verò immediatè & abſolutè) condemnet, obligant ad reſarciendum in conſcientia damnum, ferè ſicut Leges pœnales ad pœnam. Ita communior & verior cum Molina *tr. 2. d. 698. n. 5. 6.* & plerisque prioris Aſſertionis Patronis contra Rebell. P. Krimer, P. Haunold. P. Schmier. *de delict. p. 3. c. 1. n. 90.* quibus favent, ut audio, in ſuis Manuſcriptis celebres Romanæ Theologiæ Profeſſores P. Nicol. Martinez, & P. Angel. Alemanni, uti & plurimi Legiſtæ, ac inter hos mei Domini Collegæ omnes, quod ſcio. Iſti, ſaltem P. Haun. & P. Schmier, fatentur quidem, poſt ſententiam dari obligationem *in* foro conſcientiæ, ſed non *pro* foro conſcientiæ, h. e. ita ut, quando Judex ſecundùm Legem Aquiliam & Leges Noxales, quæ juxta ipſos fundantur in præſumptione culpæ Theologicæ, cujus abſentia non ſatis probari poteſt, re-

parationem damni imperat, huic quidem præcepto parendum sit, si absque scandalo declinari nequeat, occultam tamen compensationem facere postea sit licitum. Vel contendunt, obligationem reparandi in conscientia, si detur post sententiam, jam antecedenter fuisse datam. Probatur autem nostra Assertio 1. Lex Aquilia, & Leges Noxales, sunt rationabiles & justæ, utpote fundatæ in bono publico, ut homines reddantur cauti, ne aliis noceant vel per se, vel per suos, etiam animalia: ergo sententia secundùm has leges lata etiam est justa: sed sententia justa & secundùm Leges lata obligat in conscientia; cùm Jus Naturale exigat, ut pareatur Judici justè & secundùm leges imperanti, uti patet etiam in sententia Judicis pœnam juxta leges pœnales infligentis. Itaque dictæ leges obligant in conscientia conditionatè, si Judex institutâ actione condemnet culpæ Juridicæ reum, vel obligant mediatè seu mediante sententia. Prob. 2. Si post sententiam non daretur obligatio, nec Judicum auctoritas esset satis firma & efficax, nec Legum finis sufficienter obtineretur; quia non obstante Judicis sententia & præcepto posset absque peccato non fieri reparatio damni dati, vel, si fieret, licita foret occulta compensatio, atque sic Judicium redderetur elusorium, & efficaciter non fieret, quod Leges justæ intendunt: quod repugnat Juri Naturali.

18 Oppones 1. Lex Aquilia fundatur in præsumptione culpæ Theologicæ: ergo, ubi nulla intervenit culpa Theologica, nec sub conditione sententiæ Judicis, vel ea mediante, obligat dicta Lex, utpote nitens suppositô falsô; cùm præsumptio debeat cedere veritati. *Antec. prob.* tum ex eo, quia Lex Aquilia loquitur de damno *injuriâ* dato. *pr. Inst. & l. 3. ff. ad L. Aquil.* injuria autem supponit culpam Theologicam; tum quia Lex Aquilia non stringit amentes, furiosos, infantes, si damnum inferant: cujus rei ratio alia non est, quàm quòd doli & culpæ Theologicæ capaces non sint: ergo. 2. Lex Aquilia, uti & Leges Noxales, non dant actionem contra eum, qui casu merè fortuito intulit damnum: sed damnum sine culpa Theologica datum censetur esse datum casu fortuito, utpote inscienter, indeliberatè, involuntariè datum. 3. Sententia Judicis nô potest esse majoris ponderis & efficaciæ, quàm sint Leges: sed Lex Aquilia & Leges Noxales juxta nos non obligant in conscientia ad reparationem damni, imò non possunt obligare, cùm Jus Naturale non obliget, ubi nulla est culpa Theologica, Humanæ autem Leges contra Jus Naturale nihil possint: ergo nec sententia Judicis obligare potest. 4. Vel sententia, secundùm præfatas leges lata, est justa, vel injusta: si injusta, utique non obligat: si justa, jam supponit jus Naturale in læso, quo exigat vel exigere possit reparationem damni, & non primùm confert: ergo, si in conscientia datur obligatio reparandi damnum post sententiam, hoc ipso datur ante sententiam; quod priùs negavimus. R. ad 1. *N. Ant.* Ad probationem: Lex Aquilia loquitur quidem de damno, quod datur per injuriam, at Juridicam, non Theologicam: *injuria in sensu Juridico* seu Juridica est omne id, quod jure non fit, vel quod nullo jure fit. *pr. Inst. de injur. §. 2. Inst. & l. 5. §. 1. ff. Ad L. Aquil.* seu citra vel contra jus alterius, sive dein culpa Theologica seu advertentia ad peccatum coram Deo accedat, sive non. Amentes, furiosi, infantes, & alii non capaces doli, ideo non possunt convenire ex Lege Aquilia; quia nec diligentiæ ad cavenda damna aliena, quam ista lex vult adcuere, adeóque nec culpæ & injuriæ Juridicæ capaces sunt. Ad 2. *dist. min.* est datum casu Theologicè fortuito. *C. Min.* Juridicè fortuito, quando est datum injuriâ vel culpâ mere Juridicâ. *N. Min.* Quamvis autem nec ante, nec post sententiam aliquis obligari possit, inclusa conventione speciali &c. ad præstandum casum tam Juridicè quàm Theologicè fortuitum, potest tamen per sententiam Judicis imponi obligatio ad præstandum casum naturaliter fortuitum, & ad reparandum damnum non sine culpa Juridica, vel quasi-delicto, datum. Ad 3. Sententia Judicis, reparationem damni, ex culpa Juridica vel quasi delicto dati, imperantis omne suum robur & vim habet à Lege Aquilia & Legibus Noxalibus sub conditione, si Judicis auctoritas & sententia accesserit, obligantibus ad reparationem, adeóque sententia non est propriè majoris ponderis, quàm sint Leges, sed tantùm positio & potificatio conditionis, ut legum obligatio fiat absoluta. Vel Judex tantùm exequitur, quod leges volunt sub hac conditione, *si Judex ad reparationem*, uti debet, *condemnet*. Interim dictæ Leges nihil statuunt contra Jus Naturale præceptivum vel prohibitivum, sed tantùm præter illud, seu imponunt mediante sententia Judicis obligationem, quam Jus Naturale non imposuit determinatè, uti fit in pluribus aliis Legibus merè Humanis, imò in omnibus. Ad 4. dico, sententiam esse justam, utpote secundùm Leges latam; propterea tamen non supponit jus jam absolutum in læso ad exigendam reparationem damni, sed primùm tribuit. Jus enim Naturale, uti & Lex Aquilia ac Leges Noxales solùm obligant ad reparandum damnum sub conditione, si jubeat legitima potestas.

Ex dictis infero 1. damnificatum ex culpa Juridica vel quasi-delicto alterius non posse ante sententiam, & extra viam Juris, sibi ipsi ex bonis ejus, per quem, vel per cujus homines aut animalia damnum est passus, reparationem illius quærere. 2. nec ei licitum esse aliena animalia in agris, vel segete, deprehensa interficere, includere, vel eis damnum inferre; quia ipsi competit ordinarium Juris remedium adversùs dominum, ut reparet damnum. Abigi proinde debent animalia sine damno, vel dominus moneri, ut recipiat, *l. 39. ff. ad L. Aquil.* Si tamen inclusio fieret præcisè, ut veniatur in cognitionem domini, vel, uti receptа passim consuetudo permittit tolli Rebuffus de reparat. ter *decis. 5.* Mævio, D. Verlohmer *addit. ad Wesenb. de reparat. pœn.*

pecor. & de pauper. n. 3. cum Jure Bavarico *tit. 27. a. 7. 8.* quasi pro pignore, usquedum dominus satisfaciat pro damno, licitè fieret. 3. damnificantem, si post sententiam Judicis reparavit damnum, non posse occultam facere compensationem ejus, quod solvit; quia solvit, quod solvere debebat in conscientia. 4 eundem tamen, si damnum est datum ex ejus quasi- delicto per hominem, v. g. domesticum, posse ab isto domestico repetere, quod solvit. per *l. 1. seqq. ff. de his, qui effuder.*

20 Dico 4. *Repressaliæ*, quæ vox barbara est, Græcè *Androlepsiæ*, Latinè *Pignorationes*, Germanicè Pfändung/ ein beweglich/ eingethanes Unterpfandt/ dicuntur, & nihil aliud sunt, quàm si res & bona alicujus, vel ipsa persona, capiuntur pro delicto aut debito alterius generaliter loquendo sunt illicitæ, sive fiantà Principe vel Republica per litteras, per quas subditis aut militibus suis injustum damnum passis dat potestatem invadendi terras eorum, qui damnum intulerunt, & occupandi bona incolarum, etiam innocentium, in compensationem damni: sive à Nobili vel Statu Imperij subditos alterius Nobilis vel Statûs, eorúmque bona mobilia, ob litigosam jurisdictionem vel possessionem alicujus juris, capiente vel in pignus accipiente: sive à privatis hominibus erga privatos, eorum bona occupando in compensationem damni sibi illati ab eorum domesticis, vel animalibus; vel quando quis turbat alienam possessionem, & captis pignoribus sibi ipsi compensare damnum intendit. Sed si à privatis vel Nobilibus fiunt, præsertim ob turbatam jurisdictionem vel possessionem, vel ob illatum damnum, potiùs Pignorationes, quàm Repressaliæ appellantur, licèt ambæ in *c. un. h. t. in 6.* confundantur. Assertio probatur ex *c. un. cit. l. 1. §. 4. ff. uti possidetis. Nov. 52. c. 1.* ubi injurijs annumerantur; quia innocenti infligere pœnam, etiam in bonis suis, vel propria auctoritate illa invadere illicitum est. *arg. l. 26. ff. l. 22. C. de pœnis. & Nov. cit.* Dixi, *generaliter loquendo*; nam Repressaliæ, quæ publica Principis vel Reipublicæ auctoritate fiunt, licitæ evadunt, si hæ conditiones concurrant: si indicantur auctoritate Principis, potentis aliàs bellum indicere: si talis adsit causa, ob quam aliàs posset bellum moveri, ut si Princeps vel Respublica, contra cujus subditos fiunt Repressaliæ, recusét reddere per injuriam ablatum: si alio modo, etiam post requisitionem, nequeat obtineri satisfactio: si non fiant ultra damnum acceptum: neque directè in personas innocentes, sed tantùm in bona eorum; quia hæ conditiones bellum reddunt licitum, quidni & repressalias? cùm sic puniatur Princeps, refarcire recusans illatum damnum, in suis subditis. Quid autem requiratur, ut Pignorationes à Statibus Imperij adversùs se mutuò liceant, tradit Gail *de Pignorationibus observ. 3. & observ. 12.* Quòd verò inter privatos liceant, si animal v. g. vicini inferat damnum, & interea capiatur & retineatur inclusum instar pignoris, donec satisfiat pro damno illato, declarat consuetudo & Jus Bavaricum, ut *n. præced.* dictum. Gail. *observ. 9. in fine*, qui quoad hanc materiam utiliter confertur in *d. tract. per totum.* Cæterùm Repressaliæ etiam sub dictis conditionibus non licent contra Clericos, & contra Studiosos, eorúmque bona. *c. un. cit. & auth. Habita C. ne filius pro patre.* Id quoque intelligendum videtur de Pignorationibus, sicubi & aliquando licitæ sunt; cùm sint odiosæ, & ideo ad personas specialiter privilegiatas non extendendæ. P. Schmalzgrueber *h. t. n. 117.*

TITULUS XXXVII.
De Pœnis.

SUMMARIUM.

1. Ingressus ad præsentem materiam.
2. 3. Quid & quotuplex sit pœna.
4. Quis pœnæ obnoxius.
5. Judex supremò inferior de Jure scripto non habet potestatem aggratiandi, sed tenetur pœnam à Lege determinatam infligere.
6. Licèt ex suis causis eam mitigare vel exasperare possit.
7. Reiterans delictum an iterum puniri valeat.
8. 9. 10. An pœnæ incurrantur ante sententiam Judicis.
11. An ab iis excusét ignorantia. Remissivè.
12. Quid & quotuplex sit infamia.
13. 14. Mulctæ pecuniariæ, Confiscatio bonorum, in Expensas Condemnatio, Incarceratio.
15. 16. Irregularitas quid sit: ex quibus defectibus & delictis contrahatur.
17. 18. Depositio, & Degradatio quid & quotuplex: quomodo fiat ultima.
19. Infamia ex delicto non incurritur nisi ex notorio: quomodo tollatur.
20. Effectus infamiæ.
21. Mulctas pecuniarias etiam Judex Ecclesiasticus rectè injungit quandoque.
22. Confiscatio bonorum quando habeat locum.
23. Quando victus victori condemnetur in expensas.
24. Incarceratio non tantùm custodiæ, sed etiam pœnæ causà adhiberi potest.
25. 26. Irregularitas ex delicto probabiliùs incurritur ab ignorante; non tamen à probabiliter dubitante, excepto unico casu.
27. Effectus irregularitatis.
28. Tollitur per Dispensationem, & aliqua etiam per Professionem Religiosam.
29. Propter quæ crimina Depositio,
30. 31. Et Degradatio cum traditione in manus Potestatis Sæcularis fieri possit.
32. Quæ sint partes Judicis Sæcularis in sibi traditum.

CUm liber V. Decretalium, in quo versa- 1
mur, duas potissimùm partes complectatur, *Delicta* & *Pœnas*, absolutâ priore nunc transitus fit ad posteriorem; parùm enim fuisset illa prohibere, nisi etiam condignis malefactores pœnis afficerentur, ut, quos à delictis non retrahit virtutis amor, saltem cohibeat pœnarum timor. In præcedentibus *Titulis* ubique ferè jam adduximus pœnas in singula

gula delicta specialiter à Jure statutas; ut tamen habeatur plenior illarum notitia, subnectitur modò *titulus* specialis *de Pœnis* tam in genere, quàm in specie, eisque *Vindicativis* pro foro *externo*; nam de pœnis pro foro *interno*, seu de *Pœnitentiis* aget *titulus* subsequens, & de *Medicinalibus* seu Censuris tractabit alter de *Sententia Excommunicationis*.

§. 1.

De Pœnis in genere.

2 Sciendum 1. Pœnam in genere sic definiri posse: est *justa delicti coërcitio*. Cujacius, Zoes. *ad ff. tit. de pœn. n. 1.* P. Schmier *de delictis p. 1. c. 3. n. 15.* Dicitur 1. *justa*, ut insinuetur, quòd infligi pœna debeat ab eo, qui publica authoritate & jurisdictione in delinquentem præditus sit, ac insuper quòd oporteat esse proportionatam & commensuratam delicto, cum suis circumstantiis considerato. 2. *delicti*, hoc enim causa & quasi mater est pœnæ; quippe *sine culpa*, nisi subsit causa (qualis reperitur in crimine læsæ Majestatis, ubi ob hujus atrocitatem, & in quibusdam aliis criminibus, ubi ob timorem, ne filii sequantur improbitatem patris, puniuntur & filii. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. can. 22. caus. 6. q. 1.* vel alii, ubi delicta graviora corrigi nequeunt, si severitas se non extendat ad innocentes. *can. 3. caus. 15. q. 8.* quamvis respectu horum non videatur esse propriè pœna.) *sine culpa*, inquam, *nisi subsit causa, non est aliquis puniendus. c. 23. de R. J. in 6.* Et: *ubi reperitur delictum, ibi fit pœna, ubi noxia est, peccata suos teneant auctores, & nemo alieni criminis constituendus successor. l. 26. ff. l. 22 C. h. t.* 3. *coërcitio*, h. e. castigatio vel ultio. Magis placet hic terminus *coërcitio*, quàm terminus *vindicta*, quem adhibet *L. 131. ff. de V. S.* dum ait, *pœna est noxæ vindicta*; quia magis abstrahit à pœna *Medicinali* & *Vindicativa*; cùm, licèt in hoc Titulo principaliùs agatur de pœna Vindicativa, quàm de Medicinali, placeat dare definitionem pœnæ in genere, prout abstrahit à suis speciebus. Cæterùm *pœna*, quamvis alii aliam hujus vocis derivationem statuant, rectè dici mihi videtur à *puniendo*, non obstante, quòd loco vocalis *u* habeat diphtongum *œ*; quia inter utramque magna est affinitas, ut patet ab exemplis: sic à *munire* venit vox *mœnia*, & à *Pœnis*, vox *Punicus*. Quando quis punitur in pecunia, dicitur *Multa*, vel *Emenda*, vel *Compositio*. Pœna in genere differt à Multa tanquam genus à specie; nam pœna dicit omnis generis punitiones universim.

3 Sc. 2. Pœnam variè dividi. 1. in Legalem, Judicialem, & Conventionalem: *Legalis* vocatur, quæ à Lege ipsa: *Judicialis*, quæ à Judice: & *Conventionalis*, quæ Partium, quæ in contractibus pœnam in non servantem pacta cõventa adjiciunt, conventione imponitur & determinatur. Nec obstat, quòd Partes, tanquam personæ privatæ, jurisdictionem in se non habeant; quia auctoritate Legum pœnam statuunt, quæ sic firmari contractus, & contrahentes ex mutua conventione strictiùs obligari volunt. 2. in *Ordinariam*, quæ ferè coincidit cum Legali, & est, quæ vel per Legum Scriptam vel per Consuetudinem jam est determinata, & in *Extraordinariam* seu *Arbitrariam*, quæ à Lege, Statuto, Consuetudine non est definita, sed à Judice, cujus arbitrio relinquitur, pro delictorum & delinquentium qualitate, primùm determinatur & infertur, atque ideo vix differt à Judiciali. 3. in Criminalem & Civilem. *Criminalis* dicitur, quæ principaliter tendit ad vindictam publicam, seu ad disciplinæ publicæ emendationem, ut nempe satisfiat Reipublicæ per delictum læsæ. *Civilis*, quæ principaliter & per se tendit ad commodum privatum civiliter agentis super crimine, ut nempe homini privato per crimen alienum læso satisfiat. 4. in Vindicativam & Medicinalem. *Vindicativa* est, quæ publicæ utilitatis gratiâ imponitur pro injuria ipsi Reipublicæ illata, & vix differt à Criminali. *Medicinalis*, quæ potiùs ad emendationem ipsius delinquentis irrogatur. Si pœna puriſſimè & unicè infligitur in vindictam delicti & adconservationem publicæ disciplinæ, rigorosissima est vindicativa, uti est inflictiva mortis, mutilationis, aut sanguinis effusiva; & in hoc fori pœna Vindicativa non reperitur in foro Ecclesiastico; bene tamen, si pœna vindicativa sumatur propriè quidem, sed minùs rigorosè, nimirum pro pœna criminali directè in odium delinquentis, ultionem criminis, & publicam utilitatem imposita, licèt secundariò per eam respiciatur emendatio puniti. per *c. Novimus 27. de V. S. §. pro illo verò.* 5. in Capitalem, Corporalem, & Spiritualem: *Capitalis* est, qua adimitur vita vel Naturalis, ut est ultimum supplicium, & huic æquivalens proscriptio seu bannum Imperiale, quo vita malefici, impunè occidendi, omnium manibus exponitur, Vogl-frey gemacht wird: vel vita Civilis, dum quis privatur libertate & civitate, atque sic Respublica patitur diminutionem capitis, ut Jura loquuntur, quod olim fiebat damnatione ad metalla, vel ad opus publicum, interdictione ignis & aquæ; hodie verò damnatione ad triremes: sic fiat in perpetuum, æquivalet pœnæ mortis. *Corporalis*, seu *Corporis affictiva* est, qua affligitur corpus, salvâ tamen vitâ Naturali & Civili, uti fustigatio, das Ausstreichen / expositio ad pastellum seu ad numellas, auff den Pranger / und Hals-Eysen stellen / relegatio ad certum vel incertum tempus, aus dem Land schaffen / das Land verweisen / inustio stigmatum, Brandt Mahlen / exoculatio quæ tamen hodie videtur in desuetudinem abiisse, amputatio aurium, manûs, linguæ, labiorum &c. item incarceratio. *Spiritualis*, qua quis privatur bono vel jure aliquo spirituali, & sic punitur in anima principaliter, uti contingit per suspensionem, depositionem, excommunicationem &c. Corporali etiam opponitur *animi affictiva*, qua immediatè afficitur animus, aut aliquo jure privatur, ut fit per infamiam. 6. in *Realem*, qua quis immediatè in bonis suis punitur, uti per confiscationem bonorum, privationem bono-

beneficii, mulctam pecuniariam, in *Personalem*, qua immediatè ipsa persona, uti per verberationem, depositionem, relegationem ad triremes, & in *Mixtam*, quâ tam in bonis quàm in persona sua, ut fit per Interdictum, exilium. 7. in *Positivam*, cujus executio requirit aliquam actionem, sive ipsius delinquentis sive alterius, uti exilium, solutio pecuniæ, verberatio, incarceratio &c. & in *Privativam*, quæ privat aliqua re vel jure, sine interventu actionis ponendæ vel à delinquente vel ab alio, uti censuræ, irregularitates, inhabilitates, irritationes actuum. 8. denique in pœnam *latæ sententiæ*, quæ nimirum ipso facto incurritur, ac à Jure jam est inflicta, & in pœnam *ferendæ sententiæ*, quæ nempe sic statuta est, ut primùm per sententiam Judicis condemnantis infligatur. De utraque dicemus plura ad *tit. de Sent. Excom.* & infrà.

4 Dico 1. Subjectum pœnæ est omnis & solus homo delinquens. 2. quandoque etiam jam mortuus. 3. item communitas quoque hominum delinquentium, sed modô diversô. Pars 1. claret, quia pœna est pedissequa culpæ seu delicti; & nemo alterius delictô gravari, atque delicta suos tenere authores debent. *l. 26. ff. l. 22. C. h. t. l. 74. ff.* & *c. 22. c. 23. de R. J. in 6.* Nisi nimirum Leges expresè velint ex justa causa etiam liberos v. g. privare quibusdam bonis, ut magis puniant parentum atrociora crimina, v. g. læsæ Majestatis, aut Hæresis. *l. 5. §. 1. C. ad L. Jul. Majest. c. 10. 12. h. t. c. 10. de hæret. c. 15. eod. in 6.* Pars 2. constat ex *c. 12. de sepult. c. 8. de hæret.* ubi excommunicati, hæretici, & alii delinquentes sine pœnitentia mortui privantur sepulturâ sacrâ. Imò vi consuetudinis aliquorum corpora, licèt pœnitentes decesserint, relinquuntur inhumata vel in patibulo suspensa ad aliorum terrorem: quandoque autem jam sepulta exhumantur, & vel suspenduntur in furca, vel implicantur rotæ, vel traduntur igni. Item ex *l. 20. ff. de accusat. l. fin. ff.* & *l. fin. C. ad Leg. Jul. Majest.* ubi propter crimen Repetundarum, & Perduellionis, confiscantur bona delinquentium etiam jam mortuorum. Pars 3. ex *l. 7. §. fin. ff. de jurisd. l. 21. §. 9. ff. de furt. Constit. pœnal.* Caroli V. *art. 148.* Addidi tamen, *sed diversô modô*; si enim aliqui tantùm de communitate deliquerunt, singuli sua singulari pœna pro ratione delicti sunt puniendi. per *ll. citt.* nisi fortè videatur parcendum quibusdam ob multitudinem. per *Nov. 30. 11. pr.* & *can. 5. caus. 9. q. 1.* iis tantùm condignâ pœnâ affectis, quos fortè sortitio, v. g. alearum jactus, determinaverit, uti subinde fit apud plures militiæ desertores. Si verò omnes, vel saltem major pars, sunt rei, omnes quidem & tota communitas plecti potest, pœna tamen inæquali; cùm non soleat esse æquale omnium delictum, sed aliqui tanquam coryphæi & capita alios inducere, v. g. ad seditionem, qui proin authores sceleris promeritâ pœnâ, etiam mortis, rectè afficiuntur, cæteri autem non nisi in bonis fortunæ plectuntur, etiamsi aliqui innocentes, uti pueri, fœminæ &c. simul eâdem pœnâ involvantur. Et hinc tota civitas, vel provincia, si delictum sit unum ex atrocioribus, devastari potest, vel omnes in servitutem (minùs propriè dictam apud Christianos) redigi, ut desumitur ex Deut. *c. 13. v. 12. seqq.*

Dico 2. Judex supremô inferior, & qui jus aggratiandi non habet, per se tenetur infligere 5
pœnam à Lege, Canone, Consuetudine, Statuto determinatam. Theologi & Jurisperiti uno ore cum S. Thom. *2. 2. q. 67. a. 4. in C.* Sumitur ex *l. 1. §. 4. ff. ad S. C. Turpill. pr. ff. Ad Municipalem. l. fin. C. ne S. Baptisma.* & *Nov. 82. c. 10.* Item ex *can. 3. d. 4.* vi cujus Judex judicare debet *secundùm* Leges, non *de* Legibus, quæ pœnam delictis jam commensurârunt, & ex *c. 16. de Majorit.* vi cujus inferiori nulla conceditur potestas immutandi Legem Superioris. Accedit ratio; quia Judex inferior non minùs tenetur implere Leges, certam pœnam ab ijs statutam infligendo, quàm Reus eam sibi inflictam sustinendo. Peccat proin Judex in Rempublicam, si mitiorem, in Reum verò, si graviorem, quàm à Jure decreta sit, irroget pœnam. Dixi 1. *Judex supremô inferior &c.* nam Supremus Princeps, cùm Legibus suis non ligetur, pœnam à Legibus decretam vel omnino remittere, vel mitigare utique poterit, quamvis non facilè debeat pœnam, ex integro saltem, remittere; cùm obligatio puniendi aliquo saltem modo indeterminato fundetur in Jure Naturali, tamdiu stringente, quamdiu ratio aut convenientia aliud non permittit: accedit, quòd ex nimia indulgentia foveantur scelera, & sceleratis detur ansa delinquendi. Hoc *jus aggratiandi*, vel mitigandi pœnam, etiam competit sive ex privilegio sive ex consuetudine Statibus Imperij Romani, superioritatem *territorialem* obtinentibus (non alijs Judicibus, Principibus, aut Magnatibus) cùm enim vi juris territorialis possint immutare Leges Communes, etiam Reis pœnam ab ijsdem statutam remittere valent, ut habet communis. Extendit se ista potestas aggratiandi etiam ad pœnas, in Veteri Testamento à Lege Divina delictis impositas, ut docent Catholici cum S. Th. & Covarruv. *variar. resol. l. 1. c. ult. n. 8.* contra Carpzov. & alios Hæreticos; quia Leges Judiciales Antiqui Testamenti per Christum sunt abolitæ. Dixi 2. *per se*; quippe inferiori quoque Judici per accidens immutare pœnas Legales, exasperando vel mitigando pro varietate circumstantiarum, & ex justis causis, à Jure quoque permissum est. *l. 13. §. 7. ff. de bis qui not. infam. l. 16. §. 3. 4. 5. l. 28. §. 3. 10. l. penult. ff.* & *l. 16. 23. C. h. t. l. 3. C. ex quibus caus. infam. l. fere ff. de R. J.* Unde

Quæres, quænam sint causæ mitigandi, vel 6
exasperandi pœnas à Lege determinatas? R. 1. causæ *mitigandi* ut plurimùm se tenent ex persona delinquentis, ut si fuit impubes vel minorennis tempore delicti: si sibi non satis præsens propter somnum, ebrietatem, vehementiam passionis, v. g. iræ, doloris: si est valde simplex vel semifatuus: si ex instinctu potiùs alterius, quàm propriâ malitiâ deliquit: si ob infirmita-

infirmitatem corporis absque periculo mortis nequeat sustinere amputationem membri à Lege decretam: si diuturno carcere jam esset maceratus præter suam culpam, & tantùm ob moram Judicis: si sponte confessus est delictum, vel ultro se Judici stitit, saltem juxta aliquos; imò, si quis proditionis vel perduellionis aut criminis læsæ Majestatis complex totam conspirationem detegit, plenam promeretur condonationem. *l. 5. §. fin. C. ad L. Jul. Majest.* si multum temporis à perpetrato delicto jam fluxit, & delinquens interea se emendavit: si aliàs valdè honestè vixit: si magnorum sit meritorum in Rempublicam: si Nobilis; sed nobilitas solùm est causa mitigandi pœnas corporis afflictivas, non verò pecuniarias, in quibus potiùs habentur severiùs Nobiles; nec mitiùs puniendi sunt in delictis ultimô supplicio dignis (nisi specialiter sint privilegiati) vel si peccent nobilitatis prætextu: prætereà rectè mitigatur quandoque pœna ob multitudinem reorum. Præterea si crimen est solùm attentatum, non consummatum: si damnum delictô illatum non est adeò magnum: si dubium, an delictum sit cum plena deliberatione commissum, vel an & quæ pœna ei à Jure sit decreta; quia Judex in pœnis infligendis regulariter debet inclinare in partem mitiorem. *l. 11. l. 42. ff. h. t.* N. 2. causæ *exasperandi* pœnam sunt 1. locus, in quo fit delictum, ut si furtum vel homicidium sit factum in Ecclesia, vel in conspectu Superioris aliud delictum. 2. tempus, ut si noctu patretur, quia plus terroris habet, & periculi. 3. modus, ut si ex destinato, vel proditorie &c. occîdas alterum. 4. persona, contra quam delinquitur, v. g. si contra Parentes, Sacerdotem, Dominum, Principem &c. 5. iteratio & frequentatio delicti. Utrùm verò fur, qui rupto fune decidit de patibulo, mitiùs puniri debeat, disceptant aliqui, & vulgus quidem existimat; sed plerique docti negant; quia pœna nondum executioni perfectè data. Illa autem vulgi persuasio, quasi condemnatus ad mortem, quem sibi in maritum postulat virgo, liber dimitti debeat vel possit à Judice, vana est & absque fundamento; nisi fortè alicubi consuetudo concedat. Ex dictis autem colliges, pœnas criminum, cùm ordinariè aliqua circumstantia mitigandi vel exasperandi concurrat, ferè *arbitrarias* esse hoc tempore; præsertim in foro Canonico, ubi consuetudo plerasque pœnas fecit arbitrarias, ut notat Engel *h. t. n. 5.* cum Vall. Favétque Tridentinum *s. 25. c. 3. de Ref.* ubi mandat, ne Judices Ecclesiastici sint faciles in ferendis Censuris, licèt in ijs imponendis antiqui Canones fuerint valde proni & rigorosi; cùm experientia doceat, Censuras, facilè & ex causis minùs gravibus latas, contemni potiùs quàm observari.

7 Dico 3. Per se toties puniri quis potest, quoties delictum reiterat ex aliquo intervallo notabili. *c. 1. h. t.* Ratio; quia iteratio delicti est novum delictum, adeóque novâ pœnâ dignum, & novus culpæ reatus novum inducit pœnæ reatum. Neque per frequentiam tollitur vel minuitur dignitas ad pœnam, sed potiùs augetur. Dixi tamen *per se*; si enim delictum est successivum & contra eandem personam iteratum (modò moraliter non fuerit interruptum, puta per deductionem ad Judicium, vel per punitionem) ut fit in insidiosa frequentatio tentata ac tandem consummata occisione certi hominis, item in adulterio, concubinatu &c. tunc in foro humano reputatur pro uno delicto, & unâ pœnâ, licèt graviter, punitur. *l. Mariti 29. ff. ad L. Jul. de adult.* & ibi gl. ac DD. Siquis tamen uno moraliter actu & in eodem æstu plura designet diversa crimina, v. g. aggrediatur hominem, ac inter blasphemias occîdat, eique, postea res suas auferat, atque puniendus est tanquam homicida, blasphemus, & fur. *l. 32. §. 2. ff. ad L. Aquil. l. 7. de privat. del.*

Dico 4. Nulla pœna ferendæ sententiæ incurritur ante sententiam Judicis condemnatoriam. 2. probabiliùs neque conventionali, nisi Partes aliter convenerint, ante eandem Judicis sententiam, & Partis innocentis exactionem. Pars 1. est indubitata; quia Legis licèt pœnam ferendam determinent, ministeriô tamen Judicis illam infligi volunt, adhibita prævia cognitione Judicis sententiam condemnatoriam requirunt. Pars 2. defenditur à Navar. Vasq. Sanch. Less. Palao, contra Felinum & Decium, qui ante sententiam & ante exactionem Partis, atque contra Covar. Suar. Molin. Menoch. &c. qui quidem ante sententiam, sed solùm tunc, quando Pars exigit, pœnam conventionalem deberi existimant. Nostræ opinionis ratio est, quòd incidentes pœnam, nisi claris verbis exprimatur obligationem solvendi pœnam ante sententiam Judicis, & ante exactionem Partis innocentis, videantur apposuisse pœnam juxta naturam & regulam pœnarum Juris Communis, quæ in conscientia per se non obligant ante omnem Judicis sententiam, &, si pœna cedat in favorem alicujus, ante hujus exactionem; si enim non exigatur, censetur remitti.

Dico 5. Nulla pœna positiva, quæ nimirum 9
aliquam requirit actionê vel delinquentis, vel alterius cujusdam, uti nec privativa, quæ videlicet privat jure jam plenè quæsito regulariter incurritur ante sententiam Judicis, declaratoriam criminis, licèt sit latæ sententiæ, & jura dicant, eam *ipso facto*, vel *ipso jure*, vel ante *declarationem* incurri. Covar. Vasq. Sanch. Palao, P. Wiestner *h. t. n. 18.* & communis aliorum. De pœna *positiva* constat negativè; quia ex nullo Jure probatur, quòd Leges Reum defacto obligent in conscientia, ut ante omnem Judicis sententiam, etiam criminis declaratoriam, exequatur in se pœnam, licèt ipso Jure vel facto incurrendam afferant: id quod etiam praxis & consuetudo habet: sic utique nemo se censet obligatum, ut eat ad triremes, fustigationem, vel incarcerationem &c. petat, aut ipse exequatur in se, vel abeat in exilium (licèt Jura tale quid statuant) ante omnem Judicis sententiam. *Defectio*, ite quam; quòd enim Legislatores humani abhi-

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

lutè potuissent obligare delinquentes, ut statim in se ipsos exequerentur pœnas à Jure jam latas ante omnem sententiam, facilè convenit inter Auctores; nisi illæ nimis forent acerbæ, & fragilitati humanæ nimis arduæ, uti est mors, mutilatio &c. cujus executio ab ipso delinquente faciendâ sperari prudenter non posset. De pœna *privativa* patet ex *c. 19. de hæret. in 6.* ubi Hæreticis, quamvis ipso Jure priventur bonis suis à die commissi criminis, eadem auferri à Fisco non posse dicitur ante sententiam criminis declaratoriam: *declaratoriam criminis*, inquam, non *condemnatoriam*; quia hanc Jus jam tulit, & ad certam pœnam jam condemnavit reos. Dixi autem 1. *jure jam plenè quæsito*; si enim Leges privent jure primùm quærendo, v. g. te reddendo inhabilem ad Beneficium, adimendo fructus beneficii propter omissas Horas Canonicas, auferendo Beneficium Parochiale, si intra annum non suscipias Ordinem Presbyteratûs, negando jus in Beneficio Simoniacè acquisito &c. hæ pœnæ incurruntur absque omni Judicis sententia; quia Leges hujusmodi pœnam irrogantes sunt conditionales, seu alligant acquisitionem juris certæ conditioni, qua non impleta declarant, jus nunquam absolutè obtineri posse. 2. *regulariter*; excipiuntur enim Censuræ. *l. 1. de jent. excomm. & can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4.* item irregularitates, inhabilitates, impedimenta & nullitates Matrimoniorum, electionum, collationum beneficiorum, etiam pœnales, ut habet communis (nisi sint principaliter pœnales, uti impedimentum *Criminis*, juxtà mea principia.) 3. vel *ante declarationem*: quia Jura, hanc clausulam apponentia, possunt intelligi de sententia *declaratoriâ pœnæ*, quòd nempe nulla ampliùs requiratur declaratio pœnæ, non verò *de declaratoria criminis*. Covarruv. & alii. quamvis quoad hanc clausulam, *sine alia declaratione*, alii aliter sentire videantur.

10 Oppones 1. Ex nostra assertione sequitur, frustrà poni à Jure has clausulas, *ipso Jure*, *ipso facto* &c. ergo. 2. Quando Jura statuunt confiscationem bonorum, vel privationem beneficii jam plenè acquisiti &c. *ipso facto* incurrendam, ante omnem sententiam amittuntur bona, beneficium &c. aliàs enim dicta clausula nihil operaretur: ergo ante omnem sententiam incurritur pœna privans jure jam plenè quæsito. 3. In *Extrav. Ambitiosæ. de reb. Eccles. alien. int. comm.* dicitur Prælatus amittere suam Dignitatem & administrationem propter malè factam rerum Ecclesiasticarum alienationem *absque declaratione aliqua*: ergo nec sententiâ declaratoriâ opus est. R. ad 1. *N. Ant.* operantur enim hos notabiles effectus. 1. non opus est sententiâ condemnatoriâ, sed positâ solùm declaratoriâ criminis Judiciali Reus statim tenetur pœnam exequi vel subire, v. g. dimittere beneficium, non ferre suffragium in Electione &c. 2. perceptos à die commissi criminis post hujus declarationem tenetur restituere fructus; ad quos restituendos non à die commissi criminis, sed à die sententiæ condemnatoriæ, obligaretur, si talis clausula non esset adjecta Legi pœnali. 3. actus & contractus, quos à die commissi criminis gessit, fuerunt tantùm revocabiliter validi, consequenter, si irritari possint, irritandi sunt, v. g. contractus, quos Prælatus post delictum malæ alienationis celebravit. Ad 2. *C. Ant.* propter *l. fin. ff. ad L. Jul. Majest.* & comuniorem Doctorum: sed *dist. cons.* ergo ante omnem sententiam, etiam declaratoriam criminis, incurritur pœna privativa quoad amissionem dominii. *C. Cons.* quoad possessionem, & usum. *N. Cons.* possessio & usus rerum rectè retinetur, donec feratur sententia declaratoria criminis, quam velut conditionem requirit amissio possessionis & usûs. Ad 3. iterum *dist. cons.* ergo nec sententia declaratoria pœnæ requiritur. *C. Cons.* declaratoria criminis. *N. Cons.* Adde, quòd dicta *Extrav.* non sit in tali rigore recepta, ut notat cum Navar. Suarez, aliique.

Dico 6. Invincibilis ignorantia pœnæ, in delicta à Legibus statutæ, probabiliter excusat ab ejus incursione pro foro interno. Assertionem probatam invenies in *lib. I. tit. 2. n. 41. 42.* & in *lib. IV. tit. 7. n. 6. Tit. 13. n. 6.* quò te remitto brevitatis causâ. 11

§. 2.

De quibusdam Pœnis in Specie, videlicet de Infamia, Multa pecuniaria, & Confiscatione bonorum, Condemnatione in expensas, Incarceratione, Irregularitate, Depositione, & Degradatione.

Sciendum 1. *Infamiam* esse privationem vel diminutionem bonæ famæ; seu publicam & sinistram opinionem, per quam fama & existimatio hominis, spectata qualitate & statu personæ, apud viros prudentes graviter læditur. Ita quoad sensum DD. ex *l. 5. §. 1. 2. ff. de Extraord. cognit. l. ea, quæ pater. 13. C. ex quib. caus. infam. c. fin. de tempor. Ordinat.* Est duplex, Juris & Facti: *infamia Facti* oritur ex facto probroso dolosè commisso, seu delicto (aut defectu) ita notorio, ut nulla tergiversatione, vel excusatione colorari vel palliari possit, licèt nulla Lex, nullus Judex, hominem tale quid patrantem declaret infamem. *l. 1. l. 4. ff. de his, qui not. infam.* ut siquis notoriè accedat domum meretriciam, vel aliud gravè crimen, à Jure non notatum infamiâ, committat. Requiritur tamen, ut opinio sinistra, de tali homine concepta, sit communis & publica, seu majoris partis Communitatis, & orta non à fæce hominum, sed à viris gravibus ex probabili ratione. per *c. 27. de Testib. c. 24. de Accusat.* Econtra *Infamia Juris* est, quæ authoritate Legis vel Canonis propter delictum irrogatur: quod fit triplici modo. 1. *ipso Jure*, ita ut opus non sit sententiâ Judicis condemnatoriâ: sic infames sunt, qui prostituendo corpus pro quæstu lenocinium exercent: qui operam suam ad pugnandum cum bestijs locant: qui quæstûs causâ cum homine privatum certamen suscipiunt, vel histriones & turpes ludos agunt pro quæstu: qui Matrimonium cum duabus simul habent: qui hæreseos, vel usuræ 12

usurarum crimine se obstringunt, vel sunt usurarij manifesti: qui perjurium promissorium in contractibus committunt: qui rapiunt fœminam Matrimonij ineundi causâ: duellum suscipiunt: Sodomiam ex consuetudine exercent: quæ ultima tria crimina à Jure Canonico notantur infamiâ, & universim omnia illa, quæ de Jure Civili irrogant infamiam. *can. infames 17. caus. 6. q. 1.* nisi Jus Canonicum expresse in uno vel altero infamiam à Jure Civili statutam tollat. 2. *sententiâ Judicis* validâ, quæ transit in rem judicatam, condemnantis prævia accusatione aliquem de delicto publico, ut est crimen læsæ Majestatis, proditionis, falsi, adulterij &c. *l. 7. ff. de publ. Jud.* vel etiam de delicto privato furti, rapinæ, injuriæ, expilatæ hæreditatis. *l. 7. cit. l. 5. l. 8. l. 12. C. ex quib. caus. infam.* item de dolo in contractu Societatis, Mandato, Deposito, & in Tutela commisso, & de calumnia vel prævaricatione in publico Judicio perpetrata. *l. 1. l. 6. ff. de his, qui not. infam. l. 22. C. ex quib. caus. infam.* Necesse autem non est, ut in sententia fiat mentio infamiæ, modò in ea expressum sit crimen, ut habet communis cum Perez *ad d. tit. Cod. n. 12.* Denique 3. *pœnæ genere*, quando nimirum aliquis ignominiæ causâ & ob delictum exauthoratur militiâ, movetur ordine, privatur honoribus, damnatur in opus publicum ad tempus, vel deportatur, aut justa de causa fustigatur. *l. 3. & 6. C. eod. l. 2. l. 22. ff. de his, qui not. infam.* Ad hanc infamiam reducitur illa, quæ oritur ex alieno delicto, quo modo, in ordine ad certos tantùm effectus in Jure expressos, infames sunt filij parentum rebellium, & spurij: item illa, quæ oritur absque delicto, & ex vili tantùm officio, quo modo in Germania pro infamibus habentur carnifices, lictores &c. ita ut nec ipsi, nec eorum filij, vel ad opificia tantùm, ne dicam, ad officia honorata, admittantur.

13 Sc. 2. *Mulctas pecuniarias*, Practicis cognitas, fundari quidem in Legibus, illis tamen Judicibus, qui quæstum faciunt ex subditorum delictis, dissuadendas esse, ne nimirum omnia ferè aliarum pœnarum genera mutent in mulctas, suæ tantùm avaritiæ & marsupio, non verò bono publico, per scelerum extirpationem consulentes. Improbandæ tamen omninò non sunt, & quandoque etiam vi Legum vel ex alijs justis causis imponendæ, etiam à Judicibus Ecclesiasticis, ut videbimus. His mulctis pecuniarijs vicina est *Confiscatio* seu *Publicatio bonorum*, de veteri Jure frequentissima, omnique delicto capitali, de quo quis condemnatus fuerat, annexa. *l. 1. & seq. ff. de bonis damnatorum*; quam tamen hodie rariorem esse dicemus. Item *Condemnatio in expensas*; quando nimirum temerè litigans, & causâ cadens, victori jubetur à Judice solvere expensas, in litem & occasione litis ab eodem factas: quamvis hæc condemnatio non sit pœna vindicativa, sed compensatoria damni.

14 Sc. 3. *Incarcerationem* non modò custodiæ causâ, ne Reus aufugiat, verùm etiam in pœnam, temporalem vel perpetuam quandoque, decerni, etiam in Clericos. *c. 3. h. t. in 6. Ordin. Cam. Wormat. ann. 1521. tit. 13.* Et quamvis de Jure Imperiali, saltem Antiquo, olim lerit ad perpetuos carceres damnari poterint. *l. 6. C. h. t.* de alijs autem carceri inclusis Imperator *l. 1. l. 5. l. ult. C. de Custod. reor.* dixerit, *aperta definitione sancimus, ut aut convictos veloc pœna subducat: aut liberandos custodia diuturna non maceret. l. 5. cit.* hodie tamen, saltem vi consuetudinis, etiam in foro Civili, carcerem perpetuum in pœnam aliquando statuí videmus.

Sc. 4. *Irregularitatem*, quamvis per se & principaliter pœna non sit, quia tamen, si oriatur ex delicto, per modum pœnæ infligitur. & sic pœna secundariò est (nam principaliter introducta est ob honorem Status Ecclesiastici, quia nimirum Ecclesia judicavit indecens esse, Ordinem Clericalem suscipi vel exerceri ab illi qui certô se obstrinxit delictô, vel certo laborat defectu) ideo rectè hic poni. Definitur esse *impedimentum Canonicum, susceptionem Ordinum, & susceptorum usum, directè impediens*. Dicitur 1. *impedimentum*, per quod verbum, vel ut genus, convenit cum Censuris; ab his tamen differt, quia non necessariò supponit culpam, uti Censuræ, atque hinc pœna non esset sua natura, &, si infligitur propter delictum, habet quidem rationem pœnæ aliquo modo, non tamen Medicinalis (uti Censuræ) sed Vindicativæ de se perpetuæ. 2. *Canonicum*, quia solo Jure Canonico, & quidem Communi, introducta est: unde nunquam incurritur nisi in casibus à Jure Canonico expressis. *c. 18. de sent. excom. in 6.* Neque infligitur per sententiam Judicis. Licèt autem ipsum nomen *irregularitatis* admodum raro expressum reperiatur in Jure, res tamen ipsa sæpius reperitur. 3. *susceptionem Ordinum*, qui effectus est principalis: quare irregularitas cadit quoque in Laicos, & quidem primariò, quia nondum habent ullum Ordinem; quamvis fœminas, utpote jam aliunde Jure Divino incapaces Ordinum, non afficiat. 4. *susceptorum usum*; quod respicit solos Clericos, qui prohibentur exercere actus Ordinum, quos habent. 5. *impedimus*, quo verbo indicatur, validè quidem ab irregulari Ordines suscipi, & exerceri, non tamen licitè & absque peccato gravi, licèt absque nova irregularitate. 6. *directè*, per quod iterum differt à Censuris, uti & à Depositione ac Degradatione; quia hæ impediunt quidem etiam à susceptione ac usu Ordinum, at non quatenus est talis, & directè, sed quatenus susceptiou vel sus Ordinum est communicatio cum Fidelibus, vel Ministerium sacrum, vel Sacramentum, specialiter prohibitum taliter punitis.

Sc. 5. Irregularitatem contrahi ex *duplici* capite, ex defectu, & delicto. *Defectus*, ex quibus contrahitur, sunt 1. defectus Natalium, quo laborant illegitimè nati, & per subsequens Matrimonium non legitimati. 2. defectus originis, qui provenit ex servitute priè dicta, quæ tamen inter Christianos locum non habet. 3. defectus liberationis, dum quis alteri est obstrictus vel in perpetuum vel ad tem-

tempus, uti obligati ad Ratiocinia, servi minùs propriè dicti, & homines proprii, Curiales, Tutores, Curatores. 4. defectus ætatis ad singulos Ordines requisitæ. 5. defectus corporis, qui vel impedit ministerium Ordinis, vel apud alios generat scandalum aut horrorem, vel si quis mutilatus est corpore, aut hermaphroditus &c. Siquis se ipsum castrat, non ex defectu tantùm, sed etiam ex delicto irregularis est. 6. defectus mentis, qualis est in amente, fatuo, lunatico, dæmoniaco, caducô morbô correptis, Neóphytis (h.e. recenter conversis, & in Fidei rebus nondum sufficienter instructis) illiteratis, publicis pœnitentibus. 7. defectus famæ, quo laborant infames omnes. 8. defectus Sacramenti, vel potiùs significationis Sacramenti, uti est bigamia, tam vera quàm interpretativa. 9. defectus lenitatis, qui reperitur in Ministris Justitiæ publicis, & in Militibus in bello justo occidentibus vel mutilantibus, de quo *ad Titulum de Homicidio*. De Infamia hic agemus, sicut de aliis defectibus sparsim in *libro I.* egimus, & de defectu Natalium etiam *in lib. IV. ad Tit. Qui filii &c.* Econtra *Delicta*, si ex objecto suo sint graviter peccaminosa, externa, & in genere suo consummata, irregularitatem inducentia sunt 1. iteratio Baptismi scienter facta, tam activa quàm passiva. 2. mala susceptio Ordinũ, nempe si quis illos susceperit in aliqua Censura, per saltum, furtivè, sine dimissoriis ab Episcopo non suo, vel à jurisdictionem non habente, aut ante legitimam ætatem. 3. violatio Censuræ per solenne Ordinis exercitium. 4. solenne exercitium Ordinis Sacri, quem quis non habet. 5. hæresis. 6. & alia crimina enormia, ac talia, quæ de Jure habent annexam infamiam. 7. injusta occisio vel mutilatio hominis, physicè vel moraliter posita, etiam indirectè tantùm voluntaria. De quibus sparsim tractavimus in hoc *lib. V.*

17 Sc. 6. *Depositionem* simplicem, verbalem, & specificè acceptam, esse pœnâ Ecclesiasticam, solis Clericis propriam, qua vel ab Ordine, vel à Beneficio, vel ab Officio, vel à Beneficio & Officio simul, vel ab omnibus tribus, Ordine, Beneficio, & Officio, per sententiam removentur in perpetuum. Dixi 1. *simplicem verbalem & specificè acceptam*, ut distinguerem à *Degradatione*, quam genericè accepta complectitur, aliàs quoque vocari solitam *Depositionem Realem*: prolatâ simpliciter voce *depositionis* ordinariè venit & intelligenda est Depositio simplex & verbalis, paulò antè descripta, non realis, seu Degradatio; quia in odiosis, quod minimum est, sequi debemus. 2. *solis Clericis propriam*; quia hi soli habent Ordines, Beneficia, & Officia Ecclesiastica; quamvis extendatur etiam ad Religiosos non Clericos, saltem minùs propriè dicta, uti & ad Abbatissas, quia istæ quoque Officium Ecclesiasticum, à quo deponi possint, obtinent. 3. *vel ab Ordine*, Sacerdotali, Episcopali &c. nimirum quoad exercitium; nam ipse Ordo quoad substantiam, & character auferri nequit. 4. *vel à Beneficio*, v. g. à Parochia, Dignitate &c. ita ut penitus amittatur, & simul inhabilitas inducatur ad idem & alia Beneficia obtinenda: per quod differt à Privatione Beneficij, quæ non infert inhabilitatem ad obtinendũ idem vel novum. 5. *vel ab Officio*, v. g. Sacramentorum administratione, jurisdictionis usu, regimine. Cæterùm Depositio præcisè & sine addito prolata denotat *totalem* ab omni munere Clericali, & non merè *partialem* ab Officio, vel Beneficio, vel Ordine tantùm. Reiffenstuel hic *n. 25.* cum Barbosa. 6. *removentur*, scilicet per sententiam Canonicam, vel condemnatoriam, vel, si à Jure jam est lata, criminis declaratoriam, antè cujus prolationem, cùm sit pœna privans jure jam quæsito, non videtur actualiter incurri. 7. *in perpetuum*; unde differt à Suspensione, quacum subinde confunditur; quia Suspensio est pœna Medicinalis, & de se non perpetua: imò, licèt Suspensio (nempe minùs propriè dicta) infligatur perpetuò & per modum pœnæ vindicativæ, tamen ab ista differt quoad effectum Depositio; nam Suspensio talis privat tantùm exercitiô Ordinis & Officij, ac administratione Beneficij: Depositio autem ipsa radice, seu ipso Officio, & ipso Beneficij titulo, ac quasi-dominiô.

Sc. 7. *Degradationem* esse pœnam gravissi- 18
mam, qua Clericus propter criminis atrocitatem, vel incorrigibilitatem, solenniter & authenticè privatur non tantùm Ordine, Beneficio, & Officio, ut fit per Depositionem totalem, sed etiam Statu Clericali, h. e. omnibus Privilegijs Clericalibus, ita ut instar Laici à Sæculari Potestate incarcerari, condemnari, & secundùm Leges Civiles puniri possit, atque percuti absque periculo excommunicationis; quibus privilegiis Fori & Canonis tamen non privat Simplex Depositio. per. *c. 10. de Judic.* Degradatio dividitur in Verbalem & Realem. *Verbalis* seu *Sententialis* est, quando dictæ privationis sententia authentica solenniter profertur. *Realis* seu *Actualis* vel *Solemnis*, quando dictæ sententiæ accedit executio solennis. Degradatio Verbalis præcisè nondum aufert privilegia Clericalia Fori & Canonis, & eatenus convenit cum Depositione Simplici, quamvis ab ista differat per hoc, quòd ordinetur ad Degradationem Realem & Actualem, ita ut ad hanc absque nova sententia procedi possit. Solennitas autem Degradationis Realis in *c. 27. de V. S. c. 2. h. t. in 6. & c. 1. de Hæret. in eod. 6.* Trid. *s. 13. c. 4. de Ref.* atque in *Pontificali Romano* præscribitur sequens: primò degradandus sacris vestibus, Ordini susceptо congruis, induitur. Deinde adducitur ad Episcopum, à quo in præsentia aliorum Episcoporum, vel Abbatum (vel, in horum defectu, aliorum in Dignitate Ecclesiastica constitutorum) & Judicis Sæcularis, singula Ordinum insignia, incipiendo ab eo, quod in ultima Ordinatione ultimô locô traditum erat, usque ad illud, quod cum prima Tonsura, nempe Superpelliceum, acceperat, eidem auferuntur. Tum raditur caput, ut nullum accepti Clericatûs signum appareat, atque subjungit Episcopus hæc verba: *Authoritate Dei omnipotentis, Patris,*

tris, & Filij, & Spiritûs S. ac noſtrâ auferimus tibi habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, ſpoliamus, & exuimus te omni Ordine, Beneficio, & privilegio Clericali. Demum ſic degradatus traditur Judici Sæculari, prævià tamen & efficaciter (h. e. ſeriò & ex animo) interpoſità interceſſione, ut is mitiorem, quàm mortis, pœnam imponat; ne ſcilicet Judex Eccleſiaſticus videatur deſiderare & procurare necem degradati: non verò opus eſt, ut hæc interceſſio eatenus ſit efficax, ut traditus reipſa liberetur à morte. Hæc executio ſeu Degradatio Realis eſt actus Ordinis Epiſcopalis, & ideo fieri non poteſt, niſi ab Epiſcopo Conſecrato: licèt ſententia Degradationis ſeu Degradatio Verbalis ſit actus jurisdictionis tantùm, & ideo ab Epiſcopo, etiam nondum Conſecrato, à Capitulo Sede vacante, & à Vicario Generali ex ſpeciali mandato ponibilis. Atque hanc ſententiam in degradandos Epiſcopos, vel Religioſos Exemptos, per ſe fert ſolus Papa, in inferiores & alios Clericos aut Religioſos ſolus Epiſcopus proprius, coram certa tamen Epiſcoporum, vel Abbatum, vel ſi nec iſti haberi poſſint, Clericorum in Dignitate conſtitutorum numero, nimirum coram ſex, ſi Sacerdos, coram tribus, ſi Diaconus, vel Subdiaconus degradetur verbaliter: qui aſſiſtentes habent ſuffragium non modò conſultivum, ſed etiam deciſivum, & omnes (niſi Miniſtra tantùm eſſet degradandus) unanimiter conſpirare debent, ut habet communior cum Maranta. ex *c. 3. de ſent. & re jud.* Porro actualiter & realiter degradatus à ſolo Papa reſtitui poteſt; degradatus autem verbaliter tantùm etiam ab Epiſcopo. Sylv. *v. Degradatio in fin.*

19 Dico 1. Nulla infamia ex delicto oritur, niſi iſtud ſit notorium notorietate Juris vel Facti. 2. Infamia Juris durat perpetuò, niſi publica authoritate tollatur. 3. Infamia Facti autem ceſſat publica & conſtanti, quæ ſaltem per triennium continuata ſit, emendatione. Pars 1. quam tenet communior cum Abb. Covarruv. Sanch. *lib. 2. Mor. c. 26. n. 1.* contra Sylv. & Barbos. *de Poteſt. Epiſc. alleg. 43. n. 18.* putantes, infamiam Juris incurri poſſe etiam ob delictum occultum, & ante ſententiam declaratoriam Judicis, probatur: quia infamia completa & in actu ſecundo nihil eſt aliud, quàm diminutio bonæ famæ & exiſtimationis: ſed bona fama actu nunquam diminuitur ob delictũ occultum: ergo. Nec obſtat, quòd infamia Juris perpetrationi, non manifeſtationi criminis, impoſita dicatur; quia perpetratio criminis eſt tantùm radix infamiæ, quæ tamdiu in actum ſecundum non prodit, niſi manifeſtatio accedat tanquam conditio, ſicut ignis in actu ſecundo non urit veſtem v. g. niſi accedat applicatio tanquam conditio. Pars 2. patet ex *can. 17. cauſ. 6. q. 1. & l. 6. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* Pro foro Canonico & apud Clericos infamiam Juris abolet Papa, pro Civili & apud Laicos Princeps & Magiſtratus Sæcularis. Pars 3. ex *can. 4. d. 56. & can. 4. cauſ. 35. q. 6.* Ratio; quia infamia facti radicatur in malefacto notorio: ſed iſtud, velut radix, tollitur per facta contraria, & emendationem, conſequenter tollitur & effectus, nempe infamia.

Dico 2. Effectus Infamiæ tam Juris quàm Facti eſt 1. excluſio ab honoribus & dignitatibus, præſertim Eccleſiaſticis; quia, ut loquitur. *c. 87. de R. J. in 6. infamibus penè non pateant dignitatum.* Utrùm verò electio ad Præbeturam Eccleſiaſticam, & collatio Beneficii Curati, vel Dignitatis, ſit ipſo Jure nulla, diſceptatur. Affirmant Abb. Navar. Molin. atque in foro externo praxis habet: negant profectò ſaltem interno Garc. & Palao ex eo fundamento, quòd Jus ſatis clarum, quodirrevocato non afferatur. 2. remotio ab actibus Legitimis, ut adeò infames ſtare in Judicio non valeant tanquam advocati, tabelliones, imò & teſtes &c. multò magis ab officio Judicis, & Aſſeſſorum, repelluntur. *c. 54. & l. 3. pr. ff. Teſtib.* Id tamen non procedit, niſi prius ſupra delicto, quod de Jure inducit infamiam, ſit lata ſententia. Card. Tuſch. *v. Infamia concl. 10. n. 13.* & alij. Item removetur ab hæreditate ex Teſtamento capienda, ſi parentes, vel tres conſanguinei contra ipſos inſtituant querelam inofficioſi. *l. 27. C. de inoffic. Teſtam.* Irregularitas, quam inducit infamia Juris *can. 17. cauſ. 6. q. 1.* Quæ tamen oritur ex infamia Facti, minùs proprièdicta irregularitas eſt; nam proprièdicta, tanquam perpetua in ſe, ſolùm tollitur per diſpenſationem; Irregularitas autem ortum habens ex infamia Facti tollitur cum hac per emendationem vitæ.

Dico 3. Mulctas pecuniarias rectè nonnunquam injungit Judex quoque Eccleſiaſticus, etiam quando definitio pœnæ permittitur arbitrio Judicis. *c. 4. de off. Jud. Deleg. c. 19. de off. Jud. Ord. c. 4. de Raptor. c. 2. h. t.* Trident. *ſeſſ. 25. c. 3. de Ref.* Accedit praxis, & ratio, quia à delinquentibus, præſertim avaris eu clionibus, ſubinde magis timetur pœna pecuniaria, quàm corporalis, & ſic magis ſervit ad abſterrendum à delictis. Id tamen diligenter cavere debent Judices Eccleſiaſtici (uti & Laici) ne de avaritia & lucri cupiditate ſe facturi ſuſpectos nimis frequenter mulctando in pecunijs, eásque ſuæ burſæ applicando. Ethinc Trid. *c. 3. cit.* jubet, ut illæ *pijs locis, ibi existentibus, aſſignentur*, conſequenter nec Epiſcopi, aut eorum Fiſco applicandæ. Unde ſolvitur objectio, quæ petitur ex *c. 3. h. t. c. 13. de Offic. Jud. Ord. 9. fin. & c. 13. de Vita & honeſt.* ubi videtur prohiberi exactio pœnæ pecuniariæ; quia hæc Jura loquuntur de caſibus, ubi aliæ ſunt jam à Jure præſcriptæ pœnæ, vel ubi pecuniariæ injunguntur ſine juſtæ correctionis cauſa, vel non obſervato Judicij ordine, vel quando mulctas ſibi ipſis applicant Judices. Dices: *nullam Reus pertimeſcit culpam, quam redimere nummis exiſtimat*; ut ait *can. 72. cauſ. 11. q. 3.* ſed principalis cura Judicum Eccleſiaſticorum eò debet tendere, ut fideles pertimeſcant culpam, & per pœnas ab ea abſterreantur. R. *Ma.* univerſaliter non eſt vera, ut patet à poſteriori; & eâ univerſaliter admiſſâ ſequeretur, nec Judices Laicos poſſe mulctare pecu-

niis

niis delinquentes; quod apud omnes est falsum.

Dico 4. Confiscatio bonorum de Jure noviori locum non habet in omnibus delictis, propter quæ quis morte punitur. 2. sed tantùm in ijs, in quibus de eodem Jure noviore statuta est confiscatio, vel de Jure antiquo specialiter & per se, non in consequentiam, determinata, uti in *Nov. 12.* pro incestis nuptijs, & alibi pro crimine læsæ Majestatis: nec illa, quæ in *l. 1. §. ult. l. fin. §. 1. ff. de requir. vel absent. condemn.* in reos contumaciter ultra annum absentes statuta est, hodie abrogata videtur. 3. ubi autem confiscatio hodie locum invenit, Fiscus quidem capit bona damnati, excluſis omnibus consanguineis ejusdem collateralibus; si tamen ascendentes vel descendentes damnati usque ad tertium gradum adsint, isti præferuntur Fisco, excepto crimine læsæ Majestatis, & aliis, in quibus consuetudo alicubi favet Fisco, excluſis etiam ascendentibus & descendentibus. Ita P. Schmier de Delictis *p. 1. c. 3. a n. 311.* cum Brunem Mathia Stephani & aliis, ex *Nov. 134. c. 13.* ubi sancivit Imperator, *in crimnibus, in quibus Leges mortem aut proscriptionem definiunt, substantiam damnatorum non fieri debere lucrum Judicibus, aut eorum officijs, neque secundùm veteres Leges Fisco applicari: sed, si quidem habeant descendentes & ascendentes usque ad tertium gradum, eos habere.* Ubi etiam erroris arguit Irnerium, qui in *Auth. bona damnatorum C. de bon. proscript.* contra textum *Nov. cit.* etiam consanguineos collaterales admittit præ Fisco ad succedendum in bonis damnatorum; apud quos confiscatio bonorum locum obtinet.

Dico 5. Ut victus victori condemnetur in 23
expensas litis, requiritur. 1. ut victor id petiverit vel expresè, vel tacitè, v.g. exigendo, ut sibi jus & justitia administretur. 2. ut victor, quando fertur sententia, sit præsens. 3. ut plenam, & non privilegiatam tantùm, probationem (qualis esset, si tantùm semiplenè probâsset, & hanc probationem per juramentum suppletorium complêsset, non verò, si plus quam semiplenè probâsset, & Pars adversa nihil) suæ causæ attulerit. 4. ut victus vel calumniosè & per dolum, vel saltem temerè absque probabili & justa litigandi causa, litigaverit. 5. ut Judex, postquam victor suas expensas æstimavit, easdem postea secundùm æquum & justum taxet, victor autem post hanc taxationem juret, se expendisse tantum, quantum definivit Judex. Pars 1. quam tenet communis cum Covarruv. *Pract. qq. c. 27. n. 5.* suadetur indè, quia Judex non impertitur suum officium, nisi requisitus à Partibus. Pars 2. sumitur ex *c. 4. b. t. l. 13. §. 6. C. de Judic.* Pars 3. defenditur à Barbosa in *c. 4. cit. n. 9.* & aliis passim. Pars 4. constat ex *l. 79. ff. de Judic. l. 78. §. 2. ff. de Legat. II.* Nec obstat, quòd victus præstiterit juramentum calumniæ; licèt enim hoc juramentum possit excusare à calumnia, non tamen excusat à temeritate semper. In dubio, an victus habuerit justam causam litigandi, præsumitur contra ipsum, ut cum *gl. in c. cit. v. Victori.* notant DD. Pars 5. fundatur in *c. 7. de Injur.* & communi. Utrùm verò tantùm in causis pecuniarijs victus victori, ubi adsunt recensitæ conditiones, vel etiam in Criminalibus condemnandus sit, disputant DD. Mihi videtur communior & verior affirmativa, quam etiam tradidi ad *tit. 11. de Calumniat. n. 3.*

Dico 6. Incarceratio non solùm *custodiæ* cau- 24
sâ de utroque Jure rectè adhibetur, modò carcer non sit sordidus & corporis afflictivus, sed conveniens qualitati criminis & personæ, donec finiatur causa. 2. prævia tamen aliquâ informatione saltem extrajudiciali de infamia delinquentis, & de indicijs criminis. 3. sed etiam *pœnæ*, causâ saltem de Jure Canonico, tam respectu Laicorum, criminis Ecclesiastici, v.g. hæreseos reorum, quàm Clericorum. 4 & quidem etiam perpetua. 5. at respectu Clericorum non nisi in casibus Jure expressis, & ob delicta, quæ in foro Civili puniuntur pœnâ mortis non qualicunque, sed atrociori, v.g. igne, rotâ, laceratione membrorum. Pars 1. & 2. habetur. *l. 8. §. 9. ff. h. t. c. 15. de sent. Excomm. in 6.* Trid. *s. 25. c. 6. de reform.* Quòd autem præcedere debeat aliqua informatio, suadet etiam ratio; quia incarceratio magnam delicti suspicionem, & sic infamiam, ac præjudicium non facilè reparabile generat. Pars 3. ex *c. 3. b. t. in 6. c. 15. §. fiqui. & Clem. 1. de Hæret.* Pars 4. & 5. ex *c. penult. eod. c. 3. & 5. b. t. in 6.* Abbas, Innoc. P. Wiestner *h. t. n. 31.* P. Schmalzgrueber *n. 193.* cum alijs. Ratio; quia Ecclesia non solet infligere pœnâ mortis. *c. 4. de Raptor.* consequenter, ut condignè puniantur delicta in foro Ecclesiastico, rectè infligitur pro delictis gravioribus pœna æquivalens, nempe carcer perpetuus, qui pro criminis qualitate ita exasperari potest, ut reus non nisi in *pane doloris & aqua angustiæ* sustentetur, ac ut *contra vitæ subsidium mortis solatium invocet. c. 27. f. de V. S.*

Dico 7. Irregularitas ex delicto probabi- 25
lius incurritur ab eo, qui ignorat suum delictum esse specialiter prohibitum ab Ecclesia. 2. aut suo delicto à Jure annexam esse irregularitatem. 3. non tamen ab illo, qui dubitat, an suus actus sit obnoxius irregularitati, si post adhibitam in inquirenda veritate debitam diligentiam maneat dubium, sive Juris, sive Facti, & ex nulla probabili ratione deponi possit. 4. excepto unico casu & dubio Facti, quo quis dubitat, an homicidium, quod constat esse commissum, à se vel alio sit commissum; sed tantùm in ordine ad abstinendum à celebratione Missæ, & ad petendam dispensationem. Pars 1. cui cum Coninc & Palao adversantur plurimi, item Pars 2. quam tenet communis cum Cardenas *in Crisi Dissert. 7. n. 37.* ac praxis confirmat, negant tamen Coninc. Palao, Suar. Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 32. n. 21.* & alii apud & cum P. Schmalzgrueber *h. t. n. 108.* suadetur tum ex *c. 9. de Cler. excomm. minist.* tum indè, quòd irregularitas, etiam ex delicto orta, principaliter non sit pœna & propriè, sed inhabilitas in reverentiam Eucharistiæ, & ob

decen-

decentiam ſtatûs Eccleſiaſtici, primariò & per ſe ſtatuta, licèt per modum pœnæ, & ſecundariò rationem pœnæ habeat: ergo ruit principale fundamentum Adverſariorum, qui irregularitatem à tali ignorante incurri negant præcipuè propterea, quod irregularitas ex delicto ſit pœna: pœna autem non incurratur à taliter ignorante. per *c. 2. de Conſtit. in 6.* Et hinc miror, quòd multi, qui tamen impedimentum *Criminis*, licèt principaliter ſit pœna, uti oſtendimus *ad tit. de eo, qui duxit &c. in lib. IV.* contra nos affirmant incurri etiam ab ignorante, hîc negent, irregularitatem ex delicto, quæ tamen principaliter pœna non eſt, ab ignorante incurri. Pars 3. quam contra Abb. Sylv. Covarruv. aliósque amplectuntur Suarez *de Cenſur. d. 20. ſect. 6.* Sanch. Avila & alii apud & cum Palao *tr. 29. d. 6. pu. 3. à n. 7.* colligitur ex *c. 18. de Sent. Excom. in 6.* ubi aſſeritur, nullam irregularitatem incurri niſi in caſibus Iure expreſſis: ſed, ſi dubium eſt *Juris*, ſcilicet an in Jure in aliquem actum ſit ſtatuta irregularitas, vel dubium *Facti* in alijs materijs extra homicidium, de quo ſtatim, an nimirum tale delictum, cui annexa eſt irregularitas, à ſe admiſſum ſit, non reperitur expreſſa in Jure irregularitas, adeóque pro nullo caſu dubio; ergo. Accedit, quòd in omni caſu dubio in poſſeſſione ſit libertas & immunitas ab irregularitate, nemini adimenda, niſi clara Lex ſtet in oppoſitum. Addidi tamen, *ſi poſt adhibitam in inquirenda veritate debitam diligentiam maneat dubium*; ſi enim hæc non fuiſſet adhibita, regulariter utique non poſſet dubius ſine peccato gravi ſuſcipere vel exequi Ordines, licèt fortè irregularis non eſſet, ut patet ex *c. 5. de Cleric. excomm. miniſtr.* cùm tamen operaretur cum dubio practico, & ſic non ſine peccato. Si verò poſt diligentem inquiſitionem occurrit ipſi ratio probabilis, per quam deponat dubium practicum, non tantùm pro irregulari gerere ſe non debet, ſed etiam licitè ſuſcipit ac exercet Ordines; cùm licitum ſit ſequi opinionem probabilem. Pars 4. deciſa eſt in *c. 12. & c. 18. de homicid.*

26 Oppones 1. Irregularitas ex delicto eſt pœnalis, ſeu pœna: ſed pœna à Lege ſtatuta non incurritur ab ignorante Legem Eccleſiaſticam, vel ignorante, pœnam ſpecialem ſuo delicto eſſe annexam. *c. 2. de Conſtit. in 6.* & quia non æqualiter puniri debet ignarus, & conſcius Legis, ac pœnæ à Jure decretæ, cùm non æqualiter peccent: ergo. 2. Dubius, an ſuo delicto ſit annexa irregularitas à Jure, vel an ſuum delictum ſit tale, quod illi ſit obnoxium, eam non incurrit regulariter, uti dictum: ergo multò minùs ignorans Legem & hanc pœnam; cùm utique magis excuſare debeat ignorantia, quàm dubitatio. 3. In cc. 12. & 18. *citt.* ubi in dubitantem, an homicidium à ſe commiſſum ſit, nec ne, decernitur irregularitas, ſaltem partialis, in ordine ad abſtinendum à celebranda Miſſa, datur hæc ratio univerſalis; quia *in dubio tutior pars eligenda eſt*: ſed hæc ratio univerſalis procedit etiam in alijs delictis, ubi intervenit dubium Facti, vel etiam Juris, de contracta irregularitate: ergo ſemper ac in qualibet materia & caſu dubio incurritur irregularitas. R. ad 1. *diſt. ma.* eſt pœna principaliter & propriè. *N. Ma.* ſecundariò & minùs propriè. *C. Ma.* inhabilitas quæ tantùm ſecundariò eſt pœna, & tantùm per modum pœnæ infligitur, etiam ab ignorante incurritur; quia *c. 2. cit.* loquitur de pœnis, quæ ſunt principaliter tales, & principalis ratio, quæ fuit reverentia erga Euchariſtiam, ac decentia Statûs Eccleſiaſtici, cur indultus Jure ſit irregularitas, adhuc manet. Ad 2. *N. Conſ. & parit.* quia in caſum dubium nulla regulariter in Jure irregularitas ſtatuta eſt, in caſibus autem illis, ubi diſputatur, an ignorantia excuſet ab irregularitate, ſupponitur certò à Jure impoſitam eſſe actui irregularitatem. Si autem ignorantia eſſet *probabilis*, in ignorans ex probabili ratione judicare poſſet ſuum actum non eſſe obnoxium irregularitati, talis ignorantia evaderet dubium, & ſic pater excuſaret. per *c. 9. cit.* Ad 3. Illa tam generalis habet rationem *præcepti*, tantùm in caſu à dictis Juribus poſito, de dubio Factionis homicidij: in alijs materijs obtinet rationem *conſilij* generalis, non præcepti generalis. Leges autem odioſæ, quales quoquot quæ pœnam etiam ſecundariò tantùm ſonnent, non debent extendi à caſu expreſſo ad non expreſſos. per *c. 15. de R. J. in 6.*

Dico 8. Effectus irregularitatis eſt, quòd arceat à ſuſceptione Ordinum, etiam *Primæ* Tonſuræ in illorum quoque ſententia, qui eam inter Ordines non numerant: item à ſuſceptorum executione: &, ſaltem *ſi* irregularitas ſit totalis, à beneficijs Eccleſiaſticis obtinendis; cùm beneficium detur propter officium, cujus peragendi incapax eſt irregularis. *can. 8. ſeqq. d. 34. c. fin. de tempor. Ordin. c. 11. de Elect. c. fin. de Cleric. pugn.* cum Trid. *ſ. 14. c. 7. de Ref.* Beneficijs tamen habitis probabiliter nemo privatur ipſo Jure. per *c. 5. Ne Clerici vel Monachi. & c. 10. de Exceſſ. Prel.* uti neceſſitatibus beneficij, ſi per Vicarium ſua quis beneficia adminiſtret; quia titulum beneficij retinet. Minùs privatur ipſo facto perceptione aliorum Sacramentorum ab Ordine diſtinctorum; quia id Jure non eſt expreſſum. Neque, ſaltem ut mihi videtur probabilius, collatio beneficij facta irregulari eſt ipſo Jure irrita. Sylv. Felin. Suar. &c. contra Sayr. Garc. & Palao; quia juxta *c. 6. de Conceſſ. Preb. in 6.* per nullam prohibitionem, clauſula irritante deſtitutam, irritatur collatio beneficij: nullum verò Jus irritans collationem talem reperitur: ergo.

Dico 9. Irregularitas perpetua ferè per ſolam Diſpenſationem tollitur, & regulariter à ſolo Pontifice, quia eſt impedimentum à Jure Pontificio Communi introductum, in quo inferior Papâ regulariter nihil poteſt, per Jura vulgaria. Dixi 1. *perpetua*; nam temporalis elapſo, quod reſpicit, tempore ceſſat per ſe, ut irregularitas ex defectu ætatis, & orta ex infamia facti poſt conſtantem & notoriam emendationem criminoſi. 2. *per ſolam Diſpenſationem*

satisfactionem, non per *Absolutionem*, per quam tolluntur peccata & censuræ. 3. *ferè*; siquidem orta ex defectu Natalium aboletur per Professionem Religiosam. *c. 1. de filijs Presbyt.* at solùm ex parte, scilicet ut Professus absque dispensatione licitè suscipiat Ordines sacros & officia inferiora; nam quoad dignitates, & Prælaturas durat. *c. fin. eod.* nisi ex privilegio, quod habent ferè omnes Ordines Religiosi teste Palao, non obstante Natalium defectu habiles sint Professi ad Prælaturas. 4. *regulariter à solo Pontifice*; is enim aliquibus dedit potestatem ac privilegium dispensandi in irregularitatibus: sic Superiores Ordinum Mendicantium obtinent privilegium relaxandi irregularitatem ex bigamia & homicidio non notorio ortam, teste Roderiq. *to. 1. de Regular. q. 24. a. 12*, & Præpositus Generalis Societatis JESU omnem irregularitatem suorum subditorum pro foro conscientiæ, ut habetur *in Compendio privileg.* dictæ Societatis *v. Dispensatio.* Sic Episcopis de Jure Communi concessa est potestas dispensandi ad Minores Ordines & beneficium simplex, item cum eo, qui furtivè suscepit Ordinem. Item in Tridentino *s. 24. c. 6. de Reform.* in omnibus irregularitatibus ex delicto occulto, & non ad forum contentiosum deducto, ortum habentibus (exceptâ eâ, quæ ex homicidio occulto directè voluntario provenit) etiam pro foro externo; quia verba Tridentini *in foro conscientiæ* pertinent ad absolutionem à casibus reservatis ibi concessam Episcopis, ut notat Palao *puncto 7. n. 14.* Juxta nos etiam in ijs, quæ oriuntur ex *defectu* occulto, per ea, quæ traditi ad *tit. de filijs presbyt. n. 8. & tit. de bigamis n. 5. in lib. 1.* Cùm verò hæc facultas Episcopis à Tridentino indulta pertineat ad eorum jurisdictionem Ordinariam. *arg. l. 6. ff. de jurisdict.* idem videtur indultum Capitulo Cathedrali, quando Sedes Episcopalis vacat, item Abbatibus & Prælatis jurisdictionem quasi-Episcopalem exercentibus in quodam districtu, atque ijs, quibus Episcopi hanc potestatem delegant. Vicario Generali per se non competit.

29 Dico 10. Depositio, licèt secundùm rigorem antiquorum Canonum potuerit olim irrogari propter crimina non admodum enormia, uti est furtum, adulterium, homicidium simplex, perjurium, & his majora, vel etiam minora. *arg. c. 4. §. de Adulterijs. de Judic.* hodie tamen, cùm non ita rigidè procedi soleat, non nisi propter crimina ex objecto suo & circumstantijs valde scandalosa, publica, & enormia infligi consuevit, prout nempe Ecclesiasticis Judicibus videtur; qualia sunt furtum sacrilegum rei pretiosæ, fornicationes frequentiori monitione insuper habitâ frequentatæ, adulterium vel stuprum violentum, homicidium præmeditarum &c. P. Wiestner *h. t. n. 75.* cum alijs, allegantibus *c. 6. de cohabitat. Cler. & Mul. Trid. s. 25. c. 14. de Ref.* Interim tamen permissum est Episcopis dispensare cum depositis ob adulterium & crimina non graviora post peractam pœnitentiam, eósque in pristinum statum restituere. P. Wiestner *n. 74.* cum Panorm. Barb. Laym. Gonzal. ex *c. 4. cit.*

Dico 11. Degradatio cum traditione Cle- 30
rici delinquentis Curiæ Sæculari non est concessa Episcopis, nisi delinquens sit incorrigibilis priùs declaratus, vel nisi Jure expressum sit, quòd statim, non exspectata incorrigibilitate, degradari & tradi debeat Curiæ Sæculari. Communior cum Hostiens. Covarruv. Fagnano *in c. 10. de Judic. n. 65. seqq.* aliisque apud hunc & Farinac. *Prax. Crim. q. 8. n. 81.* contra Anchoran. Decium, Alciat. aliósque plurimos apud Fagn. *à n. 37.* Prob. 1. ex famoso *c. Cùm non ab homine 10. cit. de Judic.* ubi Clemens III. Clericum de gravi crimine convictum priùs deponi, deinde excommunicari, postea anathematizari (quod excommunicationi superaddit solennem execrationem Episcopi in præsentia Sacerdotum candelas in terram projicientium & conculcantium) ac demum, si neque tunc se emendaverit, & omnino incorrigibilis appareat, nihilque ampliùs superfit Ecclesiæ, quod faciat in ejus correctionem, degradari ac tradi Curiæ Sæculari jubet. 2. ex *c. 4. de Excessib. Præl. & c. 6. h. t.* in quorum priore reus Sodomiæ, in posteriori reus latrocinij, criminum utique gravissimorum, deponi, atque in arctum Monasterium ad agendam pœnitentiam detrudi jubetur, non verò statim tradi Curiæ Sæculari degradatus. 3. ex eo, quòd propter aliqua crimina degradatio & dicta traditio sit statim de Jure facienda non exspectata incorrigibilitate, uti dictum in Assertione, quæ sunt 1. conspiratio in proprium Episcopum, eique structæ insidiæ. 2. falsatio litterarum Apostolicarum. 3. assassinium. 4. hæresis, & apostasia, saltem si quis fuerit relapsus, vel in ea contumax perstiterit. 5. sodomia frequentata, seu sæpius commissa. 6. celebratio Missarum & auditio Confessionum Sacramentalium à non-Sacerdote temerè attentata. Quæ exprimuntur *can. 18. caus. 11. q. 1. c. 7. de crim. falsi. c. 1. de homicid. in 6. c. 9. X. & 4. in 6. de hæret. Constitut. Horrendum.* S. Pij V. 1568. *& Constit. Etsi alias.* Clement. VIII. 1601. Ergo in alijs delictis exspectanda est incorrigibilitas, & observandus ordo, *c. 10. cit.* præscriptus, cùm dicti casus excepti firment regulam in oppositum in casibus non exceptis juxta commune brocardicum, desumptum ex *c. 2. de conjug. leprof.* Licèt autem de Jure Communi hæc ita se habeant, in praxi tamen in criminibus valde enormibus non exspectatur incorrigibilitas, ut si Clericus parentem, fratrem, Prælatum suum occîdat, vel alium proditoriè aut per insidias, si sacrilegè expilet Ecclesias, vel Magiam exerceat, præsertim si hæc delicta iteratis vicibus committat. Fagn. *in c. 10. cit. n. 104. 105.* ubi tamen monet, in his casibus Jure non expressis consulendum priùs esse Summum Pontificem.

Oppones 1. Pœnæ debent commensurari delictis: ergo in criminibus valde atrocibus non debet observari ordo monitionis, & correctionis, ac per gradus primùm deveniri ad degradationem, sicut præcipitur in *d. c. 10.* de furto & homicidio simplici, præsertim quia 2.

Ecclesia pro delictis valde excessivis non habet pœnam condignam : ergo excessivè delinquentes statim sunt tradendi Curiæ Sæculari, ut secundùm Leges condignè puniantur. 3. In *c. novimus 27. de V. S.* Clericus, qui commisit crimen falsationis litterarum Apostolicarum, *vel aliud flagitium grave, non solùm damnabile, sed damnosum*, jubetur statim degradari, & tradi foro sæculari : ergo de Jure Communi non tantùm propter expressa ibi delicta, sed & propter similia in attrocitate statim habet locum Degradatio & dicta traditio. R. ad 1. *N. Conf.* Atrociora delicta possunt & solent graviùs puniri, quin statim procedatur ad Degradationem, pœnam ultimam & gravissimam. Ad 2. *N. Ant.* Licèt enim Ecclesia non inferat mortem, infert tamen pœnam perpetui & ærumnosi carceris, aut triremium, quæ æquiparatur morti, & quibusdam molestior accidit, quàm ipsa mors ; multis enim optabilius est mori statim, quàm sine spe liberationis per totam vitam affligi tam graviter. Ad 3. Imprimis per *aliud flagitium damnosum* potest intelligi tale, cui pariter à Jure est imposita Degradatio, sicut dictæ falsationi ; nam tò *aliud* est dictio repetitiva similium. Deinde dici potest, falsationem litterarum Apostolicarum ibi specialiter excipi : exceptio autem firmat regulam in contrarium. Denique in pœnalibus non est facienda extensio à casu in specie expresso ad alios in specie non expressos, & ad delicta, licèt majora, vel licèt eadem, aut etiam major in ijsdem reperiatur ratio. *arg. l. 155. §. 2. ff.* & *c. 15. 49. de R. J. in 6.*

32 Dico 12. Judex Sæcularis, cui traditur degradatus, non potest novum processum instituere circa causam & crimen, propter quod degradatio facta est, si crimen sit fori merè Ecclesiastici, utì hæresis, celebratio Missarum à non sacerdote facta &c. sed tenetur stare sententiâ Judicis Ecclesiastici, eámque executioni dare. 2. si verò crimen sit mixti fori, utì Assassinium, Sodomia &c. potest, licèt non teneatur, causam de novo cognoscere (non verò de processu, à Judice Ecclesiastico priùs instituto, ejúsque justitia, vel de actu degradationis ; cùm quoad personas Ecclesiasticas, earúmque actiones jurisdictionem non habeat) ac, prout invenerit, condemnare & punire. 3. si autem Judex Sæcularis tali casu non puniverit morte, vix iterum justè degradatus in pristinum statum restitui solet, atque à solo Pontifice posset. Pars 1. claret ex *c. 2. 3. 12. de Judic.* & *c. 9. de hæreticis. c. 18. eod in 6.* Pars 2. sumitur ex *Nov. 123. c. 21. §. 1.* & ratione, quia circa crimen mixti fori competit jurisdictio etiam Judici Sæculari : & cùm persona jam sit degradata, ei non ampliùs patrocinatur privilegium personale Fori. Pars 3. ex *can. 1. 2. d. 50.* ubi degradatio dicitur ex natura sua esse pœna perpetua, adeóque de Jure Communi, in quo inferior Papâ nihil potest, est irremissibilis. Aliud foret, si Clericus fuisset injustè degradatus ; talem quippe teneretur Episcopus restituere, & quidem servatis solennitatibus, nimirum traditione instrumentorum & vestium, quæ tradita sunt eidem in sua Ordinatione atque ablata in Degradatione, ut docet Suar. cum Panormit. Cæterùm degradatus tenetur recitare Horas Canonicas, ut antè, ne ex malitia sua reportet commodum contra *c. 7. de Judic.* & *c. 9. de dolò.* Si autem consecrare Evchariſtiam attentaret Sacerdos degradatus, validè consecraret ; quia potestas & character Sacerdotalis est inauferibilis. Rursùm realiter Degradato non debet ab Ecclesia assignari sustentatio congrua, licèt debeat Depositò ; quia iste tenetur clericaliter vivere, ac retinet privilegium Fori & Canonis, non item ille.

TITULUS XXXVIII.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

SUMMARIUM.

1. *Pœnitentia consideratur ut Sacramentum, & ut Satisfactio.*
2. *Definitur ut Sacramentum ; & probatur obligatio confitendi distinctè sua peccata mortalia ex Jure Divino, saltem quandoque.*
3. *Hujus Sacramenti Materia, Forma,*
4. *Uti & Minister : qui opus habet Approbatione,*
5. *Et jurisdictione, quæ duplex est, Ordinaria, & Delegata : quibus modis ista conferatur.*
6. *Aliqua peccata solent reservari Superioribus, & quæ.*
7. *Sigillum Confessionis, seu Sacramentale.*
8. *Singulis annis tenentur omnes semel confiteri quando, & cui.*
9. *Approbatio est Confessario regulariter necessaria,*
10. 11. *Uti & Jurisdictio specialiter concessa, & actualiter.*
12. *Qualia peccata possint reservari, ac soleant.*
13. *Quid, si pœnitens ignoret, suum peccatum esse reservatum.*
14. *Penes quos sit potestas absolvendi à reservatis.*
15. *An sit penes Religiosos Mendicantes à reservatis ab Episcopo, & quid faciendum Confessario, cui proponitur casus reservatus.*
16. 17. *Quàm strictè obliget, & quos, Sigillum Confessionis.*
18. *Pœnitentia, ut est Satisfactio, quid & quotuplex.*
19. 20. 21. *Quid & quotuplices sint Remissiones, seu Indulgentiæ, quid Jubilæum.*
22. *An, & qualem pœnitentiam teneatur injungere Confessarius : an pœnitens illam acceptare debeat, & à quo petere commutationem acceptatæ.*
23. 24. *A quo concedi valeant Indulgentiæ : an & qualem requirant causam.*
25. *Quæ indulgentiæ suspendantur in anno Sancto Jubilæi.*

HActenus de pœnis vindicativis fori externi ; jam de pœnis, quæ imponuntur in foro interno seu Pœnitentiali, in quo delinquens in se reversus & ad Deum conversus, se ipsum agit reum. Porro *Pœnitentia* in genere sig-

de

de pœnit can. 1. sic describitur: *est mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere.* Et *can. 4. est quædam dolentis vindicta, puniens in se, quod dolet commisisse*, seu est, *pœnam tenere.* Considerator triplex. 1. prout præcisè est peccatorum, quatenus sunt offensa Dei, detestatio & dolor de ijsdem in animo susceptus cum proposito melioris vitæ, & compensandi injuriam Deo illatam: atque eatenus est actus *Virtutis* specialis pœnitentiæ. 2. prout huic internæ detestationi peccatorum accedunt actiones externæ, & quidem, si accedat Confessio coram Sacerdote, hujusque Absolutio, eatenus est *Sacramentum.* 3. si verò accedat opus pœnale, vel sponte susceptum, vel à Confessario Sacerdote injunctum, eatenus est *Satisfactio.* Omissa acceptione prima, de qua Theologi, agemus hic de Pœnitentia tantùm, in quantum est Sacramentum & Satisfactio, sed breviter, quantùm SS. Canones à nobis exigunt, cætera Theologis tum Speculativis tum Moralibus, ad quos propriè hæc materia pertinet, relinquendo. Quia verò obligatio per opera pœnalia satisfaciendi pro peccatis quoad reatum pœnæ delendis mitigari vel tolli potest per *Remissiones* seu *Indulgentias*, etiam de de his aliqua subnectemus.

§. 1.

De Pœnitentia, prout est Sacramentum. Ubi etiam de Casibus Reservatis, & Sigillo Confessionis.

2 SCiendum 1. Sacramentum Pœnitentiæ in hunc sensum à DD. definiri: *est Sacramentum, quo peccata, post Baptismum commissa, & cum detestatione ac dolore debito manifestata legitimo ministro, virtute Clavium seu Absolutionis Sacerdotalis delentur quoad reatum culpæ potissimùm.* Est institutum per modum Judicij, in quo Pœnitens simul *Reus* & sui *Accusator* est, *Judex* verò Sacerdos absolvens, ab ipso Christo Domino *Jo. 20.* constitutus, ubi suis Discipulis apparens dixit, *accipite Spiritum S. quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sicut igitur sacerdotibus à Christo data est potestas judicandi de peccatis vel remittendis vel retinendis, ita & hoc ipso fidelibus imposita est obligatio distinctè, & quidem mortalia omnia secundùm numerum & speciem, ut explicavit Tridentinum, & vera Ecclesia semper sensit, confitendi, ac seipsos accusandi; quomodo enim aliàs Sacerdos, sine cujus absolutione Christus noluit remitti peccata, dispicere posset, quibus peccata dimittenda, quibus non, & qua pœna ad satisfaciendum quilibet esset ligandus? Certum igitur est, de Jure Divino dari obligationem confitendi peccata mortalia post Baptismum commissa; quo autem tempore hoc præceptum urgeat, Christus non determinavit, bene autem Ecclesia, quæ præcipit, ut omnes fideles semel in anno Sacramentum hoc suscipiant. In articulo mortis, seu probabili vitæ periculo, unde unde illud immineat, juxta plerosque Catholicos omnes stringit præceptum Divinum, ut suscipiatur hoc Sacramentum vel in re, si occasio confitendi suppetat, vel saltem in voto, quod consistit in Contritione perfecta, seu dolore de peccatis procedente ex motivo amoris erga Deum super omnia dilectum, vel in dilectione Dei super omnia; si enim Jus Divinum obliget aliquando, certè obligabit in articulo mortis, cùm post obitum nec obligare nec observari queat ampliùs. Unde in *c. 13. h. t.* præcipitur Medicis, ut ad ægros vocati per se vel per alios moneant ipsos ad Medicum animæ vocandum, & S. Pius V. *in Constit. Super gregem* sanctissimè vetuit Medicis visitationem periculosè decumbentium ultra diem tertium, nisi de Confessione peracta à Confessario fides fiat. Apud alios non periculosè decumbentes hæc Piana Constitutio, licèt fortè aliàs recepta esset, probabiliùs non habet rationem præcepti; consultissimum tamen est, ut etiam isti non differant sua peccata per Confessionem eluere; cùm id etiam corporibus salubre esse possit, eò quòd morbi sæpe infligantur à Deo propter peccata: si igitur ista per synceram confessionem tollantur, evellitur radix morbi. Præterea per accidens stringit Jus Divinum, quoties mortalis peccati sibi conscius sumere S. Eucharistiam, vel celebrare vult aut debet Missam, si confitendi habeat copiam: si hanc non habeat, & communio vel celebratio differri nequeat, præmittere oportet contritionem perfectam, & postea, quamprimum fieri potest, confiteri, uti tradit ex verbis S. Pauli, *probet seipsum homo, & sic de pane illo edat*, Conc. Trid. S. *13. c. 7. & can. 11. de Sanct. Eucha. Sacram.*

Sc. 2. *Materiam remotam*, & quidem *necessariam*, hujus Sacramenti esse omnia peccata mortalia post baptismum commissa, nondum subjecta clavibus, seu nunquam confessa: materiam *sufficientem* verò peccata venialia, imò & mortalia jam semel clavibus subjecta, seu de quibus Absolutio jam aliquando est obtenta: *materiam proximam* autem esse tres actus pœnitentis, nempe Contritionem, Confessionem (quæ pertinent ad essentiam hujus Sacramenti) & Satisfactionem, quæ est pars tantùm integralis. *Contritio* potest esse vel *perfecta*, quæ nimirum procedit ex motivo amoris Dei super omnia, seu quando quis dolet & detestatur peccata ideo, quia sunt offensa Dei, quem amare debuisset, & nunc amat super omnia: vel *imperfecta*, quæ vocatur *Attritio*, & fundatur in motivo inferiori, dum nempe quis dolet de peccatis vel propter suam turpitudinem, vel quia propterea cœli fecit jacturam, vel quia infernum, quem Deus sibi iratus propter ea infliget vel minatur, promeritus est, adeóque ex metu gehennæ. *Confessio* debet esse integra, syncera, humilis &c. *Forma* denique hujus Sacramenti consistit in verbis illis, quibus Sacerdos auditis peccatis pœnitentem absolvit, & ab illis liberum pronuntiat, dicendo, *absolvo te à peccatis &c.* An hæc verba omnia pertineant ad essentiam formæ, disputant Scholastici; cer- 3

tum verò est, quòd verba formalia absolutionem à peccatis significantia proferri debeant, & quidem absolutionem ab ipso Sacerdote provenientem, & à peccatis pœnitentis, qui actu est præsens; nam absens invalidè absolvitur, uti declaravit Clemens VIII.

4 Sc. 3. *Ministrum* Sacramenti Pœnitentiæ esse solum Sacerdotem, ut ex verbis Christi *Jo. 20.* suprà recitatis docet Trident. *s. 14. c. 6. & can. 10. de Pœnit. Sacram.* eúmque ab Episcopo approbatum ad audiendas Confessiones, & jurisdictione præditum, ut habet constans Doctorum assertio. *Approbatio*, quam subinde vocant collationem *Curæ animarum*, nihil est aliud, quàm *judicium sive testimonium authenticum de alicujus idoneitate ad excipiendas confessiones.* In ordine ad excipiendas confessiones Sæcularium, & Monialium, approbationem dare debet Episcopus, & quidem probabiliùs ille, cui subest, qui approbatur (licèt probabile sit, etiam ab Episcopo pœnitentium proprio dari posse, ut declarat praxis apud Religiosos, qui approbari solent ab illo Episcopo, à quo ordinantur, licèt eidem subjecti non sint ipsimet) vel Sede vacante Capitulum, vel utriusque Vicarius Generalis, vel Prælatus in quodam territorio jurisdictionem quasi-Episcopalem exercens pro suo districtu: quoad confessiones Regularium verò virorum Superior Regularis dat licentiam. Porro Episcopus triplicimodo dare potest approbationem, nempe authentica declaratione idoneitatis prævio examine: deputatione Sacerdotis ad administrationem Sacramentorum vel in genere, vel in specie ad Pœnitentiæ, factâ sine prævio examine: demum actuali collatione beneficij Parochialis vel Curati. Hæc approbatio non tantùm peti, sed etiam obtineri debet, ut adeò pro approbato non habendus sit is, qui notoriè idoneus illam ab Ordinario petijt, repulsam tamen injustam tulit, licèt Religiosus sit, nempe in ordine ad audiendas confessiones Sæcularium, & Monialium. Sumuntur hæc ex Trid. *s. 23. c. 15. de Ref.* & de Monialibus ex quadam *Constit.* Gregor. XV. Regularibus præter approbationem Ordinarij insuper ad licentiam audiendi Confessiones necessaria est suorum Superiorum deputatio. *Clem. Dudum de Sepult. v. Nos autem.* & *Extrav. Super Cathedram. v. Statuimus. int. comm. eod.*

5 Sc. 4. Alterum ex parte Ministri Pœnitentiæ Sacramenti requisitum esse *Jurisdictionem*; cùm per modum Judicij institutum sit: hæc jurisdictio Pœnitentialis seu Sacramentalis est *potestas, qua quis in foro interno super alios tanquam subditos constituitur in ordine ad eorum peccata solvenda vel liganda*: adeóque est assignatio certorum subditorum, in quos in actu secundo potestas absolvendi, quæ in Ordinatione jam quidem fuit collata, at non omnino completè & absolutè, exseri possit. Differt ab Approbatione, quòd hæc non sit actualis collatio jurisdictionis, sed authenticum duntaxat testimonium, quo quis declaratur idoneus ad jurisdictionem recipiendam. Est duplex, *Ordinaria*, quæ alicui competit ratione officij proprij, quod gerit, curam animarum annexam habentis, qualem habet Papa & summus ejus Pœnitentiarius respectu omnium fidelium totius Mundi: Episcopi & eorum Vicarij, per totam suam diœcesim: Parochi in suis parochiis, & quoad suos parochianos, inter quos etiam reputatur, qui ibi quasi domicilium habent, uti studiosi, milites præsidiarij, famuli: item Ordinariorum Vicarij, prætim perpetui: Superiores Regularium in suos subditos Regulares, uti & vice-Rectores, vice-Guardiani. Et hi omnes, nisi specialiter à Superiore prohibeantur, suam jurisdictionem alij quoque possunt delegare, imò & extra fines sui territorij in suos subditos exercere. Deinde *Delegata*, quæ nimirum alicui competit non ratione officij proprij, sed ex commissione alterius. Quæ commissio directè & indirectè fieri potest: *indirectè* fit, quando non immediatè ipsi Sacerdoti datur potestas absolvendi, sed mediante designatione pœnitentis, qui vel per Bullam Jubilæi, vel per Bullam Cruciatæ, vel per aliud privilegium facultatem obtinet eligendi Confessarium, quemcunque voluerit. Approbatis: sic Patriarchæ, Primates, Archi-Episcopi, & Episcopi, etiam non exempti, imò & Prælati inferiores, exempti tamen, potestatem habent eligendi Confessarium providum & discretum juxta *c. fin. h. t.* item probabiliter etiam Prælati Regulares Locales: licèt Generali vel Provinciali suo sint subjecti, modò à jurisdictione Episcopi sint exempti, & jurisdictionem spiritualem in foro externo & contentioso obtineant. *c. cit.* Sylv. Tambur. Pirhing *h. t. n. 34.* quales Prælati sunt Abbates, Præpositi, Priores. Præterea Reges & Principes, ac illi, quibus Papa, vel Episcopus indulget licentiam sibi eligendi pro libito Confessarium: denique vi consuetudinis Parochus & quilibet Sacerdos sæcularis, demptis tamen semper casibus specialiter reservatis. *Directè* autem fit commissio, quando immediatè ipsi sacerdoti tribuitur jurisdictio, sive *ab homine*, ut si Papa, Episcopus, Parochus, vel alius Curatus Ordinarius loci, seu ordinariam jurisdictionem obtinens, potestatem absolvendi suos subditos explicitè vel implicitè concedit alteri. *c. 12. eod.* Sic Parochi committunt *suis* Cooperatoribus. Sive *à Jure*, quo modo jurisdictionem delegatâ obtinent omnes, etiam excommunicati, depositi, degradati, hæretici &c. veri tamen Sacerdotes, ad absolvendum in articulo mortis. Trid. *sess. 14. c. 7. de Sacram. Pœnit.* & quidem juxta Dian. Tambur. ac alios, etiam in præsentia Sacerdotis proprij, vel privilegiati, jam aliunde jurisdictione præditi: quamvis hoc communior & probabilior neget cum Suar. Vasq. Laym. Cardenas &c. Deinde qui communi errore populi creditur habere jurisdictionem. *arg. l. Barbarius 3. ff. de Offic. Prætor.* & probabiliter qui ex verè probabili ratione putat, se habere jurisdictionem, qua tamen aliunde caret, ut docet La Croix cumplibis; cùm in his casibus propter bonum publicum Ecclesia suppleat defectum, vel potiùs jurisdictionem conferat. Denique Religiosi Mendicantes,

dicantes, quibus Paulus III. *in Constit. Cùm inter 1545.* & Gregor. XIII. uti allégat *Compendium privileg. Soc. JESV. V. Absolutio.* concesserunt potestatem absolvendi quoscunque fideles, & non Regulares, ad se accedentes à quibuscunque peccatis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, ac à quibusvis Censuris & pœnis Ecclesiasticis, quæ ex illis resultant, exceptis in Bulla Cœnæ comprehensis. Sed hoc privilegium immediatè ipsis Religiosis Ordinibus, eorumque Superioribus, non verò Religiosis concessum est, ut adeò, nisi isti à Superioribus exponantur, & sic jurisdictionem delegatam accipiant, vel consensum, hoc privilegio invalidè utantur. Sive denique *à consuetudine:* & hac via jurisdictionem & potestatem absolvendi à peccatis venialibus (atque mortalibus jam semel per Confessionem ritè expiatis) habent omnes Sacerdotes etiam non approbati; modò non sint degradati, vel excommunicati non tolerati (illis enim Ecclesia extra articulum mortis omnem jurisdictionem specialiter adimit) item quilibet Sacerdos ab Ordinario approbatus, & in aliquo loco ad audiendas Confessiones expositus, quoslibet Laicos, non modò vagos, sed etiam peregrinos, ex aliena diœcesi vel parochia ad se venientes, sive dein devotionis sive negotiorum causâ illuc venerint sine animo manendi per notabilem anni partem, sed statim rursus abituri; modò non præcisè ea de causa, ut vitent proprium pastorem, in alienam diœcesim vel parochiam se contulerint: tacitè enim consentiunt Episcopi ac Parochi viatorum & peregrinorum proprij, & quasi ex mutuo pacto, ut explicat consuetudo. Cœterùm qui jurisdictionem tantùm habent delegatam, regulariter loquendo eam alteri subdelegare nequeunt.

6 Sc. 5. Præfatam jurisdictionem, sive Ordinariam sive Delegatam, ab Ecclesia non solere concedi illimitatam, sed cum exceptione certorum peccatorum, quæ Superior suæ absolutioni reservat, & hæc propterea vocari *Casus Reservatos.* Ratio reservandi aliqua peccata graviora est, quia quædam propter enormitatem suam exactius judicium & majorem exposcunt Judicis peritiam severitatémque, atque ut Fideles hac Superiorem adeundi necessitate, ac obtinendi absolutionem difficultate, quasi frænò coërceantur, & à gravioribus criminum perpetratione non minùs efficaciter quàm utiliter absterreantur. Potestas reservandi, quam in Ecclesia dari definivit Trident. *s. 14. c. 7. & can. 11. de Sacram. Pœnit.* residet penes omnes & solos illos, qui habent potestatem alijs dandi jurisdictionem ordinariam vel delegatam, uti est Pontifex pro tota Ecclesia, Episcopi pro suis diœcesibus, Prælati Regulares pro suo Ordine vel Monasterio, imò & Parochi pro sua Parochia restringendo Cooperatoribus, vel alijs, quibus delegant jurisdictionem, potestatem à certis peccatis absolvendi; licèt Parochi id facere nec soleant, nec facilè debeant, cùm Episcopi sat multos jam casus sibi reservent, & aliàs Parochiani nimiùm gravarentur. Papa non solet sibi reservare peccata, nisi simul Censuram habeant annexam sibi reservatam: & hinc qui ob ignorantiam vel alia de causa Censuram non incurrit, neque casum Pontifici reservatum incurrit: Episcopis de Jure Communi nullus casus vel Censura dicitur esse reservata, nisi fortè excipias levem, mortaliter tamen peccaminosam, Clerici percussionem juxta *c. pervenit 17. de Sent. Excomm.* in praxi tamen ipsi reservare sibi solent hæc peccata: homicidium voluntarium: crimen incendiariorum: sacrilegium, vel per effractionem & exspoliationem loci sacri, vel per voluntariam humani sanguinis aut seminis effusionem in eo factam commissum: perjurium & falsum testimonium in Judicio: falsificationem litterarum: violentam manûs injectionem in parentes: sortilegium seu Magiæ exercitium: peccata, quibus annexa est de Jure irregularitas: adulterium notorium, eóque graviora carnis delicta, aliáque enormia & publicè scandalosa. Id cavere debent, ne nimis multa peccata sibi reservent; cùm id cederet potiùs in destructionem quàm ædificationem, ut loquitur Trident. *c. 7. cit.* Prælatis quoque Regularibus Clemens VIII. *in Motu proprio 1593.* restrinxit potestatem reservandi ad 11. casus, qui sunt. 1. veneficia, incantationes, sortilegia. 2. apostasia à Religione per egressum è Monasterio, habitu sive dimisso sive retento. 3. nocturna & furtiva è Monasterio egressio, etiam sine animo apostatandi. 4. proprietas, quæ sit peccatum mortale contra votum paupertatis. 5. juramentum falsum in Judicio Regulari. 6. procuratio abortûs, & auxilium vel consilium ad eandem post fœtum animatum animâ rationali, etiam effectu non secuto. 7. falsificatio manûs vel sigilli Officialium Monasterij. 8. furtum de rebus Monasterij in ea quantitate, quæ sit peccatum mortale. 9. lapsus carnis voluntarius opere consummatus. 10. occisio, vulneratio, seu percussio gravis cujuscunque personæ. 11. malitiosum impedimentum, aut retardatio, vel apertio litterarum è Superioribus ad inferiores, vel ab his ad illos. Si plura velint reservare pro toto Ordine, possunt quidem, at non nisi post maturam discussionem in Capitulo Generali, & cum hujus consensu. per *cit. Decretum* Clem. VIII. Et hinc Societas JESU in Congregatione Generali V. relatis undecim addidit alia decem, nempe 1. perjurium & falsum testimonium etiam extra Judicium. 2. furtum non modò, sed etiam usurpationem alicujus rei contra votum paupertatis in ea quantitate, quæ sufficiat ad peccatum mortale. 3. quidquid est contra votum Castitatis, & in actum externum prodijt; modò, ut explicat Gobat, actus externus secundùm se sit graviter peccaminosus. 4. inobedientiam expressam, qua quis disertè affirmat, se nolle parére. 5. seditionem in Superiorem, & divisionem à Capite, in grave nocumentum Societatis. 6. detractionem famæ, bonæque existimationis aliorum, ac inter fratres discordiarum seminationem. 7. impedimentum,

à Societate excludens, in Examine reticitum, vel in eo commissum mendacium, unde grave aliquod nocumentum oriri possit. 8. acceptationem seu missionem litterarum absque licentia expressa cum peccato mortali. 9. transgressionem votorum Simplicium, quæ Professi specialiter emittunt post Professionem. 10. Censuras Societatis nostræ, seu illa peccata, quæ juxta Constitutiones, Decreta, vel Bullas in Societate habent annexam excommunicationem. Porro casuum reservatio alia est *Pœnalis*, quæ principaliter in odium delicti & in pœnam est imposita, qualis secundùm Gobat. *tr. 7. Theol. Experim. n. 360.* tantùm est illa, quæ habet annexam Censuram. Alia *Medicinalis*, seu *Non-Pœnalis*, quæ in bonum fidelium & Ecclesiæ, aut ad rectam Religiosæ familiæ gubernationem principaliter imposita est.

7 Sc. 6. Ne confessio peccatorum ultra id, quod habet ex institutione Christi, reddatur magis odiosa & difficilis, silentium summum Confessario principaliter, & secundariò alijs quoque, qui pœnitentis peccata quoquo modo, justè vel injustè, mediatè vel immediatè, ex occasione Confessionis cognoverunt, incumbere, ne scilicet revélent peccata, & quædam alia, de quibus statim, ulla ratione, quæ pœnitens in Confessione exposuit in ordine ad obtinendam absolutionem Sacramentalem, vel in hunc finem ordinavit: si enim non animô confitendi, vel obtinendi absolutionem, sed seducendi, decipiendi &c. peccata sua quis manifestâsset, & de hoc certò constaret, nulla foret obligatio silentij Sacramentalis apud eos, qui intellexerunt illa. Quæ obligatio tenendi arctissimum silentium vocatur Metaphoricè *sigillum Confessionis*, vel *sigillum Sacramentale*, quo Confessarij os velut obsignatur; éstque inducta non tantùm Jure Ecclesiastico *can. 2. d. 6. de pœnit. & c. 12. h. t.* ibi: *qui peccatum in Pœnitentiali Judicio sibi detectum præsumpserit revelare, non solùm à Sacerdotali officio deponendum decernimus, verùm etiam ad perpetuam agendam pœnitentiam in arctum Monasterium detrudendum:* cui detrusioni hodie succesit vi consuetudinis condemnatio ad perpetuos carceres, vel ad triremes; sed etiam Jure Divino; cùm ex Ecclesiæ perpetua traditione colligatur, Sacramentum pœnitentiæ ita à Christo institutum esse, ut, sicut per se satis difficile ac simul summè necessarium est ad salutem, ita non reddatur magis onerosum, & odiosum; quod fieret, nisi strictissima silentii daretur obligatio; imò & Jure Naturali stringit hoc sigillum, partim propter tacitam promissionem & pactionem Confessario de servando rigidissimè silentio, indéque ortam Fidelitatis & Justitiæ obligationem, partim verò propter legem Charitatis, quæ dictat, non faciendum alteri per revelationem secreti, sibi detecti, quod quis sibi fieri non vult ab altero. Unde revélans aliquid de perceptis in Confessione, vel ejus occasione, multipliciter peccat, nempe contra Obedientiam SS. Canonibus debitam, contra virtutem Religionis, adeóque Sacrilegium committit injuriosè tractando Sacramentum contra Christi institutionem, & contra Fidelitatem, Justitiam, Charitatémque. Materia autem hujus Sigilli seu objectú sunt principaliter omnia peccata, tam venialia quàm mortalia, ex sola confessione Sacramentali percepta (quæ enim aliunde ante vel post Confessionem sunt nota, absque violatione Sigilli non tacentur, quamvis & hoc casu cautè procedendum, ne pœnitens vel alij possint suspicari usum notitiæ ex Confessione haustæ) ut adeò nec in generali ceat dicere de aliquo, illum confessum esse mortalia, vel hoc aut illud veniale in speciali cèt tale peccatum sit aliàs notorium: deinde circumstantiæ peccatorum, tametsi subinde nullam de se rationem culpæ contineant, ejusmodi sunt cognitus ex sola Confessione, cultus defectus natalium, generis ignobilis, infamia, latens morbus, scrupulosa conscientia, vehementia alicujus passionis, & (ut mihi aliquæ videtur) insciti Latinæ linguæ, ut siquis de aliquo diceret, eum tot solœcismos, quot peccata, confessum esse: item peccata complicis à pœnitente forsan expressa. Atque hujusmodi non tantùm alijs revelare non licet, sed neque cum ipso pœnitente (sine expressa ejus licentia) loqui aut agere de auditis in Confessione, quæ in pudorem vel confusionem illius, aut in tacitam exprobrationem cedere videri possent, scilicet extra confessionem, & plenè jam finitô Judiciô Sacramentali. Ratio, quia hæc omnia facerent Sacramentum hoc magis onerosum, plurimúmque impedirent synceritatem & integritatem Confessionis, adeóque fructum illius, tantopere necessarium. Confessarius tamen post datam quidem jam absolutionem, sed antequam pœnitens egressus fuerit è Confessionali, adhuc aliquid cum eodem loqui non prohibetur de auditis in Confessione, v. g. interrogando adhuc aliquid, restitutionis modum præscribendo, adhortando, errorem fortè commissum corrigendo &c. licèt faciat absque pœnitentis licentia speciali; quia Judicium Sacramentale saltem integraliter necdum est plenè finitum. Præterea nec licitú est Confessarijs uti notitiâ eorum, quæ in Confessione intellexerunt, probabiliùs (imò post decretum Clementis VIII. 1524. 16. Maj. editum, satis certò) etiam ad gubernationem pœnitentis externam & commodum, licèt absque diffamationis vel revelationis periculo fieret, si indè periculum alicujus incommodi, vel tacitæ exprobrationis, aut ex usu notitiæ ad externam gubernationem facilè contingeret, vel saltem suspicionis detrimodo vel exprobrationis oriri posset; quia & iste usus posset absterrere à syncera Confessione, ac esse onerosus pœnitenti. Econtra licitè utitur Confessarius tunc, quando sine omni periculo revelandi, & sine omni pœnitentis incommodo contingit iste usus notitiæ ex Confessione haustæ, uti generalem regulam statuit P. Stoz in *Tribunali Pœnit. l. 2. §. 4. n. 247.* v. g. si propterea oret pro pœnitente, ipsum singulari affectu complectatur, ad eum meliùs dirigendum libros diligentiùs inspiciat, vel

vel etiam alios interroget ita cautè, ut pœnitentis persona nemini fieri possit cognita &c. cùm hæc pœnitenti non onerosa, sed optabilia potiùs sint & esse debeant. A fortiori hac notitiâ uti licet, imò ipsam personam manifestare alijs, ejúsque peccata, si pœnitens expresè, ac prorsus liberè daret licentiam, quam tamen, nisi gravis sit causa, Confessarius non facilè acceptabit; cùm hæc res sit valde delicata. Præter Confessarium etiam alij, uti dixi, secundariò obligantur Sigillô Sacramentali, ad quos notitia Confessionis, & peccatorum, quæ alius confessus est, vel paravit pro Confessione, quovis modo pervénit: licèt ipse pœnitens eo non teneatur. Durátque obligatio Sigilli etiam post mortem pœnitentis. Si Confessarius revelet peccatum, puniendus est modo, quem statuit *c. 12. cit.* si verò revelet defectum ex sola Confessione cognitum, vel si alij, non Confessarij, revelent peccatú occasione Confessionis intellectum, pœna est arbitraria, licèt gravis, præter reatum culpæ mortalis, & pœnæ æternæ, si temerè, præsumptuosè, & scienter revelaverint aliquid.

Dico 1. Omnis fidelis utriusque sexûs, postquam ad annos discretionis pervenerit, peccati vel peccatorum mortalium sibi conscius, tenetur omnia sua peccata saltem semel in anno fideliter confiteri & validè proprio Sacerdoti; si omiserit, arcendus est ab ingressu Ecclesiæ vivus, & privandus sepulturâ Ecclesiasticâ mortuus. Ita Concil. Lateranense in *c. omnis utriusque 12. h. t.* & Trid. *s. 14. c. 5. & can. 8. de Sacram. Pœnit.* Ut adeò alia probatione non indigeat Assertio, quam ferè in terminis ponit *cit. c.* sed tantùm explicatione. Dixi itaque 1. *omnis fidelis*, nempe baptizatus, cujuscunque sit statûs, conditionis &c. 2. *postquam ad annos discretionis pervenerit*, h. e. ad perfectum rationis usum, etiamsi puer adhuc sit & tenellæ ætatis; modò, uti dixi; 3. *sit peccati mortalis sibi conscius*, unius vel plurium; qui enim venialia tantùm habet, sicut ex præcepto Divino non obligatur per Confessionem se ponere in statum gratiæ, utpote in quo constitutus jam est, ita nec Jure Ecclesiastico confiteri tenetur; cùm Ecclesia non intenderit novum præceptum Confessionis ponere, sed tantùm designare certum tempus, ultra quod eam non liceat differre ijs, qui Jure Divino obligantur. Accedit, quòd Tridentinum *c. 5. cit.* diserté asserat, peccata venialia sine culpa taceri in Confessione posse: ergo, siquis tantùm unius venialis sibi esset conscius, confiteri non teneretur in anno. Interim tamen consuetudo & constans fidelium sensus indiscriminatim (& fortè sub obligatione) exigit ab omnibus Confessionem annuam, & rectè, quia aliàs sub prætextu carentiæ peccati mortalis multi omitterent Confessionem, qui tamen ad eam tenerentur. Nec sine scandalo in his circumstantiis videtur omitti posse. 4. *omnia sua peccata*, nempe mortalia quoad speciem & numerum, atque quoad circumstantias speciem mutantes, vel novam speciem constituentes, quæ post diligens examen occurrunt memoriæ, uti DD. passim explicant ex Tridentino. *lo. cit.* 5. *saltem semel in anno*, proinde non est determinata pars anni; licèt in *d. c. 12.* pro Communione annua determinetur tempus Paschale, adeóque duplex ibi ponatur præceptum, Confessionis & Communionis annuæ: priori satisfit quocunque anni tempore, posteriori non nisi tempore Paschali. Interim tamen per accidens, nimirum partim propter Communionem Sacram tempore Paschali in statu gratiæ sumendam, partim propter receptam consuetudinem (quæ videtur esse obligatoria, quia Rectores Parochiarum tempore Paschali exigunt schedas, Confessionis peractæ testes, & illo tempore non confessi puniuntur) datur obligatio etiam Confessionem peragendi in Paschate. Et annus, etiam Confessioni præscriptus, computatur ex consuetudine à Paschate ad Pascha, non à primo Januarij usque ad finem Decembris. Siquis præviderit impedimentum Confessionis (vel Communionis) peragendæ in Paschate, tenetur prævenire: siquis autem vel ex negligentia, vel ex justa causa, in Paschate non est confessus, confiteri sub novo peccato tenetur, quamprimum commodè postea poterit, & communicare; cùm tempus Paschale sit præfixum tanquam terminus implendæ, non finiendæ obligationis. 6. *fideliter confiteri*, h. e. distinctè & sine excusatione, prout conscientia dictat, ore, si possit, vel alio signo, si loqui nequeat, aperire. 7. *& validè*; nam damnata est hæc propositio ordine 14. ta. ab Alexand. VII. *qui facit Confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ*: sicut Innoc. XI. damnavit hanc ordine 55. *tam: Præcepto Communionis annuæ satisfit per sacrilegam Domini manducationem.* Nec ille satisfacit, qui ignoranter fecit Confessionem invalidam, sed tenetur postea, si defectú & nullitatè resciverit, veram peragere; quia actum invalidè fieri, & non fieri paria sunt. *arg. l. 30 ff. de Testam. tutel.* nec finis à Jure Divino intentus, nempe reparatio Divinæ amicitiæ, per invalidam Confessionem obtinetur. 8. *sacerdoti*; quia hic solus accepit potestatem absolvendi per Ordinationem à Christo. *Jo. 20.* Nec obstat, quòd in *can. 88. d. 1. de pœnit.* videatur permitti Confessio in casu necessitatis Laico facta; quia similes textus intelligendi sunt non de Confessione Sacramentali, sed de ostensione signorum veræ pœnitentiæ. 9. *proprio*: scilicet Parocho, vel Curato illius loci, aut Episcopo, vel Parochi, Episcopi, aut Papæ delegato, aut Religiosis Mendicantibus, qui à Pontifice per privilegium habent potestatem absolvendi quoscunque Laicos & Sæculares quovis tempore, ut Parochi etiam in Paschate nequeant prohibere suos Parochianos, ne illis confiteantur. Si parochiani peterent licentiam alteri, non privilegiato, confitendi tempore Paschali, & Parochus sine justa causa negaret, possent eo invito alium adire. *arg. c. 18. de Regular.* vel potiùs deberent adire Superiorem Parochi, qui det licentiam. 10. *si omiserit, arcendus est* &c. nempe per sententiam primùm, sive Confessionem tantùm, sive Communionem

nem tantùm, Paschalem, sive utramque omiserit. La Croix apud P. Schmalzgrueber *h. t. n. 24.*

9 Dico 2. Approbatio est Ministro Sacramenti Pœnitentiæ seu Confessario in ordine ad absolvendos à mortalibus Sæculares, & Moniales, ita necessaria, ut sine illa nec licitè nec validè absolvat. 2. Non tamen per se opus est nova approbatione, si semel approbatus ex sua transeat in aliam diœcesim. Pars 1. est decisa in Trident. *s. 23. c. 15. de Ref.* his verbis: *Quamvis presbyteri in sua ordinatione à peccatis absolvendi potestatem accipiant; decernit tamen S. Synodus, nullum, etiam Regularem, posse Confessiones Sæcularium, etiam Sacerdotum* (de Monialibus ita disposuit Gregor. XV.) *audire, nec ad id idoneum reputari, nisi aut Parochiale beneficium, aut ab Episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis detur, obtineat.* Cùm autè restringat suam dispositionem ad absolutionem *Sæcularium*, viri Religiosi poterunt absolvi ab ijs, qui ab eorum Superioribus licentiam obtinent, licèt ab Episcopis approbati non sint. Pars 2. quâ multi tenent cum Coninck, ab ijs sic probatur: duo Episcopi in diversis diœcesibus se habent respectu Sacerdotis semel ab uno approbati, sicut se habent duo Episcopi in eadem diœcesi sibi succedentes: ergo, sicut successor Episcopus in eadem diœcesi non tenetur de novo approbare jam approbatos à suo Antecessore, nec isti à successore novam obtinere approbationem, cùm maneant approbati, licèt successor posset exigere, ut eam de novo obtineant, si vellet, ita nec vicinus Episcopus, ad cujus diœcesim transit approbatus ab Episcopo alterius diœcesis, tenetur de novo approbare ab hoc Episcopo jam approbatum, nec transiens novam petere approbationem, licèt illum posterior Episcopus posset, si vellet, ad novum examen vocare & approbare, ac priorem approbationem non habere ratam. Chapeaville in *thesauro cas. reservat. q. 2. difficult. 3.* Facit huc *Extrav. inter cunctas de Privil. int. com. c. si cui 36. de Præb. in 6.* Utrùm verò Episcopus, ad cujus diœcesim transit approbatus ab alio, velit approbare de novo, priori approbatione revocatâ vel non ratihabitâ, discendum est ex praxi diœcesium, & voluntate Episcoporum, penes quos est confirmare vel revocare priorem approbationé. Patres Societatis nostræ, iter facientes, ex quadam Constit. Gregor. XIII. semel approbati ab aliquo Episcopo, possunt audire Confessiones fidelium cujuscunque diœcesis, nec solent Episcopi urgere novam approbationem. Id quod Episcopi Germaniæ in praxi observant etiam cum alijs Religiosis ad suas diœceses pervenientibus, quos de novo non approbant.

10 Dico 3. Etiam Jurisdictio, Ordinaria vel Delegata, eidem Ministro Pœnitentiæ seu Confessario in ordine ad quoscunque à quibuscunque peccatis mortalibus absolvendos ita est necessaria, ut sine illa nec licitè nec validè absolvat. 2. Nec sufficit jurisdictio merè præsumpta, quæ non sit actualiter jam data, quando confertur absolutio. Pars 1. quam tenet communis, probatur ex natura Absolutionis Sacramentalis, quæ ex Christi institutione est actus Judicialis fori interni: sed ad licentiam & valorem actûs Judicialis requiritur jurisdictio in eum tanquam subditum, respectu cujus exerceatur talis actus, seu cui datur Absolutio Sacramentalis: ergo. Pars 2. suadetur ex simili fundamento; quia ad valorem actûs Judicialis, & cujuscunque alterius necessaria est pro priori jurisdictio, & postas completa agendi: sed, si jurisdictio sit merè præsumpta, nondum actu data, quæ nimirum daretur, si peteretur, vel si præsumatur ratihabitatio absolutionis futura ab illo, a quo pendet dare jurisdictionem, nondum pro priori datur, nec actu existit completa, quando impertitur absolutio: ergo. Idem rendum, siquis aliunde non habens jurisdictionem præsente, videnter, & non contradicente Parocho absolveret hujus Parochianum, præsumens ex taciturnitate consensum & jurisdictionem sibi delegatam; quia taciturnitas non est sufficiens ac satis determinatum signum licentiæ & delegationis; cùm Parochus tacere possit ex alijs causis, quin det licentiam, existimans v. g. suum subditum confiteri solùm venialia, vel habere privilegium eligendi Confessarium, vel Sacerdotem esse munitum privilegiò audiendi Confessiones quorumcunque fidelium. Confirmatur: Sacramentum Pœnitentiæ non potest dependere à futuro eventu, sed statim vel est validum vel invalidum, quo tempore administratur: si validum, non opus est futura ratificatione vel licentiâ: si invalidum propter defectum actu obtentæ licentiæ vel ratificationis, hæc secuta & tractu temporis non convalescit. *c. 28. de R. J. in 6.*

Oppones 1. In ipsa Ordinatione Sacerdotis datur eidem potestas absolvendi quoscunque fideles, dum Episcopus ei manus imponens dicit, *accipe Spiritum S. quorum remiseris peccata, remittuntur eis &c.* Ergo nec Approbatio, nec Jurisdictio alia, ipsi est necessaria ad validè absolvendum. 2. Si Sacerdos extraneus præsente & non contradicente Parocho proprio assistit Matrimonio, istud valet, & taciturnitas, cùm posset facilè contradicere, habetur pro signo sufficienti licentiæ actu datæ: ergo & absolvens alienum Parochianum, Parocho præsente & non contradicente, cùm facilè posset, validè absolvit. *ad 1. Ant.* datur eidem potestas absolvendi adhuc incompleta, in actu primo, & quasi conditionata, si nempe ab Ecclesia illi assignentur subditi prævia cognitione de ejus idoneitate. *C. Ant.* completa, absoluta, & proximè apta deduci in actum secundum. *N. Ant. & Conf.* Potestas Ordinis, quæ confertur in Ordinatione, jam quidem est potestas absolvendi in actu primo, & incompleta, nondum verò completa & reducibilis in actum secundum, propter defectum subjecti apti, nempe subditorum, qui nondum ei sunt designati; cùm nullus actus jurisdictionis, qualis est absolutio à peccatis exercen-

exerceri validè possint sine collata actualiter jurisdictione, & quia hæc ordinariè non tribuitur actu, nisi prævia approbatione, etiam sine hac. Exemplum habes in creatione Doctoris, cui quidem in creatione confertur jam potestas docendi, & judicandi causas, sed adhuc incompleta, & non reducibilis in actum secundum, nisi eidem priùs concedatur cathedra, in qua doceat, vel tribunal & subditi, ubi & quorum causas judicet. Ad 2. *N. Cons. & parit.* quia in priori casu Parochus ferè & moraliter certus est, talem Sacerdotem non aliunde licentiam habere assistendi Matrimonio: ergo, si ad ejus assistentiam tacet, rectè præsumitur actu & de præsenti consentire: non verò ita certus est, aliunde non competere jurisdictionem illi, qui se præsente & tacente absolvit suum Parochianum: ergo non rectè præsumitur actu consentire. Si ponas etiam in posteriori casu parem certitudinem non habitæ aliunde jurisdictionis, admitto paritatem: & si ponas, nec Parochum re ipsa consentire in assistentiam Matrimonij, licèt licentia rectè præsumatur, etiam assistentia est invalida; cùm esset licentia *merè* præsumpta, non actu existens, dum ponitur assistentia. Plures objectiones huc facientes vide solutas in *lib. IV. tit. 3. n. 23.*

12 Dico 4. Ut peccatum possit vel soleat reservari, requiruntur sequentia. 1. ut sit *mortale* tam ex objecto suo, quàm ex advertentia ad gravitatem ex parte committentis; nam venialia neque confiteri per se necesse est. 2. ut sit *externum*; etsi enim peccata merè interna absolutè reservari valeant, cùm per talem reservationẽ Ecclesia non prohiberet directè actum internum, sed solùm directè adimeret jurisdictionem ad absolvendum necessariam; reservatio tamen internorum minùs pertinet ad externam Ecclesiæ gubernationem, quæ in casuum reservatione spectatur præcipuè. Ubi adverte, actum externum quoad circumstantias suas per se debere esse mortaliter pecaminosum: & hinc, si reservatum est peccatum carnis in actum externum prodiens, ille actus per se debet esse graviter provocativus ad Venerem, qualis non est aspectus faciei, tactus manuum &c. etiam alterius sexûs, licèt fiat cum Venerea delectatione interna graviter peccaminosa: item si furtum sit reservatum, & aliquis rem levem auferat cum animo accipiendi magnam, non est casus reservatus. 3. ut sit *consummatum* in genere suo, & eo modo, qui in lege reservante exprimitur, v. g. *temerè, scienter, præsumptuosè* &c. si ita sonent verba legis. 4. ut illud peccatum sit *admodum grave*, habens gravitatem extraordinariam, quæ talem rigorem exigat; cùm aliàs reservatio nimis accideret difficilis. 5. ut tale peccatum non sit *valde frequens*; nam aliàs nimia pareretur molestia tam subditis quàm Superioribus. Hanc conditionem quamvis plerique non exprimant, exprimit tamen Laym. in quodam Manuscripto apud & cum P. Gobat *tr. 7. n. 355.* utl in Germania est peccatum hæresis, & lectionis librorum hæreticorum (saltem ubi hæretici vivunt immixti Catholicis, & libri auctorem Hæresiarcham non habent.) Laym. *in disp. de Jurisdict.* Wagnereck &c. Favet quoque P. Engel *in Manuali Paroch. p. 3. c. 2.* id asserens de Censura, quæ imponeretur alicui actui valde frequenti in quibusdam locis. 6. ut illud peccatum non sit *dubium*, sive dubietate *Juris*, ut si dubitetur de Lege reservante; cùm casuum reservatio, utpote odiosa, sit strictæ interpretationis, & libertas ac potestas absolvendi in possessione: sive *Facti*, ut si dubitetur, an verè & eo modo sit patratum peccatum, uti exigit lex reservans. Suar. Sanch. &c. cum Gobat *n. 356.* qui utilissimè inspicitur *toto casu 8. tract. cit.*

Dico 5. Reservatio casuum, nisi pœnalis sit, 13
incurritur etiam ab eam invincibiliter ignorante. Sanch. *l. 9. de Matrim. d. 33. n. 18* P. Stoz, La Croix, atque hodie Theologi & Canonistæ communiter contra Navar. & Dian. quia reservatio principaliter spectans bonum fidelium & familiarum Religiosarum est absoluta jurisdictionis ablatio ex parte Ministri. Limitavi tamen, *nisi pœnalis sit*; nam pœna ab invincibiliter ignorante non incurritur, uti docui *ad tit. de Constit. & ad tit. de eo, qui duxit, quam polluit* &c. Adeóque Ministro non absolutè censetur ablata jurisdictio, sed sub hac conditione, *nisi delinquens legem pœnaliter reservantem invincibiliter ignoraverit.* Sanch. & alij hodie passim cum Lugo & Gobat *n. 360.*

Dico 6. Directè & per se, ac extra pericu- 14
lum mortis, absolvere à casibus reservatis concessum est soli reservanti, ejúsque Superiori, & quibus isti hanc potestatem delégant, vel Jus aut privilegium speciale indulget. Ita plerique omnes; in hoc enim consistit reservatio, quòd inferiori adimatur potestas absolvendi à certis casibus. Dixi 1. *directè & per se*, ita ut nova absolutio, vel obligatio se alteri adhuc sistendi non ampliùs detur; nam per accidens, & indirectè, scilicet cum onere pœnitentis se sistendi iterum Superiori, ut directè & absolutè absolvatur, potest absolvere inferior, quando ex una parte urget necessitas confitendi ob periculum scandali vel infamiæ ex omissione Confessionis, ex altera verò Superior hìc & nunc adiri nequit: sic à casibus Papæ reservatis absolvunt Episcopi, & inferior à reservatis Episcopo &c. illos, qui laborant impedimento temporali accedendi Papam aut Episcopum, vel ejus delegatum: si impedimentum accedendi Papam foret perpetuum, aut diu duraturum, Episcopi, vel alij loco istorum, etiam directè possent absolvere sine onere se sistendi postea, quali impedimento laborant Regulares, mulieres, senes, pueri, valetudinarij, & alij his versibus comprehensi: *Regula, mos, sexus, bostis, puer, officialis, deliciosus, inops, ægérque, senexque, sodalis, janitor, astrictus, dubius, causæ levis ictus, debilis, absolvi sine summa Sede merentur*: quorũ verborum explicationem dat Illsung. *de Sacram. n. Pœnit. 216.* Quæ doctrina desumitur ex *c. 6. 13. 26. 33. 58. de Sent. Excomm.* & ex hac ratione; quia hujusmodi impedimentum æquivalet articulo

mortis; cùm periculum morale sit, ne eo detentus decedat, antequam Papam vel ejus legatum, aut delegatum adire possit. Dixi 2. *extra periculum mortis;* in hoc enim, seu mortis certo vel probabili periculo, cessat omnis reservatio. Concil. Trid. *s.14. c.7. de Sacram. Pœnit.* ita ut quilibet, etiam degradatus, excommunicatus vitandus, hæreticus &c. modò Sacerdos sit, validè absolvat à quibusvis peccatis, & quidem directè ac per se, & non indirectè tantùm & per concomitantiam cum aliis peccatis non reservatis: excipe, nisi peccato reservato sit annexa Censura Excommunicationis Superiori reservata; tunc enim absolutus cessante mortis periculo sistere se debet Superiori, non ut iterum absolvatur, sed ut mandatum ejus de satisfaciendo accipiat. *c.26. c.58. citt. c. eos, qui 22. de Sent. Excom. in 6.* Chapeaville *in thesauro casuum reservat. in fine.* Dixi 3. *& quibus isti hanc potestatem delegant:* qualem potestatem sibi tacitè delegatam obtinent, qui peregrinos & advenas, in quorum diœcesi, non autem in diœcesi, ad quam veniunt, datur reservatio certi peccati, bona fide egredientes & sibi tale peccatum confitentes absolvunt (non verò si egrediantur præcisè eo animo in alienam diœcesim, ubi suum peccatum non est reservatum, ut consequantur ab eo absolutionem) Suar. P. Friderich *in tract. de Foro Comp. p.1. c. 3. n. 72.* cum Laym. Henriq. Pontio, aliisque; cùm ex generali consuetudine censeatur adesse tacitus consensus proprii Episcopi, & Confessarii non teneantur pœnitentes ex aliena diœcesi adventantes interrogare, num in sua diœcesi hoc vel illud peccatum non sit reservatum. Aliud probabiliùs foret, si in diœcesi ipsius Confessarii, non tamen in diœcesi pœnitentis, peccatum istius esset reservatum; quia talis peregrinus tractandus est ut incola, & reservatio non tam pœnitentem quàm Confessarium, cui aufert jurisdictionem, respicit. Suar. Cajet. &c. Dixi 4. *vel Jus indulget:* sic in Trid. *s.24. c.6. de Ref.* conceditur Episcopis, ut in foro conscientiæ suos subditos absolvant à quibuscunque casibus Papalibus occultis, & ad forum contentiosum non deductis. Item secundùm dicta illos, qui ob impedimentum adire Pontificem nequeunt. Dixi 5. *Aut privilegium speciale,* cujusmodi habent Religiosi Mendicantes ad absolvendos quoscunque Sæculares à casibus Papæ reservatis, exceptis tamen casibus Bullæ Cœnæ (nisi nempe quoad horum aliquos speciale habeant privilegium &c.) juxta *Constit.* Clem. VIII. 9. Junii 1601. editam, ubi præfatus Pontifex addidit adhuc alios 5. casus, scilicet extractionem reorum ex asylo, violationem clausuræ Monialium ob malum finem castitati contrarium, duellum in forma Concilii Tridentini, percussionem Clerici mediocrem vel gravem, & Simoniam realem vel confidentialem: sed, ut rectè observat Gobat, Urban. VIII. *in Constit.* 17. Nov. 1628. declaravit, per Bullam Clem. VIII. illis Regularibus extra Italiam non esse ademptam potestatem absolvendi ab aliis peccatis & Censuris, præterquam *in Bulla Cœnæ, & per Ordinarium loci* reservatis, qui eam prius habuerunt: ergo extra Italiam à dictis 5. casibus adhuc licet absolvere Religiosis Mendicantibus. Idem Urbanus omisit hæc verba, in Bulla Clementis VIII. posita: Regulares in *nullo casu, etiam necessitatis, & impedimenti* &c. absolvere præsumant à casibus Bullæ Cœnæ; consequenter tacitè videtur indulsisse, ut in *casu necessitatis & impedimenti* absolvant quoque à casibus Bullæ Cœnæ.

Quæres 1. An Religiosi Mendicantes, vel alii, possint absolvere à casibus Episcopalibus? 2. quid Confessario faciendum, quando casus reservatus, à quo nequit directè absolvere, ipsi in Confessione proponitur? ad 1. quamvis olim probabiliter potuerint suorum privilegiorum, hodie tamen post Bullam *cit.* Urbani VIII. & propositionem ab Alexandro VII. damnatã, sic sonantem, *Mendicantes possunt absolvere à casibus Episcopis reservatis, non obtenta ad id eorum facultate,* etiam extra Italiam non ampliùs possunt. Unde Regularium Superiores, præsertim nostræ Societatis, ab Episcopis petere & obtinere solent facultatem à dictis casibus absolvendi. Nominatim tamen ab Episcopis excommunicatos, saltem si talem censuram non specialem sibi reservent, & pœnitens paratus sit præstare Episcopo & Parti læsæ satisfactionem, Religiosi Mendicantes etiam hodie adhuc possunt absolvere pro foro interno, teste Tambur. *lib.3. Method. Confess. c.7. §.5. n.22.* quia talis Censura nec est casus Bullæ Cœnæ, nec per se, nec per decretum generale, nec specialiter Episcopis reservata. Confessariis tamen Soc. JESU ad id opus est specialis licentia suorum Superiorum. Tambur. *lo. cit. ex Compend. Privil.* ejusdem Societ. *§.1. v. Absolutio. n.* ad 2. Si verè dubitet post diligentem reservationis discussionem, an sit casus reservatus, absolvat: cùm sit in possessione suæ potestatis. Si novit, esse reservatum, quamvis per se loquendo deberet pœnitentem dimittere absque Absolutione, ac mittere ad Superiorem vel alium potestate absolvendi prædirum, ut fert communis sensus, potest tamen ordinariè illi impertiri absolutionem, eique sic dicere: doleo, quòd nequeam te aliter absolvere, quàm indirectè seu cum onere, ut hoc peccatum iterum confitearis potestatem habenti absolvendi ab hoc peccato reservato, vel ut redeas ad me post hoc vel hoc tempus, dum interea facultatem te absolvendi impetravero. Si acquiescat, bene est: si hæc facere nolit pœnitens, signum est, quòd non sit ritè dispositus: imò si Confessarius notet, pœnitentem invincibiliter ignorare, suum peccatum esse reservatum, potest directè absolvere juxta probabilem quorundam sententiam: si autem debeat communicare, aliàs subiturus infamiam, vel Sacerdos celebrare, absolvat indirectè vel directè minùs propriè, h. e. cum onere, se rursus sistendi vel habenti potestatem absolvendi, vel filposquam eam obtinuerit, Gobat *d. n.* 3[illegible]

Cle-

Chapeaville in *tract. brevi*, quem refert ex Laym. *n.* 10. uterque cum alijs.

16 Dico 7. Sigillum Confessionis ita strictè obligat, ut nullo prorsus casu licitum sit revelare peccatum dependenter à Confessione cognitum, nisi ipse pœnitens dederit facultatem. Ita unanimis Theologorum contra Altisiodorensem sententia, & communis Ecclesiæ sensus, atque perpetua traditio Ratio, quia, si vel unico in casu humana potestas in obligatione Sigilli Sacramentalis dispensare posset, absterreri ab integritate & usu Sacramenti Pœnitentiæ, tantopere relapsis post baptismum necessarij, homines possent, atque illud redderetur magis onerosum, quàm Christus instituit. Ut adeò nec liceat revelare aliquid ad evitandam proximi necem, vel ad ipsius etiam Reipublicæ, aut totius Mundi extremum malum declinandũ, vel ad quodcunque bonum cuicunque procurandum, licèt accederet consensus Sedis Apostolicæ. Dixi tamen, *nisi ipse pœnitens dederit facultatem*; cùm enim obligatio Sigilli principaliter introducta sit in favorem pœnitentis, in potestate ipsius est, illam remittere; neque pro casu hujus licentiæ, quæ tamen debet esse liberrima, pœnitenti penitus voluntaria, formalis, & expressa, nec dolo nec metu extorta, ac insuper semel data ad libitum revocabilis, Sacramentum hoc nulli redditur onerosum, vel exosum.

17 Quæres, an violatio Sigilli ob parvitatem materiæ revelatæ non possit excusari à peccato mortali? R. 1. quatenus adversatur virtuti Religionis, & Sacrilegium est, quale est semper, nunquam excusatur ratione parvitatis materiæ à peccato gravi, imò gravissimo: *ratione parvitatis materiæ*, inquam; nam *ex imperfectione actûs*, scilicet ob defectum advertentiæ, deliberationis &c. veniale, imò & nullum peccatum involvere potest. R. 2. quatenus verò adversatur Justitiæ vel Charitati, non repugnat, talem revelationem ex parvitate materiæ fieri veniale tantùm peccatum; cùm revelatio levis peccati in leve tantùm pœnitentis nocumentum cedere possit. Vid. P. Stoz *in tribun. Pœnit. lib. 2.*

§. 2.

De Pœnitentia, ut est Satisfactio. Ubi etiam de Remissionibus, seu Indulgentiis.

18 Sciendum 1. Pœnitentiam, prout est Satisfactio pro pœna temporali, ex dimissis quoad culpam peccatis residua, vel esse Sacramentalem, & partem integralem Sacramenti, de qua hic potissimùm agimus, vel esse non Sacramentalem, sed sponte susceptam à pœnitente: in priori acceptione est opus bonum pœnale à Confessario impositum pœnitenti in pœnæ temporalis compensationem, ut satisfiat aliquo modo Justitiæ Divinæ; nam ex Fide & Trident. *s. 14. c. 8.* constat, non semper, imò ordinariè non simul omnem pœnam temporalem remitti cum culpa, præsertim mortali, per Sacramentalem Absolutionem dimissâ. In posteriori acceptione est opus pœnale externum voluntariè assumptum ad vindicanda peccata, & ad placandam Divinam offensam. *Pœnitentia* hæc dividitur in Privatam & Publicam: *Privata* est, quæ vel à Confessario post Confessionem injungitur privatim peragenda, vel à Pœnitente sponte susci-pitur, ac privatim & in occulto peragitur. *Publica*, quæ imponitur, & peragitur publicè, pro peccatis manifestis; quia *manifesta peccata non sunt occulta correctione purganda. c. 1. h. t.* Talis ferè pro foro externo & à Superiore Ecclesiastico injungi potest; à Confessario autem solùm cum licentia pœnitentis, & cum debita cautela, ne indè violetur sigillum Confessionis; licèt Confessarius possit, & subinde debeat, obligare peccatorem publicum, ut etiam publicè emendatum se ostendat, ac scandalum tollat, negatâ etiam, si aliàs id sperare nequeat, interim Absolutione. *Publica* subdividitur in Solennem & non-Solennem. *Publica solennis*, quæ hodie in desuetudinem abiit, olim imponebatur cum certis solennitatibus, quæ referuntur *can. 63. 64. seqq. d. 50.* nonnisi propter gravissima scelera toti communitati scandalosa & perniciosa, atque à solo Episcopo, vel ejus mandatô, non tamen Clericis, nisi depositis sine spe restitutionis, & quidem initiô Quadragesimæ, ubi se Rei præsentare debebant in habitu pœnitentium, &, ad exemplum expulsionis Adæ ex Paradiso, expellebantur templô, ac feriâ 5. in Cœna Domini recipiebantur. Et hi solenniter pœnitentes fiebant infames, non quidem ratione pœnitentiæ, sed ratione promulgati criminis. *Publica non-solennis* est, quæ quidem publicè peragenda injungitur ac in facie Ecclesiæ, at sine prædictis solennitatibus, v. g. si alicui à Superiore injungitur peregrinatio cum pera & baculo benedictis, & de hac loquitur. *c. 1. cit.*

Sc. 2. per *Remissiones* hic intelligi relaxatio- 19
nes pœnarum temporalium, specialiter ab Ecclesia concessas, ne per opera pœnitentiæ extingui debeant post peccata, quoad reatum culpæ & pœnæ æternæ jam dimissa per Absolutionem Sacramentalem vel per Contritionem perfectam, residuæ adhuc pœnæ temporales, aliàs vel in hac vita vel in Purgatorio solvendæ & sustinendæ. Et hæ relaxationes ferè sunt *Indulgentiæ*, uti vocamus, per quas Ecclesia per applicationem Satisfactionum Christi & Sanctorum remittit dictas pœnas temporales, quæ aliàs delendæ forent per pœnitentiam, quam Antiqui *Canones Pœnitentiales*, ut appellantur, & habentur in fine Decreti Gratiani, pro singulis ferè gravioribus peccatis taxârunt, &, antequam refrigesceret charitas, à fidelibus magnô zelô assumebatur, vel etiam à Superioribus infligebatur: successu autem temporis, cùm tepor invalesceret, *Indulgentiæ* prædictæ, licèt semper fuerint in Ecclesia, quamvis rariores, frequentari magis & magis cœperunt, uti hodie videmus. *Indulgentiæ* autem ex *Extrav. 2. h.t. int. com.* sic definiuntur: sunt *remissio pœnæ temporalis pro peccatis actualibus debitæ ex Thesauro Ecclesiæ desumpta.* Adeóque per Indulgentias non remit-

titur ullum peccatum quoad reatum culpæ, sed solùm post dimissam culpam quoad reatũ pœnæ temporalis, aliàs sustinendæ in Purgatorio alterius vitæ, vel delendæ in hac vita per opera Pœnitentiæ & satisfactoria, aut per ærumnas patienter toleratas. *Thesaurus Ecclesiæ*, ex quo desumuntur Indulgentiæ, & quidẽ inexhaustus, sunt præcipuè passiones & satisfactiones, seu opera satisfactoria infiniti valoris, ipsius Christi, deinde B. Virginis & aliorũ Sanctorum, quibus ipsi non indiguerunt ad satisfaciendum pro pœna temporali, ac proinde remanserunt in thesauro & dispositione Ecclesiæ. Ab istis Indulgentiis impugnandis originem sumpsit schisma, apostasia, & hæresis pernicios̃issima Martini Lutheri, infausto fidere ac in Germaniæ perniciem nati, qui, ut ipsémet postea fassus est, impugnare Indulgentias cæpit ignarus, quid verè & propriè essent. Ne id pluribus tum in ia hac tum in aliis materiis contingat, ut disputent de rebus Fidei, quas non satis intelligunt, suaserim, præsertim iis, quos propter viciniam cum Hæreticis agere vel necesse est, vel facilè contingit, ut legant, ac attentiùs nonnunquam volvant librum aliquem Controversisticum, fortè meum *Cursum Theologiæ Polemicæ*, ubi succinctô & facili stylô pertractatam invenient omnem materiam cum modernis Hæreticis controversam.

20 Sc. 3. Indulgentias dividi 1. in Plenarias seu Totales, & in non-Plenarias seu Partiales. *Plenaria* Indulgentia tollit omnem pœnam in hac vel altera vita exsolvendam. *Non-Plenaria* partem duntaxat pœnæ: si remittat tertiam v. g. vel quartam pœnæ partem, est *Indeterminata;* cùm pœna debita in diversis subjectis sit inæqualis: si verò ad certi temporis pœnam remittendam conceditur, v.g. 20.40. dierum, unius anni, vel 7. 10. 100. annorum, est *Determinata:* si sit 7. annorum Indulgentia, vocatur *Septenna*, per quam nimirum remittitur pœna, quæ aliàs per jejunium 7. annis continuatum, & secundùm Canones Pœnitentiales antiquos injunctum, deleri potuisset: si respicit 40. dies, appellatur vel *Quadragena*, quæ est Indulgentia, quâ deletur pœnæ tantum, quantum per jejunium 40. dierum juxta præfatos Canones impositum, fuisset deletum: vel *Carena*, qua exsolvitur tantum pœnæ, quantum per jejunium in solo pane & aqua 40. diebus continuatum juxta dictos Canones fuisset exsolutum. Siquidem sensus concessionis Indulgentiarum determinatarum non est, quasi per eos extinguatur intra illud tempus pœna illa, quæ in Purgatorio per hoc tempus extingueretur, sed iste, quòd tanta pœna deleatur per hujusmodi Indulgentias, quanta fuisset deleta per opera pœnitentiæ secundùm Canones Pœnitentiales per illud tempus peracta: quæ pœna cùm longè amplior per hujusmodi opera pœnitentiæ, v. g. jejunium 7. annis continuatum, deleatur, quàm in Purgatorio per idem 7. annorum spatium deleretur, cùm opera viatoris in gratia constituti sint Deo longè gratiora, quàm existentis in Purgatorio jam extra statum viæ; ideo apparet, quàm efficaces sint Indulgentiæ, hominibus utiles, quo in pretio habendæ, & quanta sedulitate lucrandæ. 2. in *Reales, Locales, & Personales* prout nempe vel certis rebus, v.g. numismatis, poteriis &c. vel certis locis, v.g. templis, vel certis personis conceduntur. 3. in Indulgentias *pro vivis*, respectu quorum habent rationem absolutionis, & *pro defunctis*, respectu quorum habent rationem solutionis tantùm & suffragii; cùm Ecclesia in animas defunctorum non habeat jurisdictionem, quam supponit *absolutio*.

Sc. 4. Speciem Indulgentiæ Plenariæ efficit *Jubilæum*, quod præter plenariam seu plenissimam pœnæ pro peccatis adhuc debitæ remissionem continet adhuc alias quoque gratias, videlicet 1. facultatem eligendi Confessarium quemcunque ex approbatis ab Episcopo. 2. potestatem talis electi Confessarij ab omnibus peccatis, Censuris, & casibus, aliàs Episcopo, vel etiam Summo Pontifici reservatis: excipiunt tamen aliqui excommunicatum ab homine, seu à Judice excommunicatum (suspensum vel interdictum) publicè & nominatim denuntiatum, item casus in Bulla Cœnæ reservatos: Palao tamen & alij probabiliter tenent, etiam hos excommunicatos, & à casibus Bullæ Cœnæ, vi Jubilæi, si in eo specialiter non excipiantur, absolvi posse. In præsenti Jubilæo, quod perendie, nimirum 27. Julij 1721. apud nos Ingolstadij inchoabitur, expressè data est potestas absolvendi à casibus Bullæ Cœnæ. 3. Licentiam eidem Confessario datam omnia vota, etiam jurata, commutandi in alia opera bona valoris aliquantò minoris; licèt excipi soleant vota aliàs reservata, uti ingrediendæ Religionis, Castitatis perfectæ, & subinde etiam (non tamen in proximè inchoando) vota triplicis Peregrinationis, Romanæ, Jerosolymitanæ, & Compostellanæ, item per se censentur excepta vota, quorum commutatio cederet in præjudicium tertij. Hujusmodi Jubilæum concedi à Pontifice solet Romam peregrinantibus in anno Sancto, ut vocatur, qui olim fuit tantùm centesimus, postea verò quinquagesimus. *Extrav. 1. & 2. b. t. int. com.* hodie autem ex dispositione Pauli II. & Sixti IV. semper solet esse vigesimus quintus. *Extrav. 4. eod.* Finito hoc anno etiam extra Urbem & per reliquum Orbem Christianum solet ex indulgentia Pontificis idem Jubilæum concedi, & ab Episcopis promulgari, qui ad obtinendas ejus gratias certum tempus, unius vel plurium mensium, & apud nos ferè tantùm duarum hebdomadum, intra quas præscripta opera fieri debent, designant. Præter istud Jubilæum ordinarium consueverunt Pontifices tam in Urbe, quàm extra illam, alia quoque extraordinaria concedere ob graves & publicas causas, v.g. ad obtinendam Ecclesiæ pacem, ad avertendum periculum à Turcis vel alijs infidelibus imminens &c. Ordinariè autem statim post suam ad Pontificatum evectionem singuli solent concedere, uti præsens clementissimè concessit Innocentius XIII. nuper ad Cathedram S. Petri evectus.

Dico

22 Dico 1. Per se & regulariter tenetur Confessarius semper injungere confitenti aliquam pœnitentiam. 2. eámque proportionatam non tantùm gravitati & multitudini peccatorum, verùm etiam statui, viribus, & dispositioni pœnitentis. 3. injunctam verò tenetur acceptare pœnitens, si ea rationabilis sit, & ipse velit absolvi. 4. nec acceptatam sine nova Confessione alius Confessarius ab eo, qui injunxit, distinctus commutare potest. Pars 1. & 2. traditur à Trident. *s. 14. c. 8. de Pœnitentia* præcipiente, *ut Sacerdotes Domini, quantum Spiritus, & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, salutares & convenientes pœnitentias injungant &c. Habeant præ oculis, ut satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad novæ vitæ custodiam, sed etiam in præteritorum peccatorum vindictam & castigationem.* Ratio, quia Confessarius agit personam Medici & Judicis: ut *Medicus*, debet injungere pœnitentiam, quæ per modum medicinæ sit salutaris pœnitenti, attenta ejus facultate & statu ad præservandum à lapsu, ut *Judex* debet vindicare priora delicta per opera pœnalia delictis proportionata; siquidem per *pœnitentiam* intelliguntur quælibet opera bona, cùm quodlibet habeat adjunctam aliquam molestiam, sui victoriam & sic aliquam pœnalitatem ac vim satisfactoriam. Revocantur communiter ad tria genera, *Orationis*, uti sunt preces, auditio Missæ, concionis, vesperarum, frequentatio Confessionis & Communionis, meditatio Passionis Christi, quatuor Novissimorum &c. aliáque opera spiritualia tum interna, tum externa, uti lectio spiritualis libelli &c. *Jejunij*, quo nomine veniunt etiam flagellationes, cilicia, aliæque carnis macerationes: & *Eleemosynæ*, quò spectant alia quoque opera misericordiæ, spiritualia & corporalia, pro vivis, ac defunctis obeunda. Et licèt possint injungi opera etiam aliunde jam debita ex præcepto, voto &c. ordinariè tamen non expedit talia imponere, nec censentur imposita, nisi Confessarius exprimat. Dixi autem, *per se & regulariter*; nam licitè omittit pœnitentiam Confessarius 1. si moribundum jam sensibus destitutum absolvit: si tamen adhuc sui esset compos, deberet levem injungere, v. g. ut ore vel corde dicat *fiat voluntas tua*, vel ut pronuntiet nomen *JESU & MARIÆ*, vel ut suos dolores offerat Deo. 2. si pœnitens post jam injunctam pœnitentiam & datam Absolutionem se iterum accusat de novo aliquo peccato priùs omisso, ut solent scrupulosi. 3. si probabiliter existimat, pœnitentem jam aliter satisfeciisse per vehementem Contritionem aut opera pœnitentiæ ultrò susceptа: sed hoc casu non debet aliquis sibi facilè fidere, ne facilè decipiatur. Pariter licitè mitigat, & pœnitentiam gravitati ac multitudini peccatorum non respondentem injungit 1. si pœnitens sit infirmus, senex, pauper, qui duro labore sustentari debet. 2. si det signa valde magni doloris & Contritionis, aut si aliàs multùm sit deditus virtutum ac pœnitentiæ actibus sponte suscipiendis. 3. si paulò antè lucratus sit Indulgentias, vel statim lucraturus credatur, vel si ei injungatur, ut studeat illas lucrari. 4. si Confessarius prævideat, à pœnitente majorem pœnitentiam non implendam, vel timeat, ne per graviorem absterreatur à frequentiori Confessione, quæ tamen ipsi valde utilis esset futura; præstat enim tales infirmos cum levi pœnitentia ducere ad Purgatorium, quàm cum magna, quam non peragunt, vel quâ absterrentur à salutari hoc Sacramento, ad Infernum. 5. si Confessarius formulæ Absolutionis subjungat hæc verba: *quidquid boni feceris, & mali sustinueris, sit tibi in remissionem peccatorum &c.* quia valde probabile est, vi horum verborum opera subsequentia (quousque necessarium, vel ob conservatum gratiæ statum possibile fuerit) ad rationem pœnitentiæ Sacramentalis elevari, & singularem acquirere vim ex opere operato satisfaciendi pro peccatis confessis, ut ex plurimis Auctoribus probat P. Stoz *lib. 2. q. 3. à n. 15.* Nihilominus tamen studeant Confessarij, ut ijs, quibus mortalia confessis mitigant pœnitentias, injungant Medicinales, v. g. breves quidem, sed quotidianas preces ad certum tempus, crebriores Confessiones, lectiones librorum spiritualium, auditiones Concionum, devitationes certarum domuum, & occasionum, aliquas Eleemosynas &c. Pars 3. claret, quia alias, si pœnitens non teneretur acceptare pœnitentiam, potestas eam injungendi in Confessario esset frustranea: grave tamen peccatum non committeret recusando, vel postea non implendo, si pœnitentia injuncta foret levis, vel magna quidem, at propter mera venialia, aut sub levi tantùm peccato injuncta. Nec facilè dimittat Confessarius pœnitentem, qui graviorem, licèt rationabilem & delictis proportionatam, pœnitentiam recusat, paratus sine absolutione discedere, modò velit aliquam acceptare. Pars 4. indè infertur, quòd commutatio pœnitentiæ sit actus Judicialis, qui supponit causæ cognitionem; imò, quia & jurisdictionem requirit, ab ipso pœnitente nunquam commutari pœnitentia potest etiam in opus manifestè melius. Prior autem Confessarius, qui injunxit, sine nova Confessione permittitur commutare, modò confusam saltem priorum peccatorum notitiam habeat; cùm commutatio referatur ad prius judicium Sacramentale.

23 Dico 2. Indulgentias concedere quascunque, etiam pro defunctis, ex plenitudine potestatis potest Summus Pontifex. 2. Modò habeat justam & rationabilem causam. 3. Inferiores autem Prælati nequeunt, nisi ex privilegio, vel consuetudine, hanc potestatem legitimè obtinuerint. 4. Sic Legatis Apostolicæ Sedis in litteris suæ Legationis, & quidem communiter ad 100. dies, ista potestas concedi solet: sic ex privilegio vel consuetudine eadem competit Cardinalibus itidem ad 100. dies, ut docet Gobat & La Croix *to. 6. n. 1321.* Sic Episcopis (non autem Capitulo Cathedrali, Sede vacante, nec Vicario Generali, aut

Prælatis alijs inferioribus, ut habet communis) in suis diœcesibus, & Archi-Episcopis in suis proprijs, sed tantùm in Dedicatione Ecclesiæ Indulgentias unius anni, & in Dedicationis Anniversario Indulgentias 40. dierum, cum restrictione ad vivos tantùm, de Jure communi dare permittitur *c. 14. c. 15. h.t.* Sic quoque ex peciali privilegio obtinent quandoque Superiores Regularium potestatem concedendi Indulgentias pro suis subditis tempore Visitationis. Pars 1. sumitur tum ex Matthæi *c. 16. v. 19.* ubi Christus ad Vicarium suum dixit: *tibi dabo claves Regni cœlorum, quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis,* tum ex *Extrav. Unigenitus 2. h.t. int. Comm.* Addidi, *etiam pro defunctis*, at non per modum Absolutionis, uti pro vivis, sed *per modum suffragij*, h.e. satisfactiones Christi exhibendo Divinæ Majestati quasi solutionem pretii, adjunctis precibus, ut eas pro debito pœnæ, à defunctis adhuc sustinendæ, misericorditer acceptare, & pœnam remittere dignetur; cùm Papa, utpote cui tantùm data est potestas solvendi & ligandi *super terram*, in defunctos jurisdictionem, & sic potestatem *absolvendi* à pœnis non habeat. Atque hinc aliqui putant, Indulgentias pro defunctis concessas non habere effectum certum ac infallibilem: sed infallibilem affirmant plures & verius cum S. Thoma, id desumentes ex Bulla Leonis X. ad Cajetanum, in qua æqualiter & absolutè videtur promitti liberatio à pœnis tam defunctorum quàm vivorum. Pars 2. colligitur ex *cit. Extrav.* & ex hac ratione; quia Papa non est Dominus, sed solùm dispensator Thesauri Ecclesiæ & Satisfactionum Christi: merus autem dispensator non solùm illicitè, sed etiam invalidè, disponit de rebus sui Domini sine justa causa; qua deficiente prodigeret, non dispensaret thesaurum: sed prodigere non censetur esse concessum. Pars 3. & 4. videntur jam satis roboratæ ex dictis.

24 Oppones 1. Si requiritur jurisdictio ad concessionem Indulgentiarum pro vivis, tunc Papa non est capax Indulgentiarum; quia in se ipsum non potest exercere actum jurisdictionis: sed hoc videtur inconveniens, ut Papa sit deterioris conditionis, quàm fideles subditi. 2. si Papa potestatem habet concedendi Indulgentias etiam pro defunctis, tyrannus est, si per Indulgentias passim concessas non evacuet totum Purgatorium, & animas, si possit, non liberet statim à tam gravibus pœnis: sed hoc Sedi Apostolicæ non convenit. 3. dispensatio in lege jejunij, absolutio ab excommunicatione, ac similium pœnarum remissiones valent, licèt concedantur sine justa causa: ergo & largitio Indulgentiarum sine justa causa. 4. multa prohibentur, quæ tamen facta tenent, ac roboris obtinent firmitatem. *c. 16. de Regular.* ergo & concessio Indulgentiarum, licèt fieri sine causa prohibeatur, facta tamen tenebit. 5. nunquam potest deesse justa causa, cùm utiq; sufficiens causa sit hominem liberari à pœna, alias in Purgatorio sustinenda, quæ est gravissima: ergo ex defectu causæ nunquam potest invalida esse concessio Indulgentiarum.

R. ad 1. Requiritur quidem jurisdictio, at non contentiosa, sed voluntaria, quæ non exigit distinctionem personarum, sed in seipsum exerceri potest. Ad 2. *N. Ma.* quia non semper adest causa sufficiens, ut Papa applicet Thesaurum Ecclesiæ pro defunctis. Ad 3. *N. Cons. & parit.* illæ dispensationes, absolutiones, & remissiones procedunt ab ijs, qui agunt quasi in re sua, & suæ liberæ dispositioni relicta: at Papa concedendo Indulgentias non agit quasi in re sua & dominus, sed ut dispensator rei alienæ. Ad 4. *dist. Ant.* tenent facta ab eo, qui liberam habet potestatem disponendi, & alias non sunt irritata. *C. Ant.* ab eo, qui libera potestate agendi destitutus est, uti est nerus administrator rei alienæ. *N. Ant. & Cons.* Ad 5. Si sufficeret talis causa finalis generalis & à fine non distincta, quodlibet peccatum statim remitti, & quodlibet votum vel juramentum statim dispensari ac relaxari absque alia causa &c. posset; quod tamen est contra communem sensum non modò Doctorum, sed etiam Fidelium. Requiritur itaque etiam ut Indulgentias concedendas causa à fine & causa illa finali generali distincta, cujusmodi censentur esse exaltatio Ecclesiæ, conversio infidelium, hæresum extirpatio, Fidei propagatio, Principum Christianorum concordia, reformatio vitæ, morum emendatio &c. obtinenda per preces & pia opera, ad lucrandas Indulgentias præscribi solita, item excitatio ad studium devotionis, ad faciendas eleemosynas, ad redimendos captivos, promovendum Dei Sanctorumque cultum, remuneratio obliquiorum & meritorum in Ecclesiam &c. qua de causa Religiosis multæ Indulgentiæ conceduntur. Pro coronide observa ex *regula Cancellar. 53.* Pontificem nolle alicui Ecclesiæ, vel loco, Indulgentias largiri, in quo priùs jam aliæ habentur, nisi exprimat. Unde, siquis petat novas Indulgentias pro sua Ecclesia, in qua jam aliæ sunt antecedenter concessæ, opus est, ut in sua petitione exprimat veteres.

Dico 3. Durante Jubilæo Anni Sancti suspenduntur per illum annum omnes Indulgentiæ plenariæ (non tamen Partiales) extra Urbem aliis locis, rebus, & personis concessæ. *Extrav. 4 h.t. int. comm.* nempe ut celebritas & affluxus Fidelium sit major in Urbe, seu Romæ. Excipiuntur tamen, & pro suspensis non habentur Indulgentiæ plenariæ pro articulo mortis, vel in Bulla Cruciatæ, vel directè pro defunctis concessæ. Gobat in *tract. de Jubilæo*, qui Auctor, uti & Gregor. de Valentia *to. 4. d. 7. q. 20.* præ cæteris in materia Indulgentiarum rectè consuluntur. An verò etiam illæ, quæ pro vivis quoque, & non directè & unicè pro defunctis dantur, quales sunt, quæ proponuntur in Communione Generali singulis mensibus in templis Societatis JESU, suspensæ sint, nec ne, dubitatur, & in ultimo Jubilæo anni 1700. diu diffidebant Collegia ipsius Societatis, dum aliqua illas promulgabant, alia non, donec interrogatum Papam etiam has esse suspensas declarâsse fama attulerit. Similiter de-

declarationem suspensionis harum Indulgentiarum Menstruarum mandatô Clementis X. per hujus Vicarium Generalem Cardinalem Carpineum pro anno Sancto 1675. factam esse, meminit Gobat in *Appendice ad cap. 48. de Jubilæo.* Idem asserit Viva apud La Croix *n. 1401.* Excipiuntur quoque Indulgentiæ S. Domui Lauretanæ. La Croix *n. 1401. cit.* Ecclesiæ B. V. in Eremo, seu Einsidlensi concessæ, ut docet Gobat, & Ecclesiæ S. Jacobi Compostellæ, ut habet Palao, nec non ædi Sacræ *Portiunculæ* dictæ Assisij, licèt eædem Indulgentiæ Portiunculæ per reliquum Orbem extra Assisium suspendantur. Viva de Jubil. & La Croix *loc. cit.*

TITULUS XXXIX.

De Sententia Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti.

1 ADDo verba, *Suspensionis, & Interdicti*; licèt enim in *Rubrica* Decretalium Gregorii IX. non reperiantur, reperiuntur tamen in *Sexto* & *Clementinis*. Adeóque tractatur hoc loco de pœnis *Medicinalibus* pro foro utroque, seu de *Censuris*, & rectè, quia in præcedentibus Titulis jam actum est de *Pœnis* in genere, ac in specie de *Vindicativis* fori externi, atque de *Pœnitentiis*, tanquam pœnis forum duntaxat internum spectantibus. *Censuræ* appellantur à *Censoribus* Romanis, quorum officium erat mores & errores civium censere aut castigare. De his priùs in genere, ac postmodum de singulis in specie, nimirum de *Excommunicatione*, *Suspensione*, & *Interdicto* agemus, subjuncturi aliquid de *Cessatione à Divinis*.

SUMMARIUM.

1. *Ingressus ad præsentem materiam.*
2. 3. *Quid & quotuplex sit Censura.*
4. 5. 6. 7. *a quo & contra quos ferri possit.*
8. *Propter quale delictum.*
9. *Quo modo sit ferenda.*
10. 11. 12. *Quando ab ea excuset ignorantia, dubium, metus, & appellatio.*
13. *Tollitur per Absolutionem, & qua ratione.*
14. *Quinam possint ab illa absolvere.*
15. *Bulla Cœnæ recitatur.*
16. *Præstat quoque Censuras Juris referre.*
17. *Catalogus Excommunicationum Bullæ Cœnæ.*
18. *Et reservatarum in Corpore Juris.*
19. *Item non reservatarum.*
20. *Quid circa illas notandum.*
21. *Catalogus Suspensionum Juris.*
22. *Catalogus Interdictorum Juris.*
23. *Quid sit Excommunicatio, & Anathema.*
24. *Quid Major, quid Minor.*
25. *Quinam Excommunicati* Tolerati, *quinam* Vitandi.
26. 27. *Explicatur Excommunicatio* Canonis: *si quis suadente &c. de percussione Clerici &c.*
28. *Excommunicatio Major, à quo, in quos, qua de causa &c. ferri possit.*
29. *Quibus bonis privet non-toleratos.*
30. *An etiam iisdem privet toleratos.*
31. *Quæ communicatio fidelibus sit prohibita.*
32. *Et quæ permissa cum excommunicatis non-toleratis.*
33. *An liberè communicare possint cum toleratis. Et quid agendum, si non toleratus sit præsens, ubi celebratur Missa.*
34. *Excommunicatio Minor quando incurratur.*
35. *Quem habeat effectum, seu quibus bonis privet.*
36. 37. *Excommunicatio* Canonis *quando contrahatur.*
38. *Quis ab ea possit absolvere.*
39. 40. *Suspensio quid sit, & quotuplex.*
41. *A quo, & quo modo infligenda, quomodo impediatur.*
42. *Quinam suspendi possint.*
43. *Quod peccatum, & quæ pœnæ contrahantur a violantibus illam.*
44. *Quis ab ea absolvendi potestatem habeat.*
45. 46. *Interdictum quid sit, & quotuplex.*
47. *A quo &c. ferri valeat:*
48. *Contra quos. Et quinam eo involvantur:*
49. *Et ob quam causam.*
50. *Quibus bonis privet Interdictum.*
51. *Quando illis privet.*
52. *Quale peccatum, & quam pœnam incurrant violantes.*
53. *A quo tollatur tam Locale quàm Personale.*
54. *Cessatio à Divinis quid. Quis ejus effectus &c.*

§. 1.

De Censuris in genere.

SCiendum 1. *Censuram* Ecclesiasticam in genere, ac propriè acceptam, in hunc sensum definiri communiter: *est pœna spiritualis, & medicinalis, per quam homini baptizato, delinquenti & contumaci, per potestatem Ecclesiasticam auferitur usus quorundam bonorum spiritualium.* Suarez *de Censur. d. 1. sect. 1. n. 5.* Laym. *l. 1. tr. 5. p. 1. c. 1.* sumiturque ex verbis Christi *Mat. 18.* ubi Christus contumaciter Ecclesiæ non parentem vult haberi *sicut Ethnicum & Publicanum.* Notentur verba, *spiritualis*, & *medicinalis*: prius, quia ad solam pertinet animam, quam privat certis quibusdam bonis, eorumque usu tam activo, quàm passivo, ut est participatio communium Ecclesiæ suffragiorum, ministratio, & participatio Sacramentorum &c. quare exilium, carcer, & aliæ pœnæ temporales, utì & privatio beneficiorum, nisi adjunctam habeat suspensionem, Censuræ non sunt: posterius; quia eò tendit, ut delinquens emendetur & contumaciam ponat, à qua quamprimum desistit, & à delicto cessat, cessare quoque debet Censura absolutione impertitâ. per *c. 3. de Offic. Ord. c. 1. h. t. in 6.* Unde depositio & degradatio, licèt sint pœnæ spirituales, tamen censuræ non sunt, utì nec irregularitas; quia non medicinales, sed vindicativæ sunt pœnæ, de se perpetuæ, ac infligi possunt propter peccatum merè præteritũ, imò etiam jam emendatũ. Dixi quoque, *aufertur usus quorundam bonorũ spiritualium*, nimirum quæ sunt communia fidelibus & publica, vel externa, quorum videlicet administratio & applicatio est penes Ecclesiam, utì sunt Ecclesiæ suffragia, Indulgentiæ, jurisdictio Ecclesiastica, Sacrificia, Beneficia & Offi-

2

cia

cia Ecclesiastica, Sacramentorum usus activus & passivus &c. non verò illorum, quæ sunt privata seu interna, homini propria, uti est fides, charitas, gratiæ supernaturales, potestas Ordinis, character Sacramentalis, virtutes Morales & Theologicæ, tam infusæ quàm acquisitæ &c. quia hæc bona hominibus propria ac interna non subsunt dispositioni Ecclesiæ. Neque etiam per Censuras aufertur ipsa potestas spiritualis, uti tamen fit per Depositionē, Degradationem, & Irregularitatem, sed *usus* tantùm seu solùm exercitium potestatis, & applicatio bonorum spiritualium aliàs communium fidelibus. Porro si Censura quandoque etiam privet bono *temporali*, uti Excommunicatio privat communione externa cum fidelibus, & convictu humano, id non primariò fit, sed secundariò tantùm.

3 Sc. 2. Censuram dividi 1. essentialiter ac adæquatè in tres species, *Excommunicationem, Suspensionem, & Interdictum. c. 1. cit. c. 13. eod. c. 20. de V. S.* de quibus infrà. 2. accidentaliter quælibet ex his tribus speciebus dividitur 1. in latam à Jure, & ab Homine; à *Jure* lata dicitur, quæ per SS. Canones, Constitutiones vel Statuta Ecclesiastica, infligitur lege stabili ac permanente, uti sunt Censuræ in *Corpore Juris* comprehensæ: *ab Homine*, quæ infligitur à Judice vel Prælato Ecclesiastico, non per modum legis stabilis, sed per modum mandati vel sententiæ Judiciariæ, generalis vel particularis: sed hæc, si per sententiam generalem feratur, exspirat cum vita Judicis, vel depositione officij, ita ut, si tunc nondum ab aliquo sit incursa, à nemine ampliùs incurratur, licèt eâ ligatus maneat, qui ante mortem ferentis jam incurrerat. Subdividitur 2. in Censuram ferendæ & latæ sententiæ: *ferendæ sententiæ est*, quæ, licèt à Jure statuta sit, tamen non incurritur, nisi post & per sententiam: *latæ sententiæ*, quæ ita à Jure vel sententia generali statuta est, ut incurratur ipso facto, seu ipsa criminis perpetratione, etsi sententia condemnatoria non accedat. Posteriorem indicant hæc aut similia verba Legis: *excommunicamus: suspendimus: prohibemus sub excommunicatione, ipso Jure, vel ipso facto incurrenda, vel, protinus incurrenda: qui hoc vel illud fecerit, noverit se excommunicatum: in excommunicationem incidat: subjaceat excommunicationi* &c. Priorem verò denotant hujusmodi verba: *excommunicetur: volumus excommunicari: excommunicabitur: suspendetur: prohibemus sub excommunicatione* &c. quamvis ultima verba videantur esse nonnihil dubia, an non indicent censuram latæ sententiæ: item juxta aliquos verba, *Anáthema sit*, denotant Censuram ferendæ sententiæ: sed per tò *Anáthema sit*, juxta communem à Tridentino, & aliàs, intelligitur excommunicatio latæ sententiæ. Cæterùm in dubio præsumitur potiùs Censura ferendæ, quàm latæ. per *c. 15. & 49. de R. J. in 6.* nisi ex circumstantijs, verborum contextu &c. desumatur, intelligi Censuram latæ sententiæ, ut habet communis. 5. in Censuram *Reservatam*, seu cujus Absolutionem sibi reservat Superior, & in non Reservatam.

Dico 1. Censuram ferre possunt omnes & soli Superiores Ecclesiastici, jurisdictionem in foro externo seu contentioso obtinentes, sive *ordinariam*, ut habet Papa respectu omnium fidelium totius mundi, Cardinales in Ecclesiis sui tituli, Primates, Archiepiscopi, & Episcopi in suis Diœcesibus, Legati Sedis Apostolicæ in provinciis suæ legationis, Capitulum Sede Episcopali vacante, Ordinum Religiosorum Generales, Provinciales, Abbates, Prælati, Rectores, Priores Conventuales, Guardiani &c. respectu Regularium sibi subditorum: sive *delegatam*, quibus nempe specialiter à præfata ea potestas committitur: quamvis committi seu delegari nequeat Laicis & fœminis, utpote jurisdictionis Ecclesiasticæ & spiritualis incapacibus; nisi nimirum à Summo Pontifice ex plenitudine potestatis reddantur capaces, quod probabiliùs etiam apud fœminas in uno vel altero casu per accidens locum habet; quo potestatis quidem *Ordinis*, non verò jurisdictionis spiritualis, Jure Divino incapaces sunt. Si dicas, in *c. 12. de Majorit.* dari potestatem Abbatissæ suspendendi Clericos suæ Ecclesiæ ab Officio & Beneficio, item suas Canonicas; repono, illam suspensionem non veram esse & propriè dictam, sed simplicem prohibitionem celebrandi in illo loco, Abbatissæ subjecto, & meram subtractionem fructuum. Sumitur ex *c. 1. 3. 11. §. præterea. c. 16. de off. Jud. Ord. c. 7. eod. in 6. c. 10. 11. de Majorit. c. fin. de Statu Monachor. c. 20. de V. S. c. 1. h. t. in 6.*

Quæres, an Censuras ferre possit Archidiaconus? 2. Vicarius Generalis seclusa speciali mandato? 3. Parochus? Ad 1. Archidiaconus, nisi exerceat jurisdictionem contentiosam in foro externo, per se & de Jure Communi non potest, licèt ipse (uti & Decani, ac Nuntij sine potestate Legati à latere missi) vi consuetudinis alicubi hanc obtineat potestatem. Monacella *in Formulario. p. 3. in Præludio. n. 47.* Ad 2. cum P. Wiestner *h. n. 4.* aliisque contra P. Schmier, qui id sine scrupulo negandum putat, affirmativè propter *c. un. de Majorit. in 6. c. 6. & 7. pr. h. t. in 6. c. 2. de Consuet. in 6.* quia Vicarius Generalis eandem cum Episcopo jurisdictionem exercet, atque ordinariam pro foro externo contentioso. *c. 2. cit. c. 3. de appellat. in 6.* Nec obstat textus in *c. 2. de Offic. Vicar. in 6.* ubi negatur Vicario Generali *potestas corrigendi excessus, seu aliquos à suis beneficijs & officijs amovendi*, absque speciali commissione; siquidem textus seipsum explicare videtur per particulam identitatis *seu*, & indicare, quod potestas corrigendi per privationem beneficiorum negetur Vicario Generali, non alia. Ad 3. negativè cum communi; quia caret jurisdictione pro foro externo & contentioso; quæ tamen necessaria est. *c. 20. & c. 1. citt. Quando in c. 2. & 3. de offic. ord.* supponitur, à *Sacerdote, & Plebano* latam censuram observari debere per sacerdotem non Parochus, sed Episcopus; & pa-

& per Plebanum Præpositus Ecclesiæ Collegiatæ, jurisdictionem fori externi obtinens, intelligitur. Vel si hoc negare contra communem velis, dico, ibi per consuetudinem vel præscriptionem Parocho acquisitam esse potestatem censurandi.

6 Dico 2. Censura ferri non potest nisi in subditos, viatores, & doli capaces. Ratio, quia subjectio & jurisdictio sunt correlativa: ergo, si debet in ferente censuram esse jurisdictio, in patiente debet esse subjectio: unde illud Pauli: *quid mihi de ijs, qui foris sunt, judicare? 1. Cor. 5. v. 12.* Consonat *c. 21. h. t.* Viatores autem esse debent, seu adhuc in via ad alteram vitam, h. e. in vita præsenti; quia Prælatis Ecclesiæ Christus dedit potestatem ligandi *super terram*, non subtus terram, seu vivos, non mortuos. Denique doli capacitas requiritur, quia sine hac non datur delictum seu culpa: at sine culpa locum non habet pœna. Unde patet, Summum Pontificem, quia nemini in terris est subditus, censurâ ligari non posse, nisi caderet in manifestam hæresim; quo casu subjacet Concilio Episcoporum: neque non baptizatos, cùm per solum Baptismum pateat ingressus in Ecclesiam, & inducatur subjectio erga Ecclesiam. Trid. *s. 14. c. 2. de Pœnit. Sacr.* Reges & Imperatores hodie ex speciali privilegio censurâ affici per Episcopos nequeunt. Pariter infantes, furiosi, amentes &c. censuræ non sunt capaces. Neque peregrini & advenæ, utpote non subjecti, censurâ affici possunt, nisi ratione delicti, quod committunt in diœcesi alieni Episcopi, fiant huic subjecti. per *c. 21. cit.* Sed quid dicendum de Subditis, qui extra territorium sui Episcopi proprii existunt, an ab hoc censuræ subjici valent? R. cum distinctione: vel censura jam est lata per statutum territoriale, aut sententiam generalem, v. g. omnes ipso facto excommunicatos esse volentem, qui homicidium proditorium commiserint, & tunc istud delictum committens extra territorium non incurrit censuram. per *c. 2. de Constit. in 6.* secus, si delinquat in territorio seu diœcesi sua, & primùm postea aufugiat; quâquam, si Censura esset ferendæ sententiæ, contra ipsum, jam extra territorium existentem, ferri sententia non ampliùs posset, neque, si si tlatæ sententiæ, contra ipsum institui actio cum cognitione Judiciali & strepitu forensi. per *d. c.* La Croix de Censuris. *n. 43.* Si verò alicui per speciale præceptum & sententiam esset prohibitum aliquod delictum sub censura ipso facto incurrenda, etiam extra territorium delinquens illam incurreret; quamvis iterum processus contra eum nequiret institui. Denique siquis physicè quidem & corpore foret extra territorium, moraliter tamè in territorio, seu delictum committeret in diœcesi, ut si in diœcesi Eustadiana decreta esset excommunicatio in Parochos à suis parochiis absentes ultra duos menses absque licentia, vel in eos, qui in diœcesi tumultum concitant, incurrerent excommunicationem, qui extra territorium seu diœcesin vagantes ultra dictum tempus absunt, vel tumultum in diœcesi concitant; quia hæc potestas sic puniendi absentes est necessaria ad bonum regimen. Quidsi autem ipse Episcopus moretur extra suam diœcesim, valétne in subditos suos in diœcesi existentes ferre censuram? R. non, nisi Ordinarius loci, in quo existit, consentiat, vel nisi delictum subditi ita sit notorium, ut cognitione causæ Judiciali non indigeat: vel nisi expulsus sua diœcesi velit censuram ferre in suos expulsores injustos eorúmque fautores. *Clem. un. de For. Comp.*

Oppones 1. Hæretici etiam post mortem 7
jubentur excommunicari. *can. fin. caus. 24. q. 2.* ergo. 2. Excommunicati, qui cum signis pœnitentiæ decesserunt, adhuc debent absolvi. *c. 28. h. t.* quidnî ergo post mortem quoque feriri anathemate possint in sceleribus defuncti? 3. Ecclesia concedit Indulgentias pro defunctis, & sic eos solvit à pœnis: ergo & pœnis ligare potest. 4. Prælati Regulares validè & licitè ferunt censuras in suos subditos Regulares, ubicunque locorum existentes & delinquentes: ergo & Episcopi in suos subditos Diœcesanos, etiam extra territorium delinquentes. R. ad 1. Illa excommunicatio non est propriè talis, sed potiùs publica declaratio, quòd ut excommunicati decesserint, & sepulturâ sacrâ, precibúsque publicis velut indigni & incapaces privandi, ad terrorem fidelium adhuc viventium ordinata. Ad 2. Nec absolutio hæc est verè talis, directè ad mortuos tendens, sed potiùs spectat vivos, quibus per hanc ceremoniam datur potestas communicandi cum ijs, qui pœnitentes decesserunt, in sepultura sacra & publicis Ecclesiæ precibus, & sic declaratio potiùs est, eos coram Deo pro absolutis haberi. Ad 3. Concedit Indulgentias per modum solutionis & suffragij, exhibendo satisfactiones Christi Justitiæ Divinæ, & rogando, ut hæc mortuis remittat pœnas Purgatorij. *C. Ant.* per modum absolutionis & per actum jurisdictionis, quam in mortuos Ecclesia non habet. *N. Ant. & Conf.* Ad 4. *N. Conf. & parit.* quia Prælati Regulares jurisdictionem immediatè in ipsas personas Regulares, Episcopi verò immediatè in territorium, & ratione hujus in personas Laicales primùm obtinent: qui ergo ratione domicilij &c. non est de territorio & subditus Episcopi, eo etiam invito se potest aliò conferre, & sic se liberare à jurisdictione Episcopi: quamquam per talem migrationem se non liberet à Censura, quâ jam actu innodatus est.

Dico 3. Causa censuræest solum delictum. 8
2. & quidem per se non nisi grave, seu tam formaliter quàm materialiter mortale. 3. externum. 4. opere completum. 5. non merè præteritum. 6. & Legi Ecclesiasticæ repugnans, & cum contumacia conjunctum. Probantur singula Membra. 1. um. quia Censura est pœna, quæ necessariò supponit culpam. 2. quia est pœna gravis, & privans bonis magni momenti: ergo & culpa debet esse gravis, ut inter utramque detur proportio, quam exigit rei natura, & *c. 5. de pœnis in 6. v. Illud autem in med.* ac Trid. *s. 25. c. 3. de Ref.* unde si de-

lictum vel ex objecto suo, vel ex defectu advertentiæ, deliberationis &c. sit veniale tantùm peccatum coram Deo, Censura non incurritur. S. Thom. *in Supplem. p. 3. q. 21. art. 3.* Nec obstat, quòd in *c. 4. de Vita & honest.* excommunicatio videatur esse statuta ob rem levem, scilicet ob nutritionem comæ in Clericis: licèt enim res in se sit levis, ob finem tamen à Legislatore intentum & alias circumstantias potuit fieri gravis, & sub gravibus pœnis prohiberi; sicut esus pomi in Paradiso propter similem causam fuit graviter prohibitus. Addidi tamen, *per se*; nam infrà excipiemus Excommunicationem *Minorem*, & Suspensionem vel Interdictum minùs propriè dicta. 3. quod defendit communior & verior contra Gloss. *in Clem. 1. de hæret.* P. Schmier, & alios, satis probatum manet ex dictis ad *tit. II. lib. 1. n. 8. 9.* quia Ecclesiæ potestas, præsertim vindicativa, se non extendit ad actus merè internos, utpote non cadentes sub cognitionem humanam. text. & DD. *in c. 33. 34. de Simon.* imò actus interni nequeunt esse materia legis humanæ, saltem directè, ut ibidem docuimus. Neque dicas, Ecclesiam solere præmiari actus internos concedendo Indulgentias Orationi merè mentali; nam concedendo tales Indulgentias Orationi merè mentali nullam directè exercet jurisdictionem externam in actum merè internum, sed solùm requirit eum per modum conditionis, qua posita, & non aliter, vult Indulgentias concedere: punitio autem fieri nequit sine exercitio jurisdictionis externæ, quæ necessariò requirit, ut actus, in quem exercetur à potestate humana, ab hac sit cognoscibilis, & in se sensibilis. 4. sumitur ex *c. 15. de R. J. in 6.* cùm odia sint restringenda, consequenter delictum, in quod decernitur pœna, opere completum esse oportet, atque eo modo consummatum, quem lex vel sententia puniens exprimit clarè. Et hinc censuram, quæ statuta est in committentes homicidium v. g. non incurrunt mandantes, vel consulentes. 5. ex *c. 23. de V. S. & c. 1. h. t. in 6.* cùm censura supponat contumaciam, & ordinetur ad frangendam inobedientiam tanquam pœna medicinalis: quare si delictum jam esset merè præteritum, & contumacia posita, censura ferri non ampliùs potest; cùm sit ordinata ad absterrendos homines à delinquendo, vel ad præstandam læso satisfactionem aliunde debitam: secus si fieret, desineret esse pœna medicinalis, & evaderet vindicativa, qualis non est censura propriè dicta. 6. patet ex primùm dictis; cùm censura ordinetur secundùm *citt. cc.* ad puniendam & corrigendam, quæ adversùs Ecclesiæ præcepta committitur, inobedientiam contumaciámque. *Finis* ergo censuræ est, ut delinquens corrigatur, & à contumacia recedat. Unde

9 Dico 4. Ut per sententiam particularem ritè feratur censura, regulariter debet præcedere monitio. 2. eáque trina, vel una peremptoria, seu tribus æquivalens, quæ nimirum complectatur tantum temporis intervallum, quantum inter tres monitiones relictô aliquorum dierum spatiô interponi debet, nisi facti necessitas aliter suaserit. 3. item facta in scriptis, continens causam, propter quam intentatur, & tradita reo coram testibus, quæ ejus esse testari possint. 4. ipsa quoque sententia debet ferri in scriptis, & cum expressione causæ. Pars 1. habetur *c. 48. h. t. c. 9. 12. eod. in 6. c. 26. de Appellat.* Ratio; quia censura fertur in solos contumaces: contumax autem nemo censendus est, nisi prius monitus obedire detrectaverit. Dixi 1. *per sententiam particularem*; si enim pro delictis sumptis per sententiam generalem Judicis, aut ab ipso Jure annexa sit censura latæ sententiæ alicui delicto, non requiritur nova & specialis monitio. *text. & gl. v. ipso suo genere inc. 28.* quia talis sententia aut prohibitio generalis, uti & ipsum Jus, est continua quædam admonitio; nisi ipsum Jus vel talis sententia in aliquo casu particulari vellet præcedere novam monitionem, uti videtur velle *Clem. 1. de Divortiis.* Porro si Judex aliquem vult declarare tanquam ab ipso Jure excommunicatum, seu denuntiare, prærequiritur monitio ante talem sententiam declaratoriam, saltem utilitè fiat. Pirhing. *h. t. n. 36.* nisi crimen sit notorium. *c. 23. h. t.* vel nisi reus jam sit pœnitens, aut satisfactionem obtulerit; tunc enim non denuntiari debet. Dixi 2. *regulariter*, nam si contumacia foret publica & notoria, monitione opus non foret. *arg. c. 9. de Accus. & c. 29. de Elect.* Pars 2. sumitur ex *c. 9. h. t. in 6. & l. 53. ff. de re jud.* Si verò præcessit quidem monitio, non tamen trina, vel trinæ æquivalens, sententia censuram infligens tantùm injusta, non verò invalida est. *c. 5. h. t. in 6.* nisi ferratur in communicantes cum excommunicato ab eodem Judice. *c. 3. & 13. eod.* tunc enim ad valorem requiritur, ut sit trina monitio prævia. Pars 3. exprimitur in *c. 1. c. 48. citt.* Si tamen reus malitiosè latitaret, citatio, consequenter & monitio, fieri posset ad ejus domum, vel ad valvas Ecclesiæ, vel in alio loco publico, ubi spes foret, à reo cognoscendam effectationem. *c. 5. ut lite non contest. Clem. 3. de Elect.* Pars 4. est clarè decisa *in d. c. 1.* Si tamen hæ duæ ultimæ conditiones non observentur, illicitè quidem seclusâ justâ causâ proceditur, at probabiliùs non invalidè, ut communiter docent Auctores ex *c. 1. cit.* contra Sayrum.

Dico 5. A censura incurrenda excusat non tantùm ignorantia tam Juris quàm Facti, modò non sit crassa, supina, vel affectata, seu mortaliter peccaminosa. 2. sed etiam dubitatio, num actus sit sub censura prohibitus, modò post diligentem inquisitionem dubium deponi non potuerit. Item 3. metus gravis, impellens ad agendum contra Legem Ecclesiasticam, vel Superioris sententiam, quæ aliquid præcipit vel prohibet sub censura; modò actus non sit simul Jure Naturali aut Divino graviter prohibitus, & metus adhuc excusset operantem à peccato mortali. 4. denique appellatio legitima, antequam censuræ sententia lata sit, interposita. Pars 1. colligitur ex *c. 2. de Constit. in 6.* ibi: *sententiis per statuta quæ-*

rumcunque Ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit, aut supina. h. e. non graviter peccaminosa, qualis foret supina & crassa, ac multò magis affectata ignorantia, quâ aliquis studiosè vellet ignorare legem sub censura prohibentem (quæ foret ignorantia *Juris*) vel factum suum esse tale, cui annexa sit censura, ut si studiosè nollet scire, eum, quem injuriosè percutit, esse Clericum v.g. (quæ foret ignorantia *facti*) hujusmodi enim ignorantia graviter culpabilis in Jure æquiparatur dolo & scientiæ. Ratio autem assertionis est, quia cēsura non fertur nisi ob peccatum mortale, & ob contumaciam: si ergo ignorantia excuset à peccato mortali, & à contumacia (sicut revera excusat, nisi sit crassa &c. & ignorans, cùm non sit monitus, verè contumax dici nequit) non subjacet censuræ ignorans legem prohibentem, vel suo actui annexam esse censuram (licèt sciat legis prohibitionem) seu ignorans, factum suum esse tale, quod censuræ sit obnoxium. Pars 2. sumitur indè, quòd dictô modô dubius sit in possessione sui juris, quod consecutus est per Baptismum ad bona spiritualia, quibus privat censura. Pars 3. ex duplici ratione; partim quia Lex Humana non obligat cum gravis mali periculo aut metu; partim quia ex metu operans magis ex infirmitate, quàm ex contemptu & contumacia, operari censetur. Addidi tamen, *modò actus non sit simul Jure Naturali aut Divino prohibitus* &c. si enim hoc esset, metus non excusaret à gravi peccato, ut si censura esset statuta in fornicationem, furtum, homicidium &c. vel si quidé actus per se esset quidem sub censura prohibitus à sola Ecclesia, v. g. comestio carnis die Veneris, si tamen quis per metum gravem adigeretur ad comedendam carnem in contemptum potestatis Ecclesiasticæ, comedens incurreret censuram; eò quòd tali casu concurreret cum Lege Ecclesiastica Lex Naturalis & Divina, atque, cùm ista urgeret in dicto casu, etiam urgeret prohibitio Ecclesiæ censuram infligentis, ut habet verior. Pars 4. patet ex *c. 16. de Appellat.* Si autem censuræ sententia jam sit lata, & tunc primùm appelletur, appellatio habet quidem effectum devolutivum, non verò suspensivum, & sententia censuræ habet interim suam vim, donec à judice appellato aliud decîdatur. per *c. 37. eodem.*

11 Oppones 1. In *c. 2. cit.* solùm est sermo de ignorante particularia Statuta Episcopalia: ergo ignorantia Juris Communis non excusat à censura. 2. Latrones & fures &c. afficiuntur pœnâ Ordinariâ in foro & de Jure Civili, scilicet rotâ, laqueô &c. licèt ignoraverint, suis delictis decretam esse hujusmodi pœnam à Jure: ergo ignorantia Juris nec excusat à pœnis & censuris Ecclesiæ. 3. Juxta nos irregularitas ex delicto contrahitur etiam ab ignorante, eam suo delicto, v. g. homicidio, esse à Jure annexam: ergo & censura. 4. Ignorantia Juris non facit, ut contractus à Jure invalidatus celebretur validè: ergo nec facit, ut evitetur censura. 5. dubius, an sit absolutus à censura, quam scit se incurrisse, non est liber à censura: ergo nec dubius, an suum delictum, quod perpetrat, sit tale, cui est annexa à Jure censura. 6. metus non facit, ut non peccetur graviter agendo contra Legem, graviter de se obligantem, ut ait textus in *c. 5. de his, quæ vi*, ibi: *licèt metus attenuet culpam, quia tamen non eam prorsus excludit, cùm pro nullo metu debeat quis mortale peccatum incurrere, excommunicationis labe credimus inquinari*: ergo metus nunquam excusat à censura; cùm nunquam excuset à peccato mortali. 7. censura non incurritur, nisi graviter peccetur contra Legem Ecclesiasticam: sed metus gravis semper tollit obligationem Legis Ecclesiasticæ: ergo, quotiescunque quis operatur ex metu gravi, nunquam incurrit censuram, licèt cum Lege Ecclesiastica concurrat Naturalis aut Divina, eundem actum prohibens.

12 R. ad 1. Cùm sit par ratio in ignorantia Juris Communis, propter quam excusatur ignorans pœnam à Statutis Episcopalibus annexam actui, quem quis facit, fortè etiam prohibitum Jure Naturali aut Divino, ideo DD. communiter dispositionem dicti *c. 2.* extendunt etiam ad ignorantiam Juris Communis. Ad 2. *N. Conf. & parit.* nam illæ pœnæ sunt vindicativæ, & infliguntur non tam propter contemptum Legum Civilium & contumaciam, quàm propter violationem Legis Naturalis, & rebellionem erga Legislatorem Deum: censuræ verò sunt pœnæ medicinales, ac præcisè ob contemptum Legis Ecclesiasticæ & ob contumaciam erga Ecclesiam feruntur. Ad 3. *N.* iterum *Conf. & parit.* quia irregularitas etiam ex delicto orta non est pœna principaliter (sicut tamen est censura) sed inhabilitas, vel, si esset principaliter pœna, non tamen esset medicinalis, sed vindicativa. Ad 4. *transf. Ant.* nam in quibusdam personis toleratur ignorantia Juris. *N. Conf.* quia Jura expressè noluerunt pœnas incurri ab ignorantibus. *c. 2. cit.* bene tamen voluerunt contrahi inhabilitatem ad validè contrahendum. Ad 5. Rursus *N. Conf.* quia in priori dubio stat possessio pro censura, utpote quæ scitur esse inflicta, in posteriori autem stat possessio pro delinquente, & simul favor Juris *d. c. 2.* Ad 6. Ibi rescripsit Pontifex ad casum, quo quis communicavit ex metu cum excommunicato tali communicatione, ex qua resultabat contemptus Ecclesiæ, & enervatio disciplinæ Ecclesiasticæ, atque sic Lex Naturalis & Divina concurrebant cum Ecclesiastica, consequenter metus non excusabat à peccato mortali. Gonzal. *ad d. c. n. 9. 10.* Ad 7. *N. Min.* non enim est ratio dicendi, quòd Ecclesia in casu metûs gravis obligare desinat, stante adhuc obligatione Juris Naturalis aut Divini, imò est ratio dicendi, quòd tali casu non desinat obliga re Ecclesia, ut eruitur ex *c. 2. & 5. citt.*

13 Dico 6. Censuræ regulariter non tolluntur, nisi per absolutionem legitimi Superioris. 2. sed absolutio dari non debet, nisi censuratus priùs ponat contumaciam, & satisfecerit parti læsæ

ti læsæ, vel de satisfactione cautionem idoneam præstiterit, ac (si absolutio est solennis) juramentum de parendo mandatis Ecclesiæ, vel absolventis, h. e. de non committendo imposterum hujusmodi delicto 3. non exigit absolutè certa verba, sed sufficiunt quæcunque signa, quibus significatur absolutio obtenta &c. 4. datam pro foro merè interno non tenetur Judex Ecclesiasticus acceptare pro foro etiam externo, quamvis possit acceptare. Pars 1. quam tenet communis, fundatur in propositione 44. quam damnavit Alexander VII. sic sonantem: *quoad forum conscientiæ reô correctô, ejúsque contumacia cessante cessant censuræ*; & in hac ratione, quia sine authoritate Ecclesiæ infligentis non contrahitur censura: ergo nec sine authoritate Ecclesiæ relaxantis & absolventis tollitur. *arg. c. 1. de R. J.* cùm absolutio respondeat ligationi. Unde non tollitur censura, quantumvis censuratus ad frugem redierit, contumaciâ positâ satisfecerit &c. nisi censura esset expressè lata, sub conditione emendationis & satisfactionis, h. e. quousque se emendaverit, vel donec satisfecerit; tunc enim hac posita desineret per se & sine nova absolutione; quia fuit lata sub hoc sensu: *posita emendatione absolutus sit.* Neque tollitur per mortem censurantis, nec plenè per mortem censurati. Quamprimum verò potest, debet (vel saltem decet) censuratus absolutionem petere; si enim per annum non petat, & sic in censura *insordescat*, ut Jura loquuntur, se facit suspectum de Hæresi, & Inquisitioni Hæreticæ subjectum. per Trid. *s. 25. c. 3. de Ref. inf.* Pars 2. suadetur indè, quia id exigit tum ordo Juris, tum jus partis læsæ: ergo absolutio, non præstita priùs satisfactione, ubi aliquis est læsus, saltem illicita est, imò, si à Judice delegato detur, probabiliter etiam invalida, ut docet communior. Pars 3. ex eo capite, quia nulla in Jure præscribitur forma, certa verba: nec exigitur confessio Sacramentalis, nec præsentia absolvendi: imò nihil vetat, quo minùs absolutio à censuris dari etiam possit sub conditione de futuro contingenti, v. g. si satisfecerit intra octiduum censuratus; licèt non expediat sub tali conditione absque justa causa impertiri. Interim tamen pro foro externo observandus est ritus absolvendi in diœcesi, vel in Pontificali Romano, vel in *c. 28. h. t.* (nempe cum recitatione Psalmi Pœnitentialis, Orationis Dominicæ, & alterius consuetæ) præscriptus; quamvis illius omissio absolutionem non reddat invalidam, imò nec graviter illicitam, ut notant DD. Pro foro autem interno hæc forma in usu est: *ego te absolvo à vinculo excommunicationis* (si quidem absolvendus sit excommunicatus) *quam incurristi propter causam N. & restituo te Sacramentis Ecclesiæ & communioni fidelium, in nomine Patris &c.* Si verò suspensus sit, dicitur: *ego te absolvo à vinculo suspensionis, quam incurristi propter causam N. & restituo te executioni tuorum Ordinum (Officiorum, Beneficiorum) in nomine Patris &c.* Si autem absolutio sit potestate delegata, præmitti consuêrunt hæc verba: *auctoritate Omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri & Pauli, & (si quidem sit delegatus Papæ) Sanctissimi Domini nostri N. in hac parte tibi concessâ & mihi commissâ, absolvo te &c.* Monacell. *lo. cit. n. 75.* Quòdsi quis pluribus sit ligatus censuris, adhibentur verba in plurali, *ab omnibus censuris*, vel *ab omni vinculo*, expressis simul causis, propter quas contractæ sunt: potest tamen tolli una censura relictis cæteris, cùm non habeant necessariam connexionem inter se. Solet quandoque (& quidem pro foro interno ordinariè) antequam proferantur verba absolutionis à peccatis, dari absolutio à censuris *ad cautelam*, ut vocant, quando nempe dubitatur, vel incertum est, an contractæ sint, vel valide impositæ, præsertim ne ob censuram occultam actus aliquis fiat invalidè, dicendo: *Dominus noster JEsus Christus te absolvat, & ego auctoritate ipsius te absolvo à vinculo excommunicationis quam incurristi propter crimen N. &c.* vel ante absolutionem Sacramentalem, *in quantum possum, & tu indiges, in nomine Patris &c.* Denique etiam dari quandoque solet absolutio à censuris *ad reincidentiam*, ut in praxi appellatur, h. e. ut absolutus à censura in eandem reincidat, si postea non præstet præstanda, quod contingit, vel quando quis absolvitur solùm in ordine ad celebrandum actum, alias non permissum censurato, ut nempe hunc validè gerat, & pollmodum iterum censurâ ligatus sit: vel quando injungitur satisfactio pro debito pecuniario: vel quando quis ob mortis articulum, vel aliquod aliud impedimentum non potest absolvi ab eo, à quo per se deberet, sed ab alio, qui extra hunc casum non potest absolvere, hic & nunc tamen absolvitur cum onere, ut cessante periculo mortis vel impedimento se sistat Superiori, non ut ab eo iterum absolvatur, cùm jam plenè absolutus sit, sed ut mandatum de satisfaciendo, & parendo Ecclesiæ ab eo suscipiat. *c. de cætero 11. c. quamvis 58. h. t.* talis enim, si se postea non sistat, cùm commodè posset, reincidit ipso facto in censuram. *c. 22. eod. in 6.* Si autem talis simpliciter & absque dicto onere, seu non cum reincidentia fuisset absolutus, non ipso facto reincideret, sed opus esset sententiâ declaratoriâ Judicis. Graff. *Consil. 13. n. 7. lib. 5. to. 1. de sent. Excom.* Partem 4. communiter amplectuntur Auctores cum Avila, Sayro, Laym. Monacell. *n. 20.* aliisque. Neque pro foro externo & contentioso sufficienter absolutionem à censura probat schedula Confessarii. Pirhing *h. t. num. 80.* Monac. *n. 88.*

Dico 7. Absolvere à censura, specialiter reservata à Jure, vel ab homine, eam referente per sententiam generalem, possunt non tantùm illi, qui jurisdictionem in foro externo habent, uti Episcopi, aliique Prælati, Abbates &c. suos subditos, sed 2. probabilius etiam Parochi, & alii Confessarii, qui pœnitentem à mortalibus peccatis absolvendi potestatem habent. 3. à censura autem lata ab homine per sententiam particularem, licèt ea specialiter reservata non sit, solus ille, qui eam tulit,

tulit, vel ejus succeſſor, vel ferentis Superior pleno jure, vel denique horum delegatus. 4. à cenſura verò, ſpecialiter reſervata à Jure vel homine, pro utroque foro, tam interno quàm externo, ſolus Author Juris, vel cenſuræ, ejúsque ſucceſſor, Superior, vel delegatus. 5. licèt extraordinariè ab eadem abſolutio permiſſa ſit in articulo mortis cuivis Sacerdoti, ſed cum reincidentia, ſeu prævió juramentó (vel ſaltem promiſſione ſimplici) quo abſolvendus ſe obliget, quòd, ſi convaluerit, ſe ſiſtere velit reſervanti, ut obedientem ſe oſtendat, & mandatum, non novam abſolutionem, de ſatisfaciendo ab eodem ſuſcipiat; quo non præſtito reincidet. 6. per accidens autem & ex privilegio à cenſuris in Jure, etiam in Bulla Cœnæ, reſervatis Pontifici, & occultis, nec ad forum contentioſum deductis, pro foro conſcientiæ abſolvendi facultatem obtinent Epiſcopi, & horum Vicarij. 7. item Religioſi Mendicantes, exceptis tamen cenſuris in Bulla Cœnæ comprehenſis.

Pars 1. quam tenent plerique omnes, clarét, quia hoc ipſo, quòd talis cenſura nemini ſit reſervata, omnibus cenſetur conceſſa poteſtas abſolvendi, quibus competit poteſtas abſolvendi à peccatis, quibus annexa eſt. *c. nuper 29. h. t.* Pars 2. quam defendit communior cum S. Thoma in *ſuppl. p. 3. q. 24. a. 1.* Innoc. Navar. Sylv. Suar. Avil. contra Abb. Covarruv. Sayr. Monacell. *n. 15.* quoad cenſuras à Jure latas ſumitur ex *c. 29. cit.* & quoad cenſuras ab homine per generalem ſententiam impoſitas colligunt aliqui ex *c. 3. de Inſtit.* & ex ratione, quòd generalis ſententia æquivaleat Statuto, adeóque Juri. Nec per talem abſolutionem turbatur tribunal ferentis cenſuram, cum reus ab hoc nunquam nominatim citatus fuerit. Pars 3. quòd *ſolus* ille, qui per ſententiam particularem inflixit pœnam cenſuræ, abſolvere poſſit, ejúsque ſucceſſor &c. & nullus alius, evincitur indè, quia aliàs Judicum turbaretur jurisdictio, vel contemneretur eorum auctoritas, uti notant plerique. Excipitur caſus, quo reus, ſatisfacere paratus, authorem cenſuræ nequit accedere; tunc enim à Judice æquali, vel inferiore, cum onere ſe ſiſtendi ceſſante impedimento, rectè abſolvitur. per *c. 13. 26. 38. h. t.* Quòd autem ipſe Author cenſuræ poſſit abſolvere, manifeſtum fit ex *c. 11. §. præterea. de Offic. Ord. c. 1. & l. 35. ff. de R. J.* Excipitur excommunicatio ab Ordinario lata in incendiarium; ea enim fit reſervata Papæ. *c. 19. h. t.* De Succeſſore conſtat ex *can. 40. cauſ. 11. q. 3. & c. 28. §. præterea de offic. deleg.* quia ſucceſſor cenſetur eſſe eadem perſona cum anteceſſore, & ſic eandem obtinet poteſtatem: nomine *Succeſſoris* etiam venit Capitulum Sede vacante. De Superiore, & Delegato ferentis cenſuram, Succeſſoris, ac Superioris per ſe patet; cùm prior ampliorem, poſterior eandem obtineat poteſtatem in ordine ad abſolvendum: addidi autem, quòd *pleno jure* debeat eſſe Superior: & hinc Archiepiſcopus ſubditos ſuorum Suffraganeorum extra actualem viſitationem, & appellationis caſum, nequit abſolvere cenſuratos ſpeciali ſententia à ſuo Epiſcopo. *c. 16. de Præſcript. c. 5. 7. h. t. in 6.* Pars 4. quam teſte Palaó tenent omnes, fundatur in *d. c. 29.* Sic per ſe & regulariter nullus poteſt abſolvere à cenſura Papæ reſervata, nullus inferior à reſervata Epiſcopo &c. niſi nempe id alicui concedatur per privilegium, conſuetudinem, delegationem, aut etiam ab ipſo Jure, à quo permittitur abſolutio cenſuræ, Pontifici reſervatæ, Epiſcopo, imò & Parocho, vel alij Confeſſario in caſu, quo propter impedimentum nequeunt cenſurati adire Pontificem vel ejus Delegatum. *c. 13. c. 58. citt.* Pars 5. continetur in Trid. *ſ. 14. c. 7. de Pœnit. Sacram. & c. 22. h. t. in 6.* Pars 6. in eodem Trident. *ſ. 24. c. 6. de ref.* ubi tamen excipitur hæreſis, à qua per ipſos Epiſcopos, non per Vicarios ſuos, niſi his dent ſpeciale mandatum, abſolutio eſt impertienda; item excipitur homicidiú voluntarium, ſed tantùm quoad diſpenſationem in irregularitate ex eo orta. Pars 7. in Compendio Privilegiorum Societatis JESU *v. Abſolutio.* Caſus Bullæ Cœnæ excipiuntur apud Religioſos Mendicantes ſolùm extra caſum neceſſitatis, & impedimenti, uti docui ad *tit. XXXVIII. de Pœnitentijs n. 14.* Et hæreſis, licèt ſit caſus Bullæ Cœnæ, in noſtra Germania non videtur eſſe caſus reſervatus Pontifici, uti *eod. tit. n. 12.* annotavi, ſaltem quoad Mendicantes Religioſos, uti obſervavi *tit. VII. de Hæreticis n. 18.*

Ut autem conſtet, quinam caſus & cenſu- 15
ſint reſervatæ Pontifici in famigerata Bulla Cœnæ, & quia ejusdem Bullæ frequentiſſima apud Auctores, atque à nobis per omnes Juris Canonici libros hucusque mentio facta eſt, placet illius tenorem, à P. La Croix *lib. VI. p. 2. n. 2. 2054.* verbotenus expreſſum, huc apponere.

BULLA COENÆ.

PAſtoralis Romani Pontificis vigilantia - - - Nos igitur, quibus nihil optabilius eſt, quàm Fidei inviolatam integritatem, publicam pacem & juſtitiam, Deo auctore, tueri, vetuſtum & ſolennem hunc morem ſequentes,

§. 1. Excommunicamus, & anathematizamus, ex parte Dei Omnipotentis, Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, auctoritate quoque Beatorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, ac Noſtrâ quoscunque Huſſitas, Wicklephiſtas, Lutheranos, Zuinglianos, Calviniſtas, Ugonottos, Anabaptiſtas, Trinitarios, & à Chriſtiana fide apoſtatas, ac omnes & ſingulos alios hæreticos quocunque nomine cenſeantur, & cujuscunque ſectæ exiſtant, ac eis credentes, eorúmque receptatores, fautores, & generaliter quoslibet illorum defenſores, ac eorundem libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, ſine auctoritate noſtra & Sedis Apoſt. ſcienter legentes, aut retinentes, imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quavis cauſa publicè, vel occultè, quovis ingenio, vel colore, nec non Schiſmaticos, & eos, qui ſe à noſtra, & Rom. Pontificis pro tempore exiſtentis obedientia pertinaciter ſubtrahunt, vel recedunt.

§. 2. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, cujuscunque ſtatûs, gradûs, ſeu conditionis fuerint: Univerſitates verò, Collegia, & Capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus: ab ordinationibus, ſeu mandatis noſtris, ac Romanorum Pontificum pro tempore exiſtentium ad univerſale futurum Concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, conſilio, vel favore, appellatum fuerit.

§. 3. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes Piratas, Curſarios, ac Latrunculos maritimos, diſcurrentes Mare noſtrum, præcipuè à Monte Argentario usque ad Tarracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores, & defenſores.

§. 4. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui Chriſtianorum quorumcunque navibus, tempeſtate, ſeu in transverſum (ùt dici ſolet) jactatis, vel quoquo modo naufragium paſſis, ſive in ipſis navibus, ſive ex eisdem ejecta in mari, vel in litore inventa, cujuscunque generis bona, tam in noſtris Tyrrheni, & Adriatici, quàm in cæteris cujusque maris regionibus, & litoribus, ſurripuerint: ita ut nec ob quodcunque privilegium, conſuetudinem, aut longiſſimi, etiam immemorabilis temporis poſſeſſionem, ſeu alium quemcunque prætextum excuſari poſſint.

§. 5. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, qui in terris ſuis nova pedagia, ſeu gabellas, præterquam in caſibus ſibi à Jure, ſeu ex ſpeciali Sedis Apoſtolicæ licentia permiſſas imponunt, vel augent, ſeu imponi, vel augeri prohibita exigunt.

§. 6. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes falſarios litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, ac Supplicationum, gratiam, vel juſtitiam concernentium, per Romanum Pontificem, vel S. R. E. Vice-Cancellarios, ſeu gerentes vices eorum, aut de mandato ejusdem Rom. Pontificis ſignatarum, necnon falsò fabricantes litteras Apoſtolicas, etiam in forma Brevis, & etiam falsò ſignantes Supplicationes hujusmodi ſub nomine Rom. Pontificis, ſeu Vice-Cancellarij, aut gerentium vices prædictorum.

§. 7. Item excomunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, & alios Chriſtiani nominis hoſtes & inimicos, vel Hæreticos per noſtras, ſive hujus ſanctæ Sedis ſententias expreſsè & nominatim declaratos, deferunt, ſeu transmittunt equos, arma, ferrum, ſilum ferri, ſtannum, chalybem, omniáque alia metallorum genera, atque bellica inſtrumenta, ligamina, cannabem, funes, tam ex ipſo cannabe, quàm aliâ quacumque materiâ, & ipſam materiam aliáque hujusmodi, quibus Chriſtianos, & Catholicos impugnant, necnon illos, qui per ſe, vel alios de rebus ſtatum Chriſtianæ Reipub. concernentibus, in Chriſtianorum perniciem, & damnum ipſos Turcas, & Chriſtianæ Religionis inimicos, nec non Hæreticos, in damnum Catholicæ Religionis, certiores faciunt, illíſque ad id auxilium, conſilium, vel favorem quomodolibet præſtant. Non obſtantibus quibuscunque privilegijs, quibusvis perſonis, Principibus, Rebuspublicis, per Nos, & Sedem prædictam hactenus conceſſis, de hujusmodi prohibitione expreſſam mentionem non facientibus.

§. 8. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes impedientes, ſeu invadentes eos, qui victualia, ſeu alia ad uſum Rom. Curiæ neceſſaria adducunt, ac etiam eos, qui, ne ad Rom. Curiam adducantur, vel afferantur, prohibent, impediunt, ſeu perturbant, ſeu hæc facientes defendunt, per ſe, vel alios, cujuscunque fuerint ordinis, præeminentiæ, conditionis, & ſtatús, etiamſi Pontificali, ſeu Regali, aut aliâ quavis, Eccleſiaſticâ, vel mundanâ, præfulgeant dignitate.

§. 9. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apoſtolicam venientes, & recedentes ab eadem, ſuâ, vel aliorum operâ interficiunt, mutilant, ſpoliant, capiunt, detinent; nec non illos omnes, qui jurisdictionem ordinariam, vel delegatam, à Nobis, vel noſtris judicibus non habentes, illam ſibi temerè vendicantes, ſimilia contra morantes in eadem Curia audent perpetrare.

§. 10. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, ſeu deprædantes Romipetas, ſeu Peregrinos ad Urbem causâ devotionis, ſeu peregrinationis accedentes, & in ea morantes, vel ab ipſa recedentes, & his dantes auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 11. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hoſtiliter inſequentes S. R. E. Cardinales, Patriarchas, Archiepiſcopos, Epiſcopos Sedíſque Apoſtolicæ Legatos, vel Nuncios, aut eos à ſuis Diœceſibus, Territoriis, Terris, ſeu Dominijs ejicientes: necnon ea mandantes, vel rata habentes, ſeu præſtantes in eis auxilium, conſilium, vel favorem.

§. 12. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per ſe, vel per alios, perſonas Eccleſiaſticas qnascunque, vel ſæculares ad Romanam Curiam ſuper eorum cauſis, & negotijs recurrentes, ac illa in eadem Curia proſequentes, aut procurantes, negotiorúmque geſtores, advocatos, procuratores, & agentes, ſeu etiam Auditores, vel Judices ſuper diſtis cauſis, vel negotijs deputatos, occaſione cauſarum, vel negotiorum hujusmodi occìdunt, ſeu quoquo modo percutiunt, bonis ſpoliant, ſeu qui per ſe, vel per alios directè, vel indirectè, delicta hujusmodi committere, exequi vel procurare, aut in eisdem auxilium, conſilium, vel favorem præſtare non verentur, cujuscunque præeminentiæ, & dignitatis fuerint.

§. 13. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes tam Eccleſiaſticos, quàm ſæculares, cujuscunque dignitatis, qui prætexentes frivolam quandam appellationem à gravamine, vel futura executione litterarum Apoſtolicarum, etiam in forma Brevis, tam gratiam, quàm Juſtitiam concernentium: nec non citationum, inhibitionum, ſequeſtrorum, monitoriorum, proceſſuum, executorialium, & aliorum decretorum, à Nobis, & à Sede prædicta, ſeu Legatis, Nuntijs, Præſidentibus, Vicariis noſtri & Cameræ Apoſtolicæ Auditoribus, Commiſſariis, aliísque Judicibus, & Delegatis Apoſtolicis emanatorum, & quæ pro tempore emanaverint, aut alias ad Curiæ ſæculares, & laicam poteſtatem recurrunt, ab ea, inſtante etiam Fiſci Procuratore, vel Advocato, appellationes hujusmodi, admitti, ac litteras, citationes, inhibitiones, ſequeſtra, monitoria, & alia prædicta, capi, & teneri faciunt, quive illa ſimpliciter, vel ſine eorum beneplacito, & conſenſu, vel examine executioni demandari, aut ne Tabelliones, & Notarij, ſuper hujusmodi litterarum & proceſſuum, executione inſtrumenta, vel acta conficere, aut confecta parti, cujus intereſt, tradere debeant, impediunt, vel prohibent, ac etiam partes, ſeu eorum Agentes, conſanguineos, affines, familiares, notarios, executores, & ſubexecutores litterarum, citationum, monitoriorum, & aliorum prædictorum capiunt, percutiunt, vulnerant, carcerant, detinent, ex civitatibus, locis, & Regnis ejiciunt, bonis ſpoliant, perterreficiunt, concutiunt, & comminantur per ſe vel alium, ſeu alios, publicè, vel occultè, quive alias quibuscunque perſonis, in genere, vel in ſpecie, ne pro quibusvis eorum negotijs proſequendis ſeu gratijs, vel litteris, impetrandis ad Romanam Curiam accedant, aut recurſum habeant, ſeu gratias ipſas, vel litteras à dicta Sede impetrent, ſeu impetratis utantur, directè vel indirectè prohibere, ſtatuere, ſeu mandare, vel eas apud ſe, aut Notarios, ſeu Tabelliones, vel alias quomodolibet retinere præſumunt.

§. 14. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & ſingulos, qui per ſe, vel alios, auctoritate propriâ, ac de facto, quarumcunque exemptionum, vel aliarum gratiarum, & litterarum Apoſtolicarum prætextu, beneficiales, & decimarum, ac alias cauſas ſpirituales, & ſpiritualibus annexas, ab Auditoribus, & Commiſſariis noſtris, aliísque Judicibus Eccleſiaſticis avocant, illorúmve curſum, & audientiam, ac perſonas, capitula, conventus, collegia, cauſas ipſas proſequi volentes impediunt, ac ſe de illarum cognitione tanquam Judices interponunt: quive partes actrices, quæ illas commiſſecerunt, & faciunt, ad revocandum, & revocari faciendum citationes, vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, & ad faciendum, vel conſentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanârunt, a cenſuris, & pœnis in illis contentis abſolvi per ſtatutum, vel alias, compellunt, vel executionem litterarum Apoſtolicarum, ſeu executorialium, proceſſuum, ac decretorum prædictorum, quomodolibet impediunt, vel ſuum ad id favorem, conſilium, aut aſſenſum præſtant, etiam præter tu violentiæ prohibendæ, vel aliarum præteniorum, ſeu etiam donec ipſa ad Nos informandos, ùt dicunt, upplicaverint, aut ſupplicari fecerint, niſi ſupplicationes hujusmodi coram Nobis, & Sede Apoſtolicâ legitimè proſequantur, etiamſi talia committentes fuerint Præſidentes Cancellariarum, Conſiliorum, Parlamentorum Cancellarij, Vicecancellarij, Conſiliarij ordinarij vel extraordinarij

traordinarij quorumcunque Principum sæcularium, etiamsi Imperiali, Regali, Ducali, vel aliâ quacunque præfulgeant dignitate, aut Archi-Episcopi, Episcopi, Abbates, Commendatarij, seu Vicarij fuerint.

§. 15. Quive ex eorum prætenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcunque personas Ecclesiasticas, Capitula, Conventus, Collegia Ecclesiarum quarumcunque coram se ad suum tribunal, Audientiam, Cancellariam, Consilium, vel Parlamentum, præter Juris Canonici dispositionem, trahunt vel trahi faciunt, vel procurant directè, vel indirectè, quovis quæsito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quævis alia decreta in genere, vel in specie ex quavis causa, & quovis quæsito colore, ac etiam prætextu cujusvis consuetudinis, aut privilegij, vel alias quomodolibet fecerint, ordinaverint, & publicaverint: vel factis, & ordinatis usi fuerint, unde Libertas Ecclesiastica tollitur, seu in aliquo læditur, vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris & dictæ Sedis, ac quarumcunque Ecclesiarum juribus, quomodolibet directè, vel indirectè, tacitè, vel expresse præjudicatur.

§. 16. Necnon qui Archiepiscopos, Episcopos, aliósque superiores, & inferiores Prælatos, & omnes alios quoscunque Judices Ecclesiasticos Ordinarios quomodolibet hac de causa directè, vel indirectè, carcerando, vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos & affines, aut aliàs impediunt, quo minùs sua jurisdictione Ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundùm quod Canones, & sacræ Constitutiones Ecclesiasticæ, & decreta Conciliorum generalium, & præsertim Tridentini, statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum Ordinariorũ, vel etiam ab eis delegatorum quorumcunque sententias, & decreta, aut alias fori Ecclesiastici judicium eludentes, ad Cancellarias, & alias Curias sæculares recurrunt; & ab illis prohibitiones, & mandata, etiam pœnalia, Ordinariis, & delegatis prædictis decerni, & contra illos exequi procurant, eos quoque, qui hæc decernunt & exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium, & favorem in eisdem.

§. 17. Quive jurisdictiones, seu fructus, redditus, & proventus ad Nos, & Sedem Apostolicam, & quascunque Ecclesiasticas personas ratione Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum pertinentes usurpant, vel etiam quavis occasione, vel causâ, sine Romani Pontificis, vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia sequestrant.

§. 18. Quive collectas, decimas, talleas, præstantias, & alia onera clericis, prælatis, & aliis personis Ecclesiasticis, ac eorum, & Ecclesiarum, Monasteriorum, & aliorum beneficiorum Ecclesiasticorum bonis, illorúmque fructibus, redditibus, & proventibus hujusmodi absque simili Romani Pontificis, speciali, & expressa licentia, imponunt, & diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita, etiam à sponte dantibus, & concedentibus, recipiunt, necnon qui per se, vel alios directè, vel indirectè prædicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium, vel favorem præstare non verentur, cujuscunque sint præeminentiæ, dignitatis, ordinis, conditionis, aut statûs, etiamsi Imperiali, aut Regali præfulgeant dignitate, seu Principes, Duces, Comites, Barones, & alij Potentatus quicunque, etiam Regnis, Provincijs, Civitatibus, & Terris quoquo modo Præsidentes, Consiliarij, & Senatores, aut quavis etiam Pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per Sacros Canones, tam in Lateranensi novissimè celebrato, quam Concilijs generalibus edita, etiam cum censuris, & pœnis in eis contentis.

§. 19. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes, & quoscunque Magistratus, & Judices, Notarios, Scribas, Executores, Subexecutores quomodolibet se interponentes in causis capitalibus, seu criminalibus contra personas Ecclesiasticas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, & expressa hujus sanctæ Sedis Apostolicæ licentia, quique hujusmodi licentiam ad personas, & casus non expressos extendunt, vel aliàs illâ perperam abutuntur, etiamsi talia committentes fuerint Consiliarij, Senatores, Præsidentes, Cancellarij, Vicecancellarij, aut quovis alio nomine nuncupati.

§. 20. Item excommunicamus, & anathematizamus omnes illos, qui per se, seu alios directè, vel indirectè sub quocunque titulo, vel colore invadere, destruere, occupare, ac detinere præsumpserint, in totum, vel in partem, Almam Urbem, Regnum Siciliæ, Insulas Sardiniæ, & Corficæ, Terras citra Pharum, Patrimonium Beati Petri in Thuscia, Ducatum Spoletanum, Comitatum Venaysinum, Sabinensem, Marchiæ Anconitanæ, Massæ Trebariæ, Romandiolæ, Campaniæ, & maritimas Provincias, illarúmque Terras, & loca, ac Terras specialis commissionis, Arnulphorum, Civitatésque nostras Bononiam, Cæsenam, Ariminum, Beneventum, Perusium, Avenionem, Civitatem Castelli, Tudertum, Ferrariam, Comacium, & alias Civitates, Terras, & loca, vel jura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictæque Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjecta, necnon supremam jurisdictionem in illis Nobis, & eidem Romanæ Ecclesiæ competentem de facto usurpare, perturbare, retinere, & vexare variis modis præsumunt, nec non adhærentes, fautores, & defensores eorum, seu illis auxilium, consilium, vel favorem quomodolibet præstantes.

§. 21. Volentes præsentes nostros processus, ac omnia, & quæcunque his litteris contenta, quousque alij hujusmodi processus, à Nobis, aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare, nósque effectus omnino sortiri.

§. 22. Cæterùm a prædictis sententiis nullus per alium, quàm per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de standō Ecclesiæ mandatis, satisfaciendo cautione præstita, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indultorum quibuscunque Ecclesiasticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, etiam Mendicantium, ac Militarium regularibus, etiam Episcopali, vel alia majori dignitate præditis; ipsisque Ordinibus, & eorum Monasterijs, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegijs, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus & locis piis, necnon Laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ mundanâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & dictam Sedem, ac cujusvis Concilij decreta verbo, litteris, aut aliâ quacunque scripturâ in genere, & in specie concessorum, & innovatorum, ac concedendorum, & innovandorum.

§. 23. Quòd si fortè aliqui contra tenorem præsentium talibus excommunicatione, & anathemate laqueatis, vel eorum alicui absolutionis beneficium impendere de facto præsumpserint, eos excommunicationis sententiâ innodamus, gravius contra eos, spiritualiter & temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§. 24. Declarantes, ac protestantes, quamcunque absolutionem, etiam solenniter per Nos faciendam, prædictos excommunicatos sub præsentibus comprehensos, nisi priùs à præmissis, cum vero proposito ulteriùs similia non committendi, desiterint: ac quoad eos, qui contra Ecclesiasticam libertatem, ut præmittitur, statuta fecerint, nisi priùs statuta, & ordinationes, constitutiones, pragmaticas, & decreta hujusmodi publicè revocaverint, & ex Archivijs seu capitularibus locis aut libris, in quibus annotata reperiuntur, deleri & cassari, ac nos, de revocatione hujusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per hujusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos, vel expressos, ac etiam per patientiam, & tolerantiam nostram, vel Successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam, in præmissis omnibus & singulis, ac quibuscunque juribus Sedis Apostolicæ ac S. R. E. undecunque, & quandocunque quæsitis, vel quærendis, nullatenus præjudicari posse aut debere.

§. 25. Non obstantibus privilegijs, indulgentijs, indultis, & litteris Apostolicis generalibus, vel specialibus, supradictis, vel eorum alicui, seu aliquibus alijs cujuscunque ordinis, statûs, vel conditionis, dignitatis, & præeminentiæ fuerint, etiamsi, ut præmittitur, Pontificali,

ficali, Imperiali, Regali, seu quâvis Ecclesiasticâ, & mundanâ præfulgeant dignitate: vel eorum Regnis, Provincijs, Civitatibus, seu locis à prædicta Sede, ex quavis causa, etiam per viam contractûs, aut remunerationis, & sub quavis alia forma, & tenore, ac cum quibusvis clausulis, etiam derogatoriarum derogatòrijs concessis, etiam continentibus, quòd excommunicari, anathematizari, vel interdici non possint, per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de privilegijs, indulgentijs, & indultis hujusmodi, ac de ordinibus, locis, nominibus proprijs, cognominibus & dignitatibus eorum, mentionem, nec non consuetudinibus, etiam immemorabilibus, ac præscriptionibus quantumcunque longissimis, & aliis quibuslibet observantijs, scriptis, vel non scriptis, per quæ contra hos nostros processus, ac sententias, quòminùs includantur in eis, se juvare valeant, vel tueri.

Quæ omnia quoad hoc, eorum omnium tenores, ac si ad verbum, nihil penitus omisso, insererentur, præsentibus, pro expressis habentes, penitus tollimus, & omnino revocamus, cæteráque contraria quæcunque.

§. 26. Ut verò præsentes nostri processus ad publicam omnium notitiam faciliùs deducantur, chartas, seu membranas processûs ipsos continentes, valvis Ecclesiæ S. Joannis Lateranensis, & Basilicæ Principis Apostol. de Urbe appendi faciemus, ut ij, quos processûs hujusmodi concernunt, quòd ad ipsos non pervenerint, aut quòd ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem prætendere, aut ignorantiam allegare, cùm non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§. 27. insuper, ut processus ipsi, & præsentes litteræ, ac omnia, & singula in eis contenta eò fiant notiora, quò in plerisque Civitatibus, & locis fuerint publicata, universis, & singulis Patriarchis, Primatibus, Archi Episcopis, Episcopis & locorum Ordinarijs, & Prælatis ubilibet constitutis, per hæc scripta committimus, & in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios præsentes litteras, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in Ecclesijs suis, cùm in eis major populi multitudo ad divina convenerit, solenniter publicent, & ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient, & declarent.

§. 28. Cæterùm Patriarchæ, Archi-Episcopi, Episcopi, aliíque locorum Ordinarij, & Ecclesiarum Prælati, Rectores, cæterique curam animarum exercentes, ac Presbyteri sæculares, & quorumvis Ordinum regulares, ad audiendas peccatorum Confessiones, quavis auctoritate deputati, transumptum præsentium Litterarum penes se habeant, eásque diligenter legere, & percipere studeant.

§. 29. Volentes earundem præsentium transumptis, etiam impressis, Notarij publici manu scriptis, & sigillo Judicis ordinarij Romanæ Curiæ, vel alterius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eandem prorsus fidem in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibendam fore, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si essent exhibitæ, vel ostensæ.

§. 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Siquis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurum.

Datum Romæ &c.

16 Quoniam verò multæ Censuræ, tum in Corpore Juris, tum in Extravagantibus comprehensæ, præsertim latæ sententiæ, sunt reservatæ Summo Pontifici, à quibus per se & ordinariè inferioribus non licet absolvere, aliæ autem non reservatæ, tam quæ sunt latæ, quàm quæ sunt ferendæ, contra varios Fidelium status, ideo è re fore, & Lectoribus non ingratum existimo, si illarum catalogum hic referam, quem accuratè contexunt, & pluribus explicant Suarez, Filliucius, Palao, omnes *de Censuris*: item Barbosa *de Offic. & potest. Episcopi allegat.* 50. & Monacella *p.* 3. *formularij Legalis Practici Præludio*, ex quibus dictas censuras sine deductione, & solum quoad rem ipsam succinctè recitabo, brevitatis, ut semper, studiosus. Ut autem ordinatè procedam, priùs recensebo *Excommunicationes*, dein *Suspensiones*, ac tandem *Interdicta*, quæ sunt tres species Censurarum, & nullæ aliæ. Ante alias autem Excommunicationes Juris ob oculos ponam illas, quæ comprehenduntur in Bulla Cœnæ, circa quam adverto cum Augustino Michel *in tract. de Leg. Amortizationis*, quamvis non desint, qui cum Friderico à Sommeting *in introduct. in Universum Jus l. 1. tit. 2. n. 75.* dicant simpliciter, eam in Germania non habere authoritatem, quia ibi promulgata & recepta non est, hanc tamen sententiam mihi semper visam esse improbabilem, perniciosam, scandalosam, & Sanctissimæ Sedi injuriosam; si enim hæc Lex recepta non sit, nec authoritatem habeat, quæ tanta cum solennitate quotannis à tempore Pauli V. promulgatur & innovatur, quæ tandem erit recepta in Germania, & authoritatem habebit? Certè promulgatio in Germania negari nequit, cùm soleat inferi omnium diœcesium Germaniæ Ritualibus, & alicui Confessionalibus jussu Ordinariorum affigi: nec est contraria consuetudine abrogata, ut constat tum ex praxi Curiarum Ecclesiasticarum, quæ emergentes contra Immunitatem Ecclesiasticam, quæ maximum ex hac Bulla subsidium habet, Casus juxta eam decidunt, tum ex usu Sacri tribunalis Pœnitentiæ, ubi nullus Confessarius audet absolvere obstrictum peccatô in Bulla Cœnæ contentô. Id non improbabile puto, quòd apud nos quoad omnia & in omni rigore recepta non sit. Sic enim Laym. *to. 1. l. 2. tr. 1. c. 15. n. 4.* communiter receptus à Scriptoribus Germanis docet de libris Hæreticorum (non ex instituto de Religione tractantibus, sed obiter tantùm hæresim continentibus) dicens: *verum tamen in partibus nostris Septentrionalibus Bullaris hæc constitutio secundum talem rigorem recepta non est.*

CATALOGUS EXCOMMUNICATIONUM.

Latæ & Reservatæ in Bulla Cœnæ.

1. Contra Hæreticos, eorúmque Credentes, & Fautores, ac Schismaticos, item eos, qui legunt, retinent, imprimunt, aut defendunt libros Hæreticorum, de Religione tractantes, vel Hæresim continentes.
2. Contra eos, qui appellant à Pontifice ad futurum Concilium.
3. Contra Piratas in Mari Romano, eorúmque fautores.
4. Contra eos, qui surripiunt bona naufragorum.
5. Qui ponunt, augent, exigunt nova & injusta tributa, pedagia, & gabellas.
6. Qui falsificant litteras Apostolicas.
7. Qui deferunt equos, arma, aliáque instrumenta, usibus Bellicis idonea, ad Turcas, aliosque infideles: item qui eis (etiam Hæreticis non toleratis) nuntium fidei

ſtatum Reipublicæ Chriſtianæ in hujus perniciem, aut alio modo conſilium, auxilium, favorem præſtant.

8. Qui impediunt, ne Curiæ Romanæ victualia, aliaque neceſſaria deferantur.

9. Qui vulnerant, detinent, deprædantur &c. accedentes, vel recedentes à Romana Sede, vel in Curia Romana commorantes.

10. Qui vulnerant, detinent, ſpoliant &c. Romipetas, & peregrinos accedentes ad Urbem, vel ibi commorantes, aut ab ea recedentes.

11. Qui vulnerant, percutiunt &c. Cardinales, vel alios Prælatos & Legatos Sedis Apoſtolicæ.

12. Qui percutiunt, ſpoliant &c. recurrentes ad Romanam Curiam pro ſuis negotijs.

13. Qui à gravamine, & executione litterarum Apoſtolicarum frivolè appellant, aut aliàs ad Curias Sæculares recurrunt, vel accedentes ad Romanam Curiam pro expeditione negotiorum & gratiarum impediunt.

14. Qui cauſas à Judicibus Eccleſiaſticis avocant, vel eorum curſum, & executionem litterarum Apoſtolicarum impediunt.

15. Qui trahunt, vel trahi curant perſonas Eccleſiaſticas ad ſæculare tribunal, item qui condunt quovis modo vel quæſito colore Statuta libertati Eccleſiaſticæ repugnantia, aut ijſdem utuntur.

16. Qui impediunt, ne Prælati Eccleſiaſtici ſua jurisdictione utantur.

17. Qui ſine legitima Superiorum licentia uſurpant, vel ſequeſtrant reditus, fructus, & proventus ad Pontificem, vel alias perſonas Eccleſiaſticas pertinentes

18. Qui imponunt decimas, collectas, aut alia onera perſonis Eccleſiaſticis.

19. Judices Sæculares, qui in cauſis capitalibus, ſeu criminalibus Clericorum ſe interponunt.

20. Qui occupant bona aut terras Eccleſiæ Romanæ, vel ſupremam ejus jurisdictionem uſurpant.

Qui ab his cenſuris extra articulum mortis, & ſecluſô privilegiô vel ſpeciali facultate, abſolvunt, ipſo Jure excommunicantur, & abſolutio eſt invalida: quæ quidem excommunicatio non eſt reſervata, niſi quis abſolveret ſub prætextu privilegij, quod non habet, ut declaravit Clemens VIII. approbans decretum *S. Congreg. Epiſc. & Regular.* anno 1601. apud Piaſec. *p. 2. c. 1. art. 3.*

18 Excommunicationes in reliquo Jure Pontifici reſervatæ.

Contra Omnes.

1. Percutientes Clericum, vel Monachum. *c. ſiquis ſuadente 17. q. 4.*
2. Perſeverantes per annum in excommunicatione lata à Delegato Papæ. *c. quærenti de Offic. deleg.*
3. Falſarios literarum Apoſtolicarum. *c. ad falſariorum. de crim. falſ.*
4. Habentes literas Apoſtolicas falſas, & illas non deſtruentes. *c. dura. eod.*
5. Incendiarios à Judice excommunicatos, & denunciatos. *c. tua nos. de ſent. excommun.*
6. Sacrilegos effractores Eccleſiarum. *c. conqueſti. eod.*
7. Communicantes in crimine cum excommunicatis à Papa. *c. nuper. eod.*
8. Eligentes potentia inſignem in Senatorem Romanum. *c. fundamenta. de elect. in 6.*
9. Vexantes eos, qui cenſuram in aliquos tulerunt. *c. quicunque. de ſent. excom. in 6.*
10. Abſolutos ab excommunicatione ſub conditione, & non implentes. *c. eos, qui. ibidem.*
11. Offendentes Cardinales. *c. felicis. de pœn.*
12. Exigentes tributa à perſonis Eccleſiaſticis. *c. Clericis. de Immunit. in 6.*
13. Violantes Interdictum modis prohibitis. *Clementina Gravis de ſent. excom.*
14. Falſificantes monetam Regis Galliæ. *Extravag. Joan. XXII. Prodiens de crim. falſ.*
15. Exenterantes corpora defunctorum. *Extravag. 2. de ſepult.*
16. Violantes Interdictum Sedis Apoſtolicæ. *Extravag. & ſi de pœn.*
17. Conſpirantes in perſonam Romani Pontificis. *Ibid.*
18. Dantes, & recipientes ob ingreſſum Religionis. *Extravag. Commun. 1. de Simon.*
19. Simoniacos in Ordine, & Beneficio. *Extravag. 2. eod.*
20. Taxantes opinionem de Immaculata Conceptione Beatæ Mariæ Virginis. *Extravag. Grave de Reliq.*
21. Dantes, & recipientes pro gratia, aut juſtitia apud Sedem Apoſtolicam. *Extravag. 1. de ſent. excom. Bulla Bonifacij VIII. 1. & Greg. XIII. 24.*
22. Offendentes Rectores, ſeu Præſides Provinciæ Marchiæ Anconitanæ. *Extravag. Joan. XXII. Dierum de pœn.*
23. Occupantes bona Cardinalium tempore Conclavis. *Bulla 16. Leonis X.*
24. Mentientes perſonas in literis Apoſtolicis, ut earum expeditionem gratis aſſequantur. *Bulla Leonis X. 27.*
25. Impedientes executionem literarum Sac. Pœnitentiariæ. *Bulla Julij III. Rationi congruit 1.*
26. Simulantes, & ſupponentes, ſe alios eſſe, pro obtinendis Beneficijs à Dataria. *Bulla 12. Pauli IV. Inter cæteras.*
27. Committentes duellum, & illud conſulentes. *Concil. Trident. c. 19. ſeſſ. 25. de refor. Bulla. Clem. VIII. 11. Illius vices.*
28. Mittentes litteras, aut Nuncium in Conclavi, vel indè recipientes. *Bulla Pij IV. 63. In eligendis.*
29. Occupantes bona Eccleſiarum, Montium Pietatis, ſeu alterius loci Pij: vel impedientes, ne ab ijs, ad quos jure pertinent, percipiantur. *Concil. Trid. c. 11. ſeſ. 22. de refor.*
30. Fœminas ingredientes Clauſuram Monaſteriorum Regularium ſub prætextu privilegij. *Bulla Pij V. 20. Regularium.*
31. Fœminas, & maſculos ingredientes ſepta Monaſteriorum Monialium prætextu licentiarum in caſibus non neceſſariis. *Greg. XIII. Bulla 28. Ubi gratiæ.*
32. Suadentes Papæ, ut alienet vel infeudet loca Statûs Eccleſiæ. *Bulla Pij V. 35. Admonet Nos.*
33. Capientes. & retinentes Chriſtianos habitantes inter Turcas, & illorum bona diripientes, aut remigare cogentes. *Bulla Pij V. 149. Licèt.*
34. Non revelantes conſpiratores, & inſidiatores contra Cardinales. *Bulla ejusd. Pontif. 93. Infelices.*
35. Publicantes Indulgentias, & facultatem dantes eligendi Confeſſores iis, qui aliquid ſolvunt. *Bulla ejusd. Pontif. 99. Quàm plenum.*
36. Accipientes, & retinentes fructus Beneficii vacantis, vel impedientes Beneficii poſſeſſionem non ſolventibus dulciaria, ſive aliam ſolutionem. *Bulla ejusd. Pontific. 104. Durum nimis.*
37. Facientes jurare illicita, & contraria libertati Eccleſiaſticæ. *Bulla Gregor. XIII. 93. Inter Apoſtolicas.*
38. Diripientes animalia, & bona, vel illa furata ementes ex Statu Eccleſiaſtico. *Bulla ejusd. Pontif. 98. Non ſine.*
39. Violantes immunitatem Eccleſiarum. *Bulla Greg. XIV. 7. Cùm aliàs.*
40. Docentes poſſe fieri confeſſionem Sacramentalem in abſentia per litteras. *Bulla Clem. VIII. 87. Sanctiſſimus.*
41. Extrahentes frumentum, blada, legumina, & oleum extra Statum Eccleſiaſticum ſine licentia. *Paulus V. Bulla 12. Inter graviſſimas.*
42. Docentes, aut defendentes etiam diſputativè opiniones damnatas. *Decreta S. Congreg. S. Officii annis 1665. 1666. 1679. & 1690. emanata.*

Contra Clericos.

43. Particlpantes in Divinis cum excommunicato à Papa. *c. ſignificavit de ſent. excom.*
44. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non immutandâ ſepultura in eorum Eccleſiis. *Clem. Cupientes §. Sanè de pœn.*
45. Commiſſarios, ſeu Delegatos interponentes Decretum per gratiam, aut timorem, vel ſortes, in alienationes

tione bonorum Ecclesiæ, aut per alios fieri alienationem dolosè procurantes. *Bulla 2. Pauli II. Cùm in omnibus.*

46. Prædicatores non servantes Decreta pro eis lata in Concilio Lateranensi. *Bulla Leonis X. 21. Supernæ.*

47. Retinentes Beneficia in confidentiam. *Bulla Pij IV. 85. Romanum Pontificem. Bulla Pij V. 85. Intolerabilis.*

48. Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Cœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decretum S. Congr. Episc. & Regular. à Clem. VIII. approbatum anno 1601.*

49. Trahentes personas Ecclesiasticas ad forum laicale. *Bulla Martini V. 10. Ad reprimendas.*

50. Consentientes usurpationibus bonorum Ecclesiarũ. *Concil. Trid. Cap. XI. sess. 22. de refor.*

Contra Regulares.

61. Administrantes Sacramenta extremæ Unctionis, & Eucharistiæ infirmis, vel matrimonia solemnizantes sine licentia Parochi. *Clem. 1. de privileg.*

52. Absolventes sub prætextu privilegiorum à casibus Bullæ Bœnæ, vel Ordinariis reservatis. *Decretum Clem. VIII. ut suprà.*

53. Euntes ultra mare sine licentia Superiorum. *Extravag. Ad nostram de Regular.*

54. Mendicantes transeuntes ad non Mendicantes. *Extrag. Viam. ibid.*

55. Moniales exeuntes de Clausura absque licentia. *Bulla Pij V. 8. Decori.*

56. Superiores non denunciantes Religiosos, qui sunt suspecti de hæresi, Inquisitoribus, vel Ordinariis locorum. *Bulla Pauli V. 26. Romanus Pontifex.*

57. Minores de Observantia subornantes vota in electionibus. *Bulla Pij V. 128. Pastoralis.*

58. Claustrales recipientes Minimos sine licentia Papæ. *Bulla Julij II. Virtute conspicuus,* extra Bullarium.

59. Tertiarios portantes habitum Minorum. *Bulla Leonis X. Licèt alias,* extra Bullarium.

60. Minores admittentes in eorum Ecclesiis tempore Interdicti ad Divina Fratres, & Sorores Tertij Ordinis, *Clem. Cùm ex eo. de sent. excom.*

61. Clericos Regulares Societatis JESU, discedentes sine licentia à Societate, etiamsi prætextu melioris frugis transeant ad alium Ordinem (exceptis Cartusianis) *Bulla Gregorii XIII. 89. Ascendente.*

62. Clericos Regulares Congregationis de Somascha, transeuntes ad arctiorem sine licentia Superioris (exceptis Capucinis, & Cartusianis) illorúmque receptores. *Sixtus V. Bulla 4. Æquum.*

63. Inducentes ad jurandum de eligenda, vel de electa non mutanda Sepultura in eorum Ecclesiis. *Clem. Cupientes §. Sanè de pœn.*

Contra personas publicas.

64. Prælatos vexantes censuris commorantes in servitio Papæ. *Extravag. 3. de privileg.*

65. Cardinales contravenientes in electione Pontificis Bullæ *Julij II. 3. Cùm tam Divino.*

66. Cardinales revelantes ea, de quibus Papa eis silentium indixit. *Bulla Leonis X. 7. §. 31. Et quotiescunque.*

67. Episcopos, qui conferunt Beneficia contra præscriptum Bullæ Pij V. in eorum manibus resignata. *Bulla 58. Quanta.*

68. Cardinales ambientes Papatum, & Simoniacos ejus causâ. *Pauli IV. Bulla 16. Cùm secundùm.*

69. Cardinales Simoniacos in Beneficiis. *Bulla Pij V. 85. Hodie in Consistorio.*

70. Judices, Officiales Laicos, ac Prælatos Ecclesiasticos, trahentes personas Ecclesiasticas ad forum Laicale. *Bulla Martini V. 10. Ad reprimendas.*

71. Dominos temporales, qui in terris eorum, supposítis Interdicto, cogunt celebrare, & audire Divina Officia. *Clem. Gravis de sent. excom.*

72. Officiales, ac Dominos temporales, bannientes, seu facientes, & mandantes banniri, personas Ecclesiasticas. *Bulla Urbani VI. 3. Quia sicut.*

73. Officiales, Judices, & Dominos temporales percutientes, vel bannientes Episcopos, vel hæc mandantes, aut facta ab aliis ratificantes. *Clem. 1. de pœn.*

74. Principes, & Dominos temporales, concedentes locum, vel permittentes duellum in Terris suis. *Concil. Trid. sess. 25. de refor. c. 19. Bulla Clem. VIII. 11. Illis vices.*

75. Episcopos, & Inquisitores, eorúmque substitutos, qui faciendo, vel omittendo, contra diffinitos de hæresi, delinquunt in Officio. *Clem. Multorum §. Verùm de hæret.*

76. Officiales, & Ministros Cameræ Apostolicæ non reddentes integra computa. *Bulla Pauli III. 40. Cùm sicut.*

77. Gubernatores Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, recipientes munera, præter comestibilia. *Bulla Pauli II. 3. Munera.*

Excommunicationes Juris non Reservatæ. 19

Contra omnes.

1. Qui ex Magistris aut Scholaribus Bononiæ conducunt domos alterius Doctoris aut Scholaris. *c. 1. de locato.*

2. Qui ratas habent collationes Ordinum & Beneficiorum a Scholasticis. *c. 1. de Schismat.*

3. Qui vexant Ecclesiasticos, quòd non elegerint eum, pro quo rogabatur. *c. sciant. de Elect. in 6.*

4. Qui titulò regaliæ aut defensionis occupant bona Ecclesiæ vacantis. *c. Generali eod.*

5. Qui tanquam directores præsident electionibus Monialium, & discordias fovent. *c. indemnitatibus eod.*

6. Qui procurant, ut Conservatores Regularium se immisceant in aliis, quam in manifestis injuriis & violentijs. *c. fin. de off. deleg. in 6.*

7. Qui extorquent absolutionem à censuris per vim aut metum. *c. 1. de his, quæ vi &c. in 6.* Et absolutio est nulla.

8. Qui ex Judicibus accedunt ad mulieres ex causa ficta ad excipiendum testimonium. *c. 2. de Judic. in 6.*

9. Qui ex Laicis compellunt Ecclesiasticos, ut sibi submittant jura Ecclesiæ. *c. 2. de reb. Eccles. non alien. in 6.*

10. Qui exigunt pedagia &c. ab Ecclesiasticis personis. *c. 4. de Censib. in 6.* Videtur nunc reservata in Bulla Cœnæ *can.* 18.

11. Qui docent Jus Civile, vel Medicinam, Religiosa habitum dimittentes. *c. 2. Ne Clerici in 6.*

12. Qui sepeliunt hæreticos in loco sacro scienter. *c. 2. de hæret. in 6.*

13. Qui mandant interfici Christianum per Assassinos. *c. 1. de homicid. in 6.*

14. Qui concedunt, vel concessas repressilias extendunt adversùs Ecclesiasticos. *c. un. de Injur. in 6.*

15. Qui sequestrum ab Ordinario super beneficio factum impediunt, vel fructus occupant. *Clem. un. de sequestr. possess.*

16. Qui tempore interdicti, vel interdictos nominatim, publicè excommunicatos, aut usurarios manifestos sepeliunt in loco sacro. *Clem. 1. de sepult.*

17. Qui impediunt Visitatores Monialium. *Clem. Attendentes de Statu Monach.*

18. Qui scienter contrahunt Matrimonium in gradibus prohibitis, vel cum Moniali. *Clem. un. de Consang.*

19. Qui impugnant litteras Papæ non coronati. *Extravag. ult. h. t.*

20. Qui imprimunt libros absque licentia Superiorum. *Bulla 12. Leonis X.*

21. Qui edunt Glossas & scholia in Tridentinum. *Bulla 73. Pij IV.*

22. Qui asserunt, ante susceptionem Eucharistiæ non esse necessariam Confessionem peccato mortali obstrictis. *Trid. s. 13. can. 11. de Eucharist.*

23. Qui rapiunt mulieres, & rapientibus favent. *Trid. c. 9. sess. cit.*

24. Qui cogunt, vel impediunt mulieres ab ingressu Religionis. *Trid. s. 25. c 9. de Regular.*

25. Qui vexant personas, res, & officiales Sanctæ Officij. *Bulla 82. Pij V.*

26.

26. Qui pingunt, deaurant &c. Agnos Dei à Pontifice benedictos. *Bulla 2. Gregor.* XIII.
27. Qui non denuntiant S. Officio, vel Ordinario, hæreticos, magos, sortilegos, & hæreticaliter blasphemantes Deum, B. Virginem, & Sanctos. *Edictum S. Officij.*

Contra Clericos.

28. Qui se ingerunt in alterius Episcopatu ad officium sine licentia proprij Episcopi. *c. quoniam de Off Ordin.*
29. Qui publicè audiunt Medicinam, aut Leges, & Sacerdotes sunt Personatum habentes. *c. fin. ne Clerici.*
30. Qui ex sacerdotibus recipiunt præfecturas Seculares, & moniti non dimittunt. *c. Clerici eod.*
31. Qui procurant, ut alij occupent jura & bona Ecclesiarum vacantium. *c. generali de Elect. in* 6. Sed in Trid. *s.* 22. *c.* 11. *de reform.* videtur hæc excommunicatio esse reservata.
32. Qui in Sacris constituti contrahunt Matrimonium. *Clem. un. de Consang.*
33. Qui alienant, vel ultra triennium locant, bona Ecclesiarum. *Extrav. Ambitiosæ de reb. Eccl. alien.*
34. Qui fictè resignant, vel permutant, beneficia. *Bull.* 58. *Pij V.*
35. Qui in concionibus, vel disputationibus, impugnant Montes Pietatis. *Bull.* 11. *Leon.* X.

Contra Religiosos.

36. Qui non adimplent disposita in Alexandri VII. Bulla, quæ incipit, *Felici*, in visitatione Monalium sibi subjectarum.
37. Qui audiunt vel docent extra claustra Jus Civile vel Medicinam. *c. non magnopere. c. super speculа. Ne Clerici.*
38. Qui instituunt novum Ordinem (vel locum acquirunt, seclusò privilegiò) sine licentia Papæ. *c. un. de Relig. Dom. in 6.*
39. Qui ex Professis temerè dimittunt habitum. *c.* 2. *Ne Clerici in* 6.
40. Qui occupant decimas Ecclesijs debitas, vel illas solvi prohibent. *Clem.* 1. *de Decim. Clem. Cupientes de Pœnit.*
41. Qui adeunt Curias Principum ad nocendum suis Prælatis vel Monasterijs. *Clem. Ne in agro. §. quia verò. de Stat. Monach.*
42. Qui tenent arma intra claustra sine licentia Abbatum, & sunt Monachi nigri. *ibid.*
43. Qui ex Professis contrahunt Matrimonium. *Clem. un. de Consang.*
44. Qui ex Mendicantibus recipiunt novas domos, vel receptas alienant, sine licentia Papæ, & privilegio. *Clem. Cupientes de Pœnit. cit.*
45. Qui non observant interdictum à Papa vel Episcopo positum. *Clem.* 1. *h. t.*
46. Qui ex Capucinis recipiunt Minores de observantia sine licentia Sedis Apostolicæ aut Ordinis Generalis, & qui recipiuntur. *Bull.* 20. *Sixti V.*

Contra Episcopos & Nuntios.

47. Qui veniunt ad Urbem, & indè recedunt sine licentiæ Papæ. *Extrav.* 2. *&* 3. *de Majorit. & Obed.*
48. Qui impetrant litteras à Principibus ad Dignitates. *Bull.* 96. *Pij IV.*

Contra Dominos temporales.

49. Qui prohibent subditis, ne quidquam vendant Ecclesiasticis, aut emant aliquid ab iisdem, neque eis bladum molant, aut alia obsequia præstent. *c. eos, qui. de Immunit. Eccles.* sed hæc videtur reservari *in Bulla Cœnæ casu* 15.
50. Qui se opponunt, vel impediunt Episcopos vel Inquisitores in Officio Inquisitionis. *c. ut inquisitionis. de hæret. in* 6.
51. Qui concedunt represalias contra Ecclesiasticos. *c.* 1. *de Injur. in* 6.
52. Qui retinent in Italia nomen Vicarij Imperatoris vacante Imperio. *Extrav. Si fratrum. Joan.* XXII. *Ne Sede vacante.*
53. Qui contra persecutores Cardinalium non servant statuta in *c. felicis de Pœnis in* 6.
54. Qui permittunt agitationes taurorum in terris suis, nempe periculosas. *Bull.* 48. *Pij V.*

Contra Magistratus & Judices.

55. Qui post tertiam admonitionem negligunt reddere jus Ecclesiasticis. *can. administrationes. caus.* 12. *q.* 5.
56. Qui faciunt servari statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *c. Noverit. h. t.* Sed hanc iterum reservare videtur *Bulla Cœnæ casu* 15.
57. Qui extorquent pecuniam prætextu Officii Inquisitoris. *Clem.* 2. *de hæret.*
58. Qui fovent Usuras & approbant. *Clem. un. de Usuris.*
59. Qui auxilium non præstant Episcopo pro conservanda clausura Monialium. *Trid. s.* 25. *c.* 5. *de Regular.*
60. Qui ex Rectoribus Universitatum promovent ad Doctoratum, vel Professuram, eos, qui non emiserunt Professionem Fidei. *Bull.* 88. *Pij IV.*
61. Qui Cardinalibus Inquisitoribus in rebus ad officium Inquisitionis pertinentibus non obediunt. *Bull.* 1. *Pij V.*
62. Qui dant licentiam in Statu Ecclesiastico portandi pugiones, & arma tribus palmis breviora. *Bull.* 145. *Pij V.*

Circa recitatas Excommunicationes cum P. Engel, Ordinis S. Benedicti, percelebri SS. Canonum Professore in Celeberrima Universitate Salisburgensi, *in Manuali p.* 3. *c.* 2. *§.* 2. notandum censeo, eas in locis, ubi promulgatæ nunquam sunt, uti quædam comprehensæ in Bullis extra Corpus Juris vagantibus, vel nunquam receptæ, vel contraria consuetudine iterum abrogatæ, non incurri; quamvis enim Bullas, legem vel causam Civilem aut Judicialem continentes, secundùm Stylum Curiæ Romanæ & communiorem Doctorum hoc ipso, quòd Romæ sint promulgatæ, sufficienter per totum Orbem Christianum promulgatas esse, transmittatur (quod nos ad *Tit. 11. in lib. 1.* negavimus) id tamen non videtur admittendum de Bullis Censuras continentibus, & sic grave animarum periculum immediatè tangentibus, quas in singulis diœcesibus, ut stringant, promulgandas esse inter alia desumi potest ex *c.* 13. *de Pœnit.* ibi: *postquam per Prælatos locorum fuerit publicata*; cùm ad incurrendas censuras requiratur contumacia, consequenter vicinior promulgatio, nempe vel per publicam affixionem, aut proclamationem per Ordinarios, vel per usum & consuetudinem inducta. Proinde ad incursionem non sufficiet scientia censuræ hausta ex privata librorum lectione; aliàs enim non foret consultum studere SS. Canonibus vel Casibus Conscientiæ, & indocti melioris forent conditionis, quàm illi, qui se pro Ecclesiæ & animarum utilitate doctos reddiderunt. Aliquas autem Bullas, extra Corpus Juris adhuc vagantes, in quibus feruntur censuræ, in nostra Germania nunquam esse debitè promulgatas, & sic nunquam in usum deductas, vel saltem rursus abrogatas esse iudubitatum videtur. Imò aliquæ censuræ, etiam in Corpore Juris comprehensæ, videntur per nonusum abrogatæ, v. g. excommunicatio, quæ statuta est in Clericos comam nutrientes: dein alias quasdam ex non reservatis excommunicationibus, quæ non ampliùs sunt in usu, in priori catalogo non adduxi (nec singularium locorum vel Religionum proprias, etiam reservatas) quis enim, ait Monacella *n.* 13. *in fine*, omnes,

omnes excommunicationes, quæ reservatæ non sunt, absolvere possit?

21 CATALOGUS SUSPENSIONUM.

Contra Episcopos.

1. Qui primam tonsuram conferunt infanti, illiterato, conjugato. *c. nullus de tempor. Ord. in 6.*
2. Qui ordinant Simoniacè. *c. penult. de Sim. Extrav. 2. eod.*
3. Qui Sacrum Ordinem conferunt Religiosis non Professis. *Bulla 75.* Pij V. exceptis Religiosis Societatis JESU.
4. Qui ordinant Monachum sine licentia Abbatis: vel alium non subditum sine licentia proprij Ordinarij. *can. fin. d. 58. Trid. s. 23. c. 8. de Ref.*
5. Qui ordinant proprios subditos in aliena diœcesi sine licentia Ordinarij. *Trid. s. 6. c. 5. de Ref.* Taceo suspensiones ferendæ sententiæ in malè Ordinantes à Jure decretas.
6. Qui beneficijs privant commorantes in Curia Romana. *Extrav. Divina de Priv.*
7. Qui jura & bona Ecclesiæ submittunt Laicis sine Capituli & Papæ consensu. *c. hoc consultissimo. de Reb. Eccl. non alien. in 6.*
8. Qui in proprium usum convertunt bona beneficiorum vacantium. *c. fin. de offic. Ord. in 6.* Sed tantùm est suspensio ab ingressu Ecclesiæ.
9. Qui abutuntur potestate delegata in causa alienationis bonorum. *Bull. 2. Pauli II.*
10. Qui admittunt resignationes beneficiorum contra formam præscriptam in *Bulla 58. Pij V.*
11. Qui negligunt procedere contra Simoniacos. *can. 102. caus. 1. q. 1.*
12. Qui sunt Inquisitores, & delinquunt in officio. *Clem. 1. de hæret.*
13. Qui procurant capi Ecclesiasticos, ut renuntient beneficijs, vel citatos impediunt ab accessu ad Sedem Apostolicam. *Clem. 2. de pœnis.*
14. Qui quoad fructus beneficiorum vacantium non servant *Extrav. 2. Jo. XXII. de Elect.*
15. Qui confirmant, & conservant electum sine prævia Inquisitione. *c. provida eod. in 6.*
16. Qui promoti ad Ecclesias accedunt non expeditis litteris, ac non præstitô fidelitatis juramentô. *Extrav. 1. eod. X.*
17. Qui ob crimen concubinatûs moniti à Synodo Provinciali se non emendant. *Trid. s. 25. c. 14. de Ref.*
18. Qui relaxant Incendiarijs pœnas à Jure inflictas. *can. pessimam caus. 23. q. 8.*
19. Qui publicant Indulgentias, & facultatem eligendi Confessarios dant solventibus aliquid. *Bull. 99. Pij V.*
20. Qui non visitant limina Apostolorum tempore præscripto. *Bull. 15. Sixti V.*
21. Qui ingrediuntur Monasteria Monialium in casibus non necessarijs. *Bull. 28. Greg. XIII.*

Contra Capitula & Communitates.

22. Quæ occupant bona à Prælato relicta, vel obventia tempore vacationis. *c. quia sæpe de Elect. in 6.*
23. Quæ recipiunt Prælatum in Curia promotum absque litteris Papæ. *Extrav. 1. eod.*
24. Quæ in Religionis ingressu â se admisso ex pacto recipiunt prandia, pastum, pecunias, jocalia. *Extrav. Sanè de Simon.*
25. Quæ in resignatione beneficiorum non observant contenta in *Bulla 58. Pij V.*

Contra Clericos privatos & singulares.

26. Qui recipiunt Ordines Sacros ante legitimam ætatem: vel non servatis interstitijs: vel extra tempora: vel censurâ irretiti: vel à Schismatico (quod communiter extendunt ad eos, qui ab Excommunicato) vel ab eo, qui renuntiavit Episcopatui: vel à proprio Episcopo in aliena diœcesi sine debita licentia: vel ab Episcopo Titulari tantùm sine licentia Ordinarij proprij: vel ab alieno Episcopo sine licentia proprii. *c. vel non est compos. c. cùm quidam. de tempor. Ordin. Bull. 7. Pij II. c. illorum de sent. Excomm. c. 1. & 2. de Schism. c. 1. de Ord. ab Epis. qui renunt. Trident. s. 6. c. 5. de ref. s. 14. c. 2. de ref. s. 23. c. 8. de ref.*
27. Qui ordinantur sine, vel ficto titulo. *can. nemines. can. Sanctorum. d. 70. Bull. 33. Urb. VIII.*
28. Qui ordinantur in Sacris post Matrimonium, etiam Ratum tantùm. *Extrav. Antiquæ de Vit.*
29. Qui ordinantur in Sacris cum litteris dimissoriis à Capitulo infra annum Sede vacante datis; & qui ordinantur per saltum. *Trid. s. 7. c. 10. de ref. & s. 23. c. 14. de ref.*
30. Qui impugnant personam electi, & in probatione deficiunt. *c. 1. de Elect. in 6.*
31. Qui electo à se Episcopo infra 3. dies non præstant electionem. *c. cupientes eod.*
32. Qui eligunt per abusum Sæcularis Potestatis. *c. 1. eod. X.* sed est ferendæ sententiæ.
33. Qui eligunt indignum ad Episcopatum, vel Beneficium Curatum: licèt sint Compromissarij tantùm. *c. Cùm in cunctis. c. Compromissarius eod. in 6.*
34. Qui postulant in Episcopum minores 27. annis, vel Religiosos Mendicantes. *Extrav. un. de Postul. Præl.*
35. Qui ab usurarijs manifestis recipiunt oblationes, vel eos sepeliunt. *c. quia in omnibus de usur.*
36. Qui publicè utuntur virgatâ vel partitâ veste sine causa. *Clem. 2. de vita &c.*
37. Qui occupant bona Ecclesiarum vacantium, vel à Prælatis relicta. *c quia sæpe de Elect. in 6.*
38. Qui Ecclesias sibi commissas gravant alienis debitis. *c. 2. de solut.*
39. Qui recipiunt procurationes pro visitatione, officio non impensô. *c. exigit. de Censib. in 6.*
40. Qui sunt notorii Concubinarii. *c. fin. de cohabit. Cleric.*
41. Qui celebrant Missam, & in ea non communicant. *can. relatum d. 2. de Consecr.*
42. Qui Missam jam inchoatam abrumpunt sine gravi causa. *can. 57. d. 1. de Consecr.*
43. Qui Simoniacè ordinantur. *c. penult. de Sim.*
44. Qui sponte jurant de tenendo Schismate. *c. 1. de Schismat.*
45. Qui celebrant coram excommunicato. *c. 15. & integl. de sent. Excom. in 6.*
46. Qui in concionibus disputant de Immaculata Concept. B. V. vel eam impugnant, vel de ea scribunt in vulgari lingua. *Bull. 114.* Pij V. *Bull. 29.* Gregorij XV.
47. Qui recipiunt Prælatos, à Sede Apostolica promotos, sine litteris. *Extrav. 1. de Elect.*
48. Qui rapiunt mulieres. *Trid. sess. 24. c. 6. de Ref. Matrim.*
49. Qui nefandum Sodomiæ crimen exercent. *Bull. 72.* Pij V.
50. Qui aliquid faciunt in Judicio per gratiam vel sordes in gravamen injustum Partis. *c. 1. de sent. & re jud. in 6.*
51. Qui ex Parochis jungunt Sponsos alterius parochiæ sine licentia proprii Parochi. *Trid. s. 24. c. 1. de Ref. Matrim.*
52. Qui ex Conservatoribus Regularium se immiscent in aliis, quàm manifestis injurijs. *c. fin. de off. deleg.*
53. Qui ex Superioribus Ecclesiarum non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum. *Bull.* Innoc. XII. 1697.

Contra Regulares, Prælatos & Subditos.

54. Qui ex Superioribus concedunt reditus aut possessiones Monasteriorum aliis: vel aliquid ratione excessuum suorum Religiosorum acquirunt, & non satisfaciunt damnificatis: vel qui à Sacristis &c. non exigunt singulis annis rationem de adimpleto onere Missarum. *Clem. 1. de reb. Eccl. Clem. 1. de Privil. Bull.* Innoc. XII. *cit.*
55. Qui, tam Superiores quàm subditi, recipiunt alumnos ad Professionem ante expletum probationis annum.

num: vel sibi appropriant decimas ad se non pertinentes. *c. non solùm de Regular. in 6. Clem. 1. de Decim.*

56. Qui nondum Professi recipiunt Ordines Sacros. *Bull. 75.* Pij V. nempe extra Societatem JESU.

57. Qui mulieres introducunt intra Clausuram Monasteriorum. *Bull. 20.* Pij V.

58. Qui confitentibus non faciunt conscientiam de solvendis decimis. *Clem. cupientes de pœnis.*

59. Qui non deferunt habitum a Regula præscriptum. *Clem. 1. de stat. Monach.*

60. Qui ejiciuntur a Religione. *Bulla 26. §. 10.* Urb. VIII.

61. Qui faciunt Apostasiam ab Ordine, & in ea recipiunt Ordines. *c. fin. de Apost.*

Et has Suspensiones enumerâsse sufficiat, prætermissis cœteris, quæ vel singulis Religionibus sunt propriæ, vel tantùm sunt comminatoriæ, aut ferendæ sententiæ; vel confunduntur cum Interdicto.

22 CATALOGUS INTERDICTORUM.

Interdicta Localia.

1. Contra dominos temporales, quorum loca subjacent Interdicto, si impediant, ne Legatus vel Nuntius Papæ fungatur suo officio. Item si quis injuriosè percutit, capit, bannit Episcopum. *Extrav. super Gentes de Consuet. Clem. 1. de pœnis.*
2. Contra civitatem, quæ supponitur Interdicto, si hostiliter insequitur Cardinales. *c. felicis eod. in 6.*
3. Contra Ecclesias tam Sœcularium, quam Regularium, qui aliquem inducunt, ut juret vel promittat ibi eligere sepulturam, si postea ibi sepeliatur jurans vel promittens. *c. 1. de Sepult. in 6.*
4. Contra Collegia & Universitates, quæ exigunt gabellas &c. vel aliquid contra libertatem Ecclesiasticam. *Bull. 39.* Gregor. XIII.

Contra Universitates,

5. Quæ usurarijs locant habitationem, vel fœnus publicè exercere sinunt. *c. 1. de Usur. in 6.*
6. Quæ concedunt, vel extendunt, represalias contra Ecclesiasticos, *c. un. de Injur. in 6.*
7. Quæ non servant circa fructus beneficiorum vacantium statuta in *Extrav. un. Ne quid Sede vac.*
8. Quæ à sententia Papæ appellant ad futurum Concilium. *Bull. Cœnæ casu 2.*
9. Quæ ex Capitulis Cathedralibus infra annum Sede vacante concedunt Dimissorias litteras. *Trid. Sess. 7. c. 10.*
10. Quæ exigunt tributa ab Ecclesiasticis. *c. quamquam de Censib. in 6.*

Interdicta Personalia specialia.

Contra personas singulares.

11. Quæ in ferendis censuris non observant formam à jure præscriptam. *c. 1. de Sent. Excom. in 6.*
12. Quæ violant interdictum locale, vel Personale. *c. Episcoporum. de Privil. in 6.*
13. Quæ dant causam Interdicto Locali. *c. si sententia b. t. in 6.*
14. Quæ de manu Laici recipiunt Prælaturam vel Dignitatem Ecclesiasticam. *can. siquis deinceps. caus. 16. q. 7.*
15. Quæ ad Ecclesias Cathedrales promotæ intra unum mensem se non committunt itineri ad faciendam residentiam. *Bull. 190.* Urb. VIII. cum *Trid. s. 23. c. 2. de Ref.*
16. Si Clerici in Sacris constituti jaceant in crimine fornicationis. *can. siqui sunt. d. 81.*
17. Si Prælatus usurpet bona vacantium Beneficiorum. *Extrav. un. cit.*
18. Siquis Ecclesiarum Sæcularium Rector, vel Minister, recipiat onera perpetua Missarum sine licentia Ordinarij. *Bull. 43.* Urb. VIII.
19. Siquis Prælatus edat Commentarios in Concilium Trid. *Bull. Pij IV. Confirmatoria ejusdem Trid.*
20. Siquis Episcopus vel Abbas bona Ecclesiæ alienet non servatâ formâ *Extrav. Ambitiosæ de Reb. Eccl. alien.*
21. Siquis Episcopus, vel inferior Prælatus exigat in Visitatione excessivam procurationem, & contra Jus. *c. excipit. de Censib. in 6. Trid. s. 24. c. 3. de Ref.*
22. Siquis Ordinarius privet Beneficijs commorantes in Urbe, & qui talia beneficia recipit, idem incurrit. *Extrav. 3. de privil.*
23. Siquis Metropolitanus non moneat intra præscriptum tempus Pontificem, quòd sui Suffraganei non resideant, vel antiquior ex suffraganeis, si Metropolitanus non resideat. *Trid. s. 6. c. 1. de Ref.*

Ex præsenti Catalogo videbis, quòd Interdictum subinde statutum sit in eos quoque, in quos Excommunicatio, vel Suspensio, conconsequenter eadem persona diversis Censuris ac pluribus affici possit, & nonnunquam soleat.

§. 2.

De Excommunicatione. Ubi etiam specialiter de Excommunicatione Canonis.

Sciendum 1. Excommunicationem, quæ 23 secundùm etymologiam suam dicit exclusionem à communione, vel communicatione cum alijs, ex *can. 32. & 107. caus. 11. q. 3.* in hunc sensum à Suar. & alijs DD. definiri: *est censura, qua Christianus separatur ab Ecclesiæ corpore*, seu *excluditur à fidelium communione*, h. e. communibus Ecclesiæ bonis, quæ paulò pòst referemus, privatur. Est pœna, quam Ecclesia infligere potest, gravissima, ac virtute in se continet censuras alias Suspensionis & Interdicti, utpote quæ non ita plenè, sed tantùm partialiter privant bonis Ecclesiæ, seu illorum usu. Et hinc, quamvis iste excommunicationis gladius, ùt vocat Tridentinum *s. 25. c. 3. de Ref* nervus Ecclesiasticæ sit disciplinæ, eadem tamen Synodus præcipit, ut sobriè magnâque circumspectione exerceatur; cùm experientia doceat, si temerè aut leviter fulminetur excommunicatio, eam contemni potiùs, quàm formidari. Si verò circumspectè & gravi de causa infligatur, profligatissimæ conscientiæ & desperatæ malitiæ hominem esse oportet, qui hoc fulmine tactus non contremiscat, & vindicem Dei manum sibi imminentem non pertimescat, ut Ecclesiæ reconciliari omnibus expetat votis, & totis allaboret viribus. Sæpe quidem confunditur cum anathemate, præsertim in Concilijs, & quoad substantiam ab eo non differt, cùm *anáthema* Græcè significet Latinè separationem, accidentaliter tamen ambo inter se discrepant; siquidem *anáthema* rigidè acceptum excommunicationi superaddit aliquam solemnitatem ac specialem execrationem; nam, uti habetur *can. 106. caus. 24. q. citt.* Episcopum anathematizantem solemniter circumstare debent 12. Presbyteri, tenentes in manibus ardentes lucernas, quas post latam sententiam in terram projectas pedibus conculcant in signum execrationis: addi præterea solent maledictiones, & execrationes verbales.

Sc. 2. Excommunicationem dividi in Ma-

jorem & Minorem. *Major* totaliter excludit à communicatione fidelium tum Civili tum Ecclesiastica, uti explicabimus, seu omnibus Ecclesiæ bonis communibus privat. *Minor* solùm secundùm quid excludit, & tantùm passivo Sacramentorum usu privat. *c. 59. h. t.* h. e. susceptione Sacramentorum, non administratione. Notandum verò, quòd in Jure prolatâ simpliciter Excommunicationis voce intelligatur non Minor seu mitior, sed Major seu rigidior, nisi aliud exprimatur. per clarum textum in *c. 59. cit.* contra Regulas Juris, quæ aliàs in dubio semper in mitiorem partem volunt interpretationem fieri.

25 Sc. 3. Excomunicatos excommunicatione Majore (nam Minore irretiti nunquam sunt vitandi) esse de facto in duplici classe, Toleratos, & Vitandos. *Tolerati* seu *non-Vitandi* dicuntur, quos cæteri fideles non tenentur vitare, sed cum ipsis licitè, si velint, communicare possunt; quamvis vicissim ipsis excommunicatis non liceat se ingerere communioni fidelium, seu communicare cum reliquis fidelibus, nisi ab his requirantur, vel isti communicare ipsis velint; ne ex suo delicto reportent commodum, quod per tolerantiam Juris non conceditur ipsis, sed tantùm cæteris fidelibus. *Vitandi* seu *non-Tolerati* autem, cum quibus nec reliqui fideles absque justa causa comunicare licitè possunt, sed eos vitare tenentur in ijs, quæ postea referam. Discrimen hoc introductum est primùm in Concilio Constantiensi, à quo, ut refert Ludovic. Bail *in Summa Concil. to. 1. p. 487. litt. E.* & ex hoc P. Schmier *de Delictis p. 1. c. 3. n. 224.* celebris illa Bulla, quæ incipit, *Ad evitanda*, primitus concepta, postmodum verò à Martino V. tanquam Extravagans edita, atque in Concilio Lateranensi sub Leone X. *sess. 11.* confirmata est, & reperitur apud S. Antoninum *in Summa p. 3. tit. 14. c. 3.* ubi ad evitanda scandala, multáque pericula, & ad subveniendum timoratis conscientiis statutum est, ut nemo deinceps teneatur vitare excommunicatos, nisi sint *notorij percussores Clericorum*, vel *nominatim ac publice denuntiati* tanquam excommunicati. Quamvis igitur ante hanc Bullam omnes excommunicati fidelibus fuerint vitandi, hodie tamen solummodo duæ eorum classes vitandæ sunt, nimirum *notorij personæ Ecclesiasticæ percussores*, ita ut factum nulla tergiversatione celari, nullóve Juris suffragio excusari possit, de quibus statim, & *nominatim ac publicè denuntiati*, ut adeò, licèt aliquis re ipsa sit innodatus censurâ excommunicationis, vel aliâ (etiam notoriè ac publicè, ut habet verior & communior ex *cit. Bull. Ad evitanda*) si tamen nominatim & publicè (nam privatim tantùm, v. g. in cubiculo, si fiat, non sufficit) denuntiatus non sit, hoc ipso toleratus sit. Proinde in hac Bulla abrogatum est Jus Antiquius *c. 3. §. Excomunicatos. de Privileg. c. 8. c. 14. & c. h. t.* vi cujus omnes excommunicati erant vitandi, & nullus toleratus. Id tamen diligenter notandum, quòd in dicta Bulla nullus omnino favor & gratia per se ac directè concessa sit excommunicatis, ut expressa illius causula indicat, sed solum alijs fidelibus, ne variis scrupulis, & anxietatibus turbentur, an in casibus particularibus, in quibus communicare cum excommunicatis pronum est, & evitare communicationem difficile, habuerint vel habeant causam sufficientem communicandi. Unde omnes excommunicati, licèt denuntiati ut tales non sint, tenentur abstinere, & se non ingerere communioni cum fidelibus in ijs, in quibus communio de Jure prohibetur, sed tantùm hæc ipsis fit licita indirectè & per accidens, quando alij fideles volunt communicare, vel expetunt. Quare Clericus excommunicatus hodie non minùs, ac olim, si actum Ordinis proprium exerceat, irregularis efficitur, & ministrando Divina, vel aliàs communicando cum fidelibus sine requisitione, peccat non minùs, ac olim. Jam de excommunicatione in percussores notorios Clericorum statum quæ facit excommunicatos non toleratos in specie

Sc. 4. In *can. siquis suadente 29. caus. 17. qu. 4.* condito in Concilio Lateranensi sub Innocentio II *can. 15.* specialem excommunicationem, quæ ob decantatum Canonem *cit.* appellatur *Excommunicatio Canonis*, proditam esse, cujus tenor sic habet: *siquis suadente diabolo hunc sacrilegij reatum incurrerit, quòd in Clericum vel Monachum violentas manus injecerit, anathematis vinculo subjaceat, & nullus Episcoporum illum præsumat absolvere (nisi mortis urgente periculo) donec Apostolico conspectui præsentetur, & ejus mandatum suscipiat.* Quæ verba juxta communem Interpretum sic intellige; dicitur enim 1. *siquis*, quo denotatur, omnes omnino homines baptizatos, usu rationis præditos, nemine excepto, si hoc se crimine obstringunt, excommunicatione innodari, sive mares sive fœminæ, puberes vel impuberes sint. 2. *in Clericum*, quo nomine veniunt omnes aliquo Ordine, etiam Prima Tonsurâ tantùm, initiati. Per *can. 1. d. 21. & c. 11. de ætate & qualit.* licèt sint censurâ irretiti, vel irregulares, vel etiam verbaliter depositi; modò non expressè privati sint *privilegio Canonis* (uti vocatur immunitas ab injuriosa percussione, licut *privilegium Fori*, de quo ad *Tit. de Foro comp.* appellatur immunitas à jurisdictione Laicali) privati autem privilegio Canonis existunt Clerici Minoristæ, si sint bigami conjugati, non gestantes habitum ac tonsuram, nec obtinentes beneficium, aut Ecclesiæ alicui ex mandato vel saltem deputatione Episcopi servientes. Per *c. un. de Cler. coniug. in 6. & Trid. s. 23. c. 6. de ref.* ac alij Minoristæ habitu dimisso arma militaria portantes, aut aliis negotiis sæcularibus se immiscentes, si ter moniti non resipiscant. *c. 25. c. 45. h. t. de vita & honest. in 6.* quamvis Minoristæ, non conjugati, etiam beneficiò destituti, nec habitum gestantes, nec alicui Ecclesiæ deservientes, nec in Universitate vel Seminario, quasi in via ad maiores Ordines, versantes juxta multos, abstrahendo à consuetudine contra-

ria

ria, gaudeant privilegio prædictô. Dein privati quoque existunt in Majoribus constituti, qui dimisso habitu enormitatibus, h. e. latrociniis, assassiniis, seditionibus, tyrannidi, aliisque enormibus scelcribus se immiscent. per *c. 1. de homicid. in 6. c. 14. 23. h. t.* vel qui per annum exercent artem ignominiosam mimi, histrionis, joculatoris, & ter ab Episcopo moniti non desistunt. *c. un. cit.* vel qui dimisso habitu publicè obeunt officium lanionum, macellariorum, cauponum, & ter moniti non cessant, vel aliàs post trinam monitionem dimissum habitum non reassumunt. *Clem. 1. eod.* item qui realiter depositi seu degradati sunt: quibus addunt plurimi Clericos Hæreticos & Schismaticos. 3. *Monachum*, qua voce intelliguntur omnes personæ Religiosæ utriusque sexûs, etiam fratres Laici, imò & in Novitiatu degentes. per *c. 10. 33. h. t. c. 21. eod. in 6.* item qui sunt de tertio Ordine S. Francisci vel S. Dominici, ac *Tertiarij* vel *Tertiariæ* dicuntur, modò habitum Religionis gestent, & aliquo voto edito in communitate vivant: non tamen Eremitæ vagi, vel nullo voto aut alia obligatione adstricti, licèt habitum gestent: aliud probabiliter foret, si per vota alicui Religioni, vel alicui Prælato Ecclesiastico aliqua obligatione adstricti, ac Ecclesiæ deputati essent in aliquo munere. 4. *Violentas manus injecerit*, nimirum vel in ipsam personam Ecclesiasticam, percutiendo, vulnerando, occidendo, etiam per venenum, detinendo, fugientem insequendo, ut præcipitetur in foveam, flumen &c. conspurcando, crines evellendo &c. vel in res personæ adhærentes, v. g. per vim aut gravem injuriam auferendo pileum, pallium &c. vestimenta dilacerando, equum aut currum sistendo, frœnum equi arripiendo &c. verbô, intelligitur omnis actio externa graviter injuriosa, & mortaliter peccaminosa, si non in se & respectu corporis personæ, saltem respectu violati honoris tali personæ debiti. Necesse quoque non est ad incurrendam hanc excommunicationem, ut quis hujusmodi actiones injuriosas exerceat per se ipsum, sed sufficit, si mandet, si suadendo eas obtineat, si efficaciter effectu secuto consentiat, ac faveat percutienti, imò si suo nomine factam aliquo signo externo ratam habeat, vel faciendam non impediat, si ex justitia vel officio impedire teneatur, ut Superior respectu subditi, pater respectu filij &c. & sine gravi incommodo possit. Text. & DD. *in c. 47. h. t. & c. 23. eod. in 6.* Aliud est, si injuria sacris personis illata consistat tantùm in verbis aut minis, vel in conatu & attentatione, quantumvis seria, modò injuria realis non actu sit secuta, quocunque modo impedita fuerit, item si res ad tales personas pertinens, etiam actu inhærens vel conjuncta, clàm auferatur, & sine vi in corpus exercita. v. g. si quis Clerico clepat nummos ex sacculo penes se gestato. 5. *Suadente diabolo*, h. e. accedente pravo animo & intentione graviter lædendi, seu prava affectione interna. Unde nec actio externa, utut violenta & in se graviter injuriosa, absque mala affectione & intentione, nec mala affectio & intentio lædendi graviter injuriosa sufficit, sed utraque debet concurrere. Hinc excusatur, qui percutit Clericum ignorans, eum esse Clericum, qui ex subita passione non plene advertit se Clericũ percutere, vel saltem non plena cum deliberatione percutit, qui moderatè castigat correctionis causâ tanquam Superior, vel ad se suáve defendenda &c. 6. *anathematis vinculo subjaceat*, quo loquendi modo indicatur excommunicatio latæ sententiæ, & ipso facto incursa. 7. *nullus Episcoporum &c.* quibus verbis hæc excommunicatio reservatur absolutioni Sedis Apostolicæ extra articulũ mortis, seu extra probabile vitæ periculũ, in quo posit[27] est, qui violentas manus pravô animô injecit.

Sc. 5. Percussionem Clerici vel Monachi 27
(seu violentam in eum manûs injectionem suadente diabolo factam) dividi in levem, gravem, & atrocem seu enormem. *Levis*, quæ, quamvis mortaliter sit peccaminosa (aliàs enim non incurritur ulla censura, & quæ non ascendit ad peccatum grave, *levissima* appellatur, ut si pueri Clerici se invicem pugnô percutiant) in comparatione tamen aliarum, & spectando circumstantias loci, temporis, modi, & qualitates tam percutientis quàm patientis, censetur modica, & Statui Ecclesiastico non magnum afferens opprobrium, nec magnum fidelibus scandalum, ut quæ fit pugnô, palmâ, pede, lignô &c. non faciente vulnus: *Gravis*, seu *Mediocris*, quæ vel ex circumstantiis modi, temporis, loci, personarum, vel ex se censetur in magnum Statûs Ecclesiastici opprobrium & contemptum cedere, vel graviter affligit corpus personæ Ecclesiasticæ, ut si colaphum impingas Clerico in publica platea, si percutias in ore, oculo, vultu graviter, si excutias dentem, vellas capillos in magna copia, percutias fuste sugillationem carnis relinquente &c. *Enormis* seu *Atrox*, quæ fit vel cum valde magna læsione corporis, v. g. mutilatione membri, evulsione barbæ, elisione dentium, vulneratione cum ingenti sanguinis effusione, vel quæ valde excedit in modo, ut si Clericum atrociter calces pedibus, vel quæ fit in personam valde excellentem, v. g. Episcopum Abbatem, Superiorem. Judicem, Patronum, vel alium Clericum in Dignitate constitutum, vel inferiorem quidem, sed jam sacris vestibus indutum ad peragenda Divina, vel ad ipsum Altare &c. Porro quæ in particularibus casibus sit percussio Levis, vel Gravis, vel Atrox, judicio & arbitrio Episcopi, circumstantias diligenter considerantis, relinquitur, ita tamen, ut in dubio potiùs judicet, percussionem fuisse gravem quàm levem, ne præbeat occasionem lædendi Statum Ecclesiasticum, ut notat Engel *h. t. n. 147.* cum Navar. & Molina, referentibus aliquam *Extrav.* Pro foro autem interno arbitrari spectat ad Confessarium, potestate absolvendi præditum.

Dico 1. Excommunicatio Major, si qui 28
dem

dem ab ipso Jure jam est lata, incurritur ab ijs, qui committunt delictum tale, cui est annexa, ut clarum est: si verò sit ferenda ab homine, infligi potest ab eo, & ijs, ob easdem causas, ac eodem modo debet, à quo, & quibus, ob quas causas, & quo modo infligi censuram posse ac debere diximus. *n. 4. seqq.* Súntque eædem causæ excusantes, utì ignorantia ac metus &c. quæ excusant à censura in genere, ut explicavi *n. 10.* ubi pariter colliges, penes quem sit potestas absolvendi, & quis sit modus absolvendi, nimirum *n. 13. 14.* Excipiendum tamen, & diligenter notandum est, quòd excommunicatione ligari nequeat integra quædam communitas, sed tantùm personæ singulares, specialiter culpabiles, licèt sint de communitate. *c. 5. v. in Universitatem. h. t. in 6.* quin in communitate aliqui plerumque sunt innocentes, vel minùs quàm alij, nocentes, qui utique pœnam æqualem sustinere non debent. *can. 7. d. 56. can. 1. caus. 24. q. 3.* nisi nimirum constaret, omnes & singulas alicujus communitatis vel collegij personas esse reas, & contumaces. Pirhing *h. t. n. 27. ex c. 5. §. fin. h. t. in 6.*

39 Dico 2. Excommunicatio Major, si quidem excommunicatus sit non toleratus, privat communione cum fidelibus, & in specie his bonis. 1. *usu tam activo, quàm passivo, Sacramentorum* (scilicet extra articulum mortis) ita ut Sacramenta nec administrare nec suscipere possit licitè. *c. 32. h. t. & t. t. de Cleric. excom. ministr.* quamvis illa sint valida, exceptô Sacramentô Pœnitentiæ, quod requirit ad sui valorem jurisdictionem in ministrante, in suscipiente verò debitam dispositionem, qua utrâque caret talis excommunicatus; cum ab Ecclesia prohibeatur Sacramenta etiam suscipere tantùm. Si suscipiat Sacramentum Ordinis, perpetuò suspenditur; si in eo ministret, fit irregularis, ut alibi dictum. Suar. & alij putant, etiam privari facultate concionandi, & interpretandi Jus Canonicum, vel Theologiam. 2. *communibus Ecclesiæ suffragiis*, quoad Sacrificia nempe, Indulgentias, participationem bonorum operum, & quoad publicas preces, ita ut has & illa non liceat pro excommunicatis offere. *c. 28. 38. h. t.* quamdiu non fuerint absoluti, licèt signa pœnitentiæ dederint: privatim tamen pro illis orare, pia opera offere, in Sacrificio Missæ sub *Memento*, ubi Sacerdos agit non ut publicus Ecclesiæ Minister, sed ut persona privata, eorum recordari apud Deum non est prohibitum; quia, quæ à privatis propria voluntate applicantur, non sunt in dispositione Ecclesiæ. 3. *Divinis officijs*, ita ut excommunicatus nequeat celebrare Missam, vel ei, aut Horis Canonicis, publicè recitari solitis, Processioni vel Benedictioni publicæ, interesse. per *c. 18. 38. h. t. c. 24. eod. in 6.* licitè tamen interest concionibus, & privatim adit templum, ibique orat, Horas autem Canonicas, si sit in Majoribus constitutus, vel Beneficium habeat, privatim recitare non tantùm potest, sed etiam tenetur, omissô tamen *Dominus Vobiscum*, & substitutô *Domine exaudi &c.* Neque peccat non audiendo Missam, si negligens sit in procuranda Absolutione; quamvis peccet contra præceptum Confessionis & Communionis annuæ, si petere & impetrare possit dictâ absolutionem, ut DD. advertunt. 4. *Sepulturâ Ecclesiasticâ. c. 12. & Clem. 1. de Sepulturis. c. 38. cit.* ac sepelientes, nisi prius, si cum signis pœnitentiæ decesserint, fuerint absoluti, incurrunt & ipsi excommunicationem. *c. 12. & Clem. citt.* Procedunt hæc de sepultura probabiliùs etiam de excommunicato non tolerato notorio; quia Ecclesia per tolerationem non vult ullum favorem ipsi excommunicatis præstare; nam *Extrav. Ambitanda* habet hanc clausulam: *Per hoc tamen -- non intendit in aliquo relevare, nec eis quomodolibet suffragari. 5. Jurisdictione Ecclesiastica*, tam voluntariâ quàm contentiosâ. *c. 1. de off. Vicar. in 6. c. 10. de Offic. Jud. Deleg. in 6.* proindè actus jurisdictionis ab eo exerciti non illiciti tantùm, sed & invalidi sunt. 6. *capacitate ad Beneficia & Officia Ecclesiastica* deinceps obtinenda, aut ad Rescripta Justitiæ vel Gratiæ impetranda. *c. 7. de Cleric. excom. Minist.* Et hinc in literis Pontificiis pro majori securitate *ad efficium præsentium consequendum* solet præmitti absolutio. Dixi, *deinceps obtinenda*; nam acquisitis non privat. *arg. c. 53. §. verum de Appellat.* ut nec probabiliùs fructibus beneficialibus ante sententiam. per. *c. cit.* & propter defectum Juris privantis ipso facto, neque habilitat ad munera sæcularia. 7. *administratione officij & beneficij* jam priùs habiti, ita ut eligere ad Prælaturam, conferre vel præsentare ad beneficium, & alios actus legitimos validè exercere non possit, ut ex *c. 8. de consuet. c. un. de Sede vac. in 6. c. 5. de concess. Præb.* desumunt. 8. *commercio civili, & externo* fidelium convictu quoad mensam, conversationem, societatem, amicitiam, negotiorum tractationem, & contractus. *can. 16. seqq. caus. 11. q. 3. c. 29. h. t.* licèt contractus ab ipso initi valeant. *arg. c. 34. eod.* & Testamentum etiam licitè fiat; quia illi tantùm prohibentur excommunicato sine clausula irritante, istud verò nec reperitur specialiter prohibitum. 9. *communione fori Judicalis.* per Jura *citt.* unde nec Testem, nec Procuratorem vel Advocatum, nec Notarium aut Tabellionem agit validè, minùs Actoris vel Judicis personam: & repelli per exceptionem, vel recusari debet: licèt possit tanquam Reus trahi ad Judicium in Civilibus & Criminalibus, ipséque se, saltem per Procuratorem, defendere atque exceptiones opponere. Si verò excommunicatus esset toleratus, nec excipereiur contra ipsum, validè staret in Judicio, imò, si requireretur ad hoc, etiam licitè, quamvis ipse se non posset ingerere licitè. His adjunge *effectum remotum* excommunicationis, nempe quòd per annum in ea, ab homine specialiter lata, perseverans fiat suspectus de hæresi, & si purgare se jussus, & citatus non pareat, condemnari de beat ut hæreticus. Trid. *s. 25. c. 3. de ref. c. 7. de hæret. in 6.*

Qui-

30 Quæres, an dictis bonis priventur quoque excommunicati tolerati? R. per se & directè privantur: quia per Bullam, *Ad evitanda*, nullus favor excommunicatis est præstitus; per accidens tamen & indirectè non privantur, sed gaudent communione, nimirum si, & quando fideles cum ipsis sponte volunt communicare, vel actum ipsis aliàs prohibitum requirunt; quia fidelibus in *d. Bulla* id conceditur. Unde si fideles ab ipsis exigunt administrationem Sacramentorum, Missam, concionem (quod licitè saltem ex justa causa faciunt) vel sponte volunt cum ipsis loqui, comedere, habitare, familiariter agere, contractus celebrare &c. (quamvis non teneantur uti privilegio suo) & illi vicissim licitè communicant cum fidelibus; modò per Contritionem, si communicatio petatur in administratione Sacramentorum vel Sacrificio Missæ, procurent in se statum gratiæ, parati ad petendam Absolutionem. Iidem licitè agunt Testes, Notarios, Advocatos &c. in Judicio, imò & Judices, ita ut sententia valeat & acta, si à fidelibus requirantur: quamvis ad hujusmodi licitè se non ingerant: si autem se ingerant in istis Judicialibus, peccant quidem, sed acta (etiam Judicis) valent, si non repellantur per exceptionem à Parte adversa, vel removeantur à Judice ex officio; ad quam exceptionem vel remotionem non tenentur fideles; licèt teneantur ad illam, si sint excommunicati non-tolerati; cùm teneantur eos vitare, & non communicare, seu quasdam actiones non excercere cum ipsis. Unde

31 Dico 3. Prohibitum vicissim est fidelibus sub peccato communicare formaliter cum excommunicatis non toleratis. 1. in Sacris & Divinis. 2. in Civilibus & Politicis. 3. in Forensibus negotiis & actionibus, nisi justa causa excuset. Communis ex *can. 17. seqq. caus. 11. q. 3. c. penult. h. t. c. 2. de Except. c. 5. de Clerico excom.* &c. ubi generatim omnis communicatio prohibetur cum excommunicatis. Per *Sacra & Divina* intelliguntur Sacramenta, Sacrificia Missæ, Officia Divina, supplicationes & preces publicæ, actiones Ecclesiasticæ, uti eligere, conferre beneficia, sepelire mortuum &c. per *Civilia & politica* autem omne commercium & societas humana, nempe familiaris conversatio per verba, salutationem, negotia, contractus, convivia &c. per *Forensia* denique, quæ spectant ad actus Judiciales, & officia Judicis, Notarij, Testis &c. Quæ omnia per tritum hunc versum, *Os, orare, vale, communio, mensa negatur*, exprimi consueverunt; nam per tò *orare* prohibita censetur communio & participatio *in Divinis*: per *os* autem & *vale* quodlibet benevolentiæ signum, sive exhibeatur per verba, ut est colloquium familiare, honorifica salutatio (resalutare autem excommunicatum, vel ei aperire caput &c. non videntur prohibita, cùm tendant non ad honorandum excommunicatum, sed quasi ex necessitate fiant, ne inhonoretur) sive per facta, uti amplexus, osculum, & exhibitio honoris per gestum corporis: per tò *mensa* verò, & *communio* omnis communicatio in habitatione, convictu, in itinere, in mensa & convivijs, balneo, negotiis & contractibus; item in Judicio forensi; & sic per verba *os, vale, mensa, communio* vetatur communicatio in *Civilibus & Politicis*, atque in *Forensibus*. Dixi ulteriùs 1. *sub peccato*, quod quidem semper est grave, si communicatio publicè fiat *in Divinis & Sacris*, aut in *crimine criminoso. c. 18. 29. 54. h. t. c. 3. eod. in 6.* h. e. in crimine illo, propter quod alter excommunicationem incurrit, siquis nempe consiliô, auxiliô, vel favore faciat, ne alter ab isto delicto resipiscat; aut si communicetur cum illo, qui specialiter est excommunicatus à Summo Pontifice. *c. 18. cit.* aut cum illo, cum quo communicatio specialiter est prohibita sub pœna exmmunicationis Majoris: communicare autem in *Politicis & Forensibus* in aliis casibus per se non est nisi peccatum veniale, nisi communicatio esset valde familiaris diuturna ac frequens, aut facta cum scandalo, & præbens occasionem excommunicato perseverandi in contumacia. Dixi 2. *formaliter*; nam si casualis est societas, v. g. si casu contingit te convenire cum excommunicato in eadem domo, mensa, lecto, balneo &c. vel si est inevitabilis, nullam contrahis culpam. Dixi 3. cum *excommucatis non toleratis*; cum toleratis enim seu non-vitandis sine scrupulo communicare licet: an etiam in Divinis & Sacris, postea dicam. Dixi 4. *nisi justa causa excuset* Unde

32 Dico 4. Communicare cum excommunicatis, etiam vitandis seu non toleratis, licitum est ob sequentes causas. 1. ob *utilitatem*, non quidem qualemcunque & modicam (aliàs enim hujus prætextu tota prohibitio de non communicando facilè eluderetur tota) sed ob magnam, & ferè cum aliqua necessitate conjunctam, uti si fiat cum spe convertendi excommunicatum (vel alium) dando consilia salutaria, adhortando &c. *arg. c. 43. eod.* si detur ipsi eleemosyna, vel ab eo recipiatur, debiti solutio ab ipso petatur, vel eidem fiat &c. 2. *ob vinculum Matrimoniale*, vi cujus ad mutuam communionem, nempe quoad mensam, gubernationem familiæ, domestica obsequia, & maximè thorum in reddendo debito conjugali obligantur conjuges, quibus proinde ista sunt licita. *can. 103. caus. 11. q. 3. c. 31. h. t.* & probabiliùs etiam petitio debiti conjugalis respectu excommunicati; quia id nullibi specialiter reperitur prohibitum. 3. ob *subjectionem*, qualem habent liberi (quorum nomine in hac concessione favorabili veniunt naturales etiam & adoptivi, nepotes & pronepotes, item gener, nurus, privigni) ad parentes, pupilli & minores ad tutorem & curatorem, servi, famuli, domestici, ad dominum & herum, familia ad patremfamilias, milites ad duces, Religiosi ad suos Prælatos, uti desumitur ex *can. cit. & c. 34. h. t.* Nec refert, sive excommunicatio se teneat ex hac vel illa parte, Superioris vel subditi &c. 4. ob *ignorantiam* etiam vin-

vincibilem, tam *Juris*, qua nescitur, excommunicatos esse vitandos, quàm *Facti*, qua certò non scitur, hunc vel illum esse excommunicatum non-toleratum. per *can. cit.* modò ignorantia non sit affectata. P. Wiestner *h.t. n.67.* cum alijs. *5.* ob *necessitatem* seu animæ seu corporis. *c. 31. 34. citt.* sive illa se teneat ex parte excommunicati vel aliorum, sive ex parte communicantis: sic potes excommunicatum ægrum sanare, peregrinum hospitiô excipere &c. & vicissim ab eo sanari, excipi &c. saltem si alius id æquè bene nequeat præstare; imò in necessitate potes ab ipso etiam petere administrationem Sacramenti Pœnitentiæ &c. licèt ipse excommunicatus, ut licitè ministret, debeat sibi procurare statum gratiæ per contritionem, & voluntatem petendi ac impetrandi absolutionem à censura. Atque hæ causæ exprimi solent à Glossa *in c. 15. h. t.* & alijs communiter per hunc versiculum: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse: per Legem* enim intelligitur vinculum & lex Matrimonalis: per *humile* autem subjectio: cætera patent.

33 Quæres, an fideles cum excommunicatis toleratis absque dictis causis liberè & licitè possint communicare? 2. quid ijs faciendum, si excommunicatus non-toleratus fortè se immisceat in loco, ubi celebratur Missa? R. ad 1. quamvis in Civilibus, Politicis, & Forensibus videatur licita communicatio absque omni causa, & liberè permissa voluntati fidelium; in Divinis tamen probabiliùs solùm tunc, quando adest gravis causa, & aliqua necessitas, ita ut non suppetat alius minister Ecclesiasticus, qui æqnè utiliter ac faciliter Sacra ministret; & hinc juxta veriorem ac tutiorem sententiam Suarezij *de Censuris d. 11. sect. 4. n. 11.* non licet ipsis ab excomunicato tolerato petere Missam, vel aliquod Sacramentum sibi ministrari, ubi est copia alterius Sacerdotis, dissentiente Sanchez *l. 7. de Matrim. d. 9. n. 8.* quia sine indecentia, scandalo, & contemptu censurarum vix eveniet, ut ab Ecclesiæ gremio separatus, ad cujuslibet requisitionem sine omni necessitate, Sacramenta & Divina ministet. Interim tamen non prohibentur fideles pro excommunicatis toleratis preces publicas fundere, imò & ipsum Sacrificium offere, ut cum Henriq. Palao, & aliis non improbabiliter docet P. Wiestner *h. t. n. 34.* contra Sot. Suar. Avilam, ut nempe reducantur excommunicati Catholici per has preces & Sacrificia. R. ad 2. Tam Sacerdos, quàm alij præsentes, deberent se opponere, ac proinde monere, ut discederet: si nollet, etiam expellere: si hac via nihil possent efficere, fideles discedere, imò & Sacerdos, si nondum consecrâsset, vel, ut aliqui volunt, nondum inchoâsset *Canonem* Missæ, deberet: si autem huc jam pervenisset, vel saltem si jam consecrâsset, pergere quidem deberet usque ad Sumptionem, tum verò omissis cœteris statim ab Altari recedere. DD. *passim ex Clem. 2. v. nonnulli h. t.* Sacerdos autem, qui scienter præsente excommunicato non-tolerato celebrat Missam, præter peccatum grave & excommunicationem Minorem, quam contrahit, interdicitur ab ingressu Ecclesiæ. *c. 8. de privil. in 6.*

Dico *5.* Excommunicatio Minor hodie contrahitur ob unicam causam, scilicet propter illicitam communicationem cum excommunicatis non-toleratis, sive communicatio contingat in Divinis, quæ est peccatum mortale, sive in Politicis, Civilibus, & Forensibus, quæ est ordinariè tantùm peccatum veniale. Text. & DD. in *c. 2. de except. c. 15. 29. 55. h.t.* & *c. fin. de Cler. excom. ministr.* Engel *h. t. n. 71. Hodie*, inquam; de Jure enim antiquiori ex pluribus causis dicta nescitur. *can. ult. caus. 3. q. 4.* & varia ex variis causis, etiam per sententiam judicis irrogata, atque vario cum effectu, dum alia privabat sola communione hominum, alia solâ perceptione Sacramentorum omnium, alia solius Eucharistiæ. *tot. caus. 11. q. 3.* & *can. cit.* Oppones. Juxta *c. 18. 29. 55. h. t. item can. 17. caus. 11. q. 3. c. 30. eod.* & *c. 3. 9. eod. in 6.* contrahitur excommunicatio Major, &, ut loquitur. *can. cit. similis excommunicatio*, ab eo, qui communicat cum excommunicato Majore excommunicatione, & non tolerato: ergo. R. *dist. ant.* in casibus specialibus. *C. Ant.* generaliter & per se. *N. Ant.* & *Conf.* In *c. 18. cit.* est sermo de communicante Clerico in Divinis scienter cum excommunicato à Papa. In *c. 29. 55.* allegatis de communicante in crimine criminoso. Et in d. *can. 17. c. 3. 9.* & *30.* de communicatione nimis frequenti, nociva, & suspecta, in quam per specialem sententiam fuitlata & statuta excommunicatio Major. In his casibus admitto incurri excommunicationem Majorem, in ultimo tamen non nisi post prævias monitiones singulares, quarum una saltem ad valorem, & ternæ ad justitiam requiruntur. Barbos. & Wagnereck in Exegesi ad *c. 5. h. t. in 6.*

Dico 6. Excommunicationis Minoris hodie unicus est effectus directus, nempe usus Sacramentorum passivi, seu perceptionis Sacramentorum, privatio. 2. atque ab ea absolvere potest quilibet legitimus Confessarius pro foro interno, pro externo autem Judex Ecclesiasticus, tam Delegatus, quàm Ordinarius. Communis. Prior pars sumitur ex *c. 2. c. fin. citt. c. 59. h. t.* Unde graviter quidem peccat, qui Minori excommunicatione irretitus ante absolutionem suscipit aliquod Sacramentum, quia violat præceptum Ecclesiæ in re gravi, licèt valeat Sacramentum (etiam Pœnitentiæ, si hanc prohibitionem nescivit, vel, si scivit, absolutionem tamen priùs petivit, & ob malitiam vel ignorantiam Confessarij non obtinuit) non tamen graviter peccat, imò probabiliùs, ut docent multi apud Palao & P. Schmier *de Delictis p. 1. c. 3. n. 211.* nec venialiter, si Sacramentum administret, propter *text. c. fin. cit.* ibi: *cùm non videatur à collatione, sed participatione Sacramentorum, remotus.* Nec obstat, quòd

quòd in *d. c.* præmittantur ista verba : *peccat aut conferendo Ecclesiastica Sacramenta*; quia hoc intelligendum est de eo, qui in statu peccati gravis confert aliis Sacramenta, sicut priùs in eodem *c.* dicebatur graviter peccare, qui in excommunicatione Minore celebrat Missam, & Sacramentum Evchariſtiæ recipit in tali statu peccati. Si hoc non placeat, dic cum P. La Croix & P. Schmalzgrueber *h. t. n. 200.* conferentem peccare quidem propter allegata verba, *peccat autem*, at tantùm venialiter; quia textus omittit verbum *graviter*, quod priùs posuit apud celebrantem Missæ Sacrificium. Dixi, *effectus directus*; quippe & *indirectum* habet, seu facit, ut excommunicatus hac excommunicatione illicitè patiatur se eligi (præsentari, aut per collationem promoveri) ad Beneficium Ecclesiasticum. *c. fin. cit.* quia Beneficium ex intentione Ecclesiæ requirit susceptionem Ordinum, & ordinatur plerumque ad Sacrificium Missæ, quæ taliter excommunicato non licent: quamvis fortè non peccent eligentes, præsentantes &c. Nec electio, præsentatio &c. est ipso Jure irrita, sed tantùm *irritanda*; quia hunc terminum adhibet *d. c. fin.* Posterior pars colligitur ex *c. 29. h. t.* Oppones: in *d. c.* fit mentio *proprij sacerdotis*: sed, qui habet jurisdictionem delegatam tantùm, non est proprius sacerdos: ergo. R. *N. Min.* ratio negandi sumitur ex *c. 12. de Pœnit. & Remiss.*

36 Dico 7. Excommunicationem Canonis quamvis omnis rationis capax, qui in Clericum vel Monachum violentas manus juxta datam *n. 26. 27.* explicationem injicit ex prava intentione, incurrat. 2. non obstante, quòd fortè Clericus vel Monachus in percussionem consentiat. 3. ab ea tamen excusatur omnis, qui sine peccato, saltem mortali, percutit. 4. & si Clericus vel Monachus sibi ipsi vim inferat occîdendo, vulnerando &c. vel, ut ab alijs fiat, mandet aut exigat. Pars 1. clarè decisa est in *can. siquis suadente 29. caus. 17. q. 4.* Pars 2. sumitur indè, quia efficaciter & validè non possunt renuntiare privilegio, non tam in favorem suæ personæ, quàm totius Statûs Ecclesiastici, introducto. *c. 12. de foro comp.* Pars 3. patet ex dictis *h. t. n. 8.* quia pœna requirit culpam, & pœna gravis, qualis est excommunicatio, culpam gravem. Unde excusantur 1. Clerici seniores, vel Magistri, qui Clericos juniores, vel discipulos, etiam in Sacris constitutos, percutiunt moderatè correctionis causâ. *c. 10. 24. 54. h. t.* 2. Pater, vel alij consanguinei, qui filium, vel consanguineum Clericum in Minoribus constitutum, sibi subjectum, ex eadem causa correctionis verberant intra limites. *c. 54. cit.* probabiliùs tamen non, si filius, vel consanguineus, jam sit in Majoribus Ordinibus, ut cum Felino & Molina docent multi cum S. Antonin. Sylv. Suar. quia id in nullo Jure permittitur, adeóque procedit *can. siquis suadente cit.* dispositio. 3. Qui ad defensionem sui, rerum suarum, & cujusvis innocentis, tenent, percutiunt &c. Clericum cum moderamine inculpatæ tutelæ; cùm omnia Jura permittant vim vi repellere. Ex eadem causa mulier Clericum suæ pudicitiæ facto aliquo insidiantem verberibus vel fuste, si aliter nequeat, repellens excusatur, uti & deprehendens Clericum cum uxore, matre, filia, sorore sua turpiter agentem, eúmque in continenti percutiens, vel occîdens; quamvis enim occidendo graviter peccet, tamen juxta *c. 3. h. t.* ab excommunicatione immunis est. Pariter excusatur Judex Sæcularis ex tacito Ecclesiastici consensu capiens Clericum in flagranti delicto deprehensum, ut eum sistat suo Judici Ecclesiastico: item creditor Clericum debitorem de fuga suspectum detinens: vel alius rem alienam auferenti Clerico extorquens è manibus &c. quia hæc fiunt justæ defensionis causâ. 4. Pueri Clerici inter ludendum, vel etiam in rixa, se mutuò percutientes, etiam ad sanguinis è naribus, unde facilè fluit, effusionem; quia graviter non videntur peccare. Pars 4. quoad casum, quo mandat vel exigit sibi violentas inferri manus, videtur decisa in *c. 36. h. t.* ubi Clericus dicitur excommunicandus tantùm, non excommunicatus, *si sponte se subjecerit*, seu consenserit in sui percussionem, atque in hoc facilè conveniunt DD. at in casu, quo sibi ipsi vim facit, gravissimi DD. uti Abb. Molin. Sayr. Pirhing. &c. putant esse excommunicatum, sed Barbos. in *c. cit. n. 7.* Palao, aliíque nobiscum sentiunt; quia in *can. si quis suadente cit.* planè videtur exigi distinctio personarum inter injicientem manus violentas, & eum, cui infertur violentia, ac insuper hæc materia est pœnalis, adeóque strictæ interpretationis. Nec obstat, quòd quis suicidiô non minùs committat homicidium, quàm si alius violentè interimat. *can. 9. caus. 23. q. 5.* licèt enim hoc verum sit, eidem tamen pœnæ non subjacet; quia id in Jure non est satis expressum.

Oppones. Siquis Clericus agat personam 37
Christi in die Parasceves, & aliquis ex Judæis, odiô occultô erga ipsum flagrans, & personatum Christum probè cognoscens, acriter percutiat, caputque ipsius ac tergus validis verberibus sat crudeliter dédolet, iste non incurrit excommunicationem Canonis: sed hujus rei ratio non est alia, quàm quòd ille assumendo personam Christi consenserit in sui percussionem: ergo percutiens Clericum consentientem excusatur. R. *trans. Ma.* de cujus veritate fors non immeritò dubitatur. *N. Min.* ratio enim, cur talis judæus personatus non incurrat excommunicationem, licèt percutiat suadente diabolo in facta hypothesi, non est consensus Clerici in percussionem (imò neque consensit in excessivam & ex odio procedentem) sed hæc, quòd ista percussio in his circumstantijs non censeatur *exteriùs* esse graviter injuriosa Clerico, nec in his circumstantijs posita *de se* graviter peccaminosa.

Dico 8. Absolvere ab excommunicatione 38
Canonis quamquam de Jure Communi extra articulum mortis nemo possit. 2. ex privilegio tamen, vel speciali concessione, id permis-

sum est Legatis à latere quoad omnes ad se recurrentes à quacunque percussione, & pro utroque foro. 3. Legatis Missis, seu Nuntijs Apostolicis, sed cum restrictione ad subditos suæ provinciæ, ad quam missi sunt, & quamdiu morantur in Provincia. 4. Episcopis à quacunque percussione occulta, & ad forum contentiosum non deducta, pro foro interno: item in percussione levi, etiam notoria, pro utroque: imò & in gravi quoad Clericos alium Clericum suæ communitatis vel Collegij, in quo convivunt, percutientes: atque etiam si percussio fuit enormis, facta tamen ab impubere: vel enormis quidem, & notoria, aut ad forum contentiosum deducta, at facta ab illis, qui laborant impedimentô adeundi Pontificem, vel ejus Legatum. 5. Prælatis Regularibus & localibus quoad suos Religiosos, si percussio sit levis, vel gravis: si verò enormis, quando etiam pro hoc casu obtinent privilegium, uti plerique obtinent. 6. Et quoad suos Religiosos, alterius Ordinis vel Monasterij seu domûs Religiosum percutientes, sed cum limitatione. 7. Item Religiosi, Mendicantes saltem, quoad sæculares quoscunque pro foro interno, etsi percussio fuerit enormis. Ut adeò ferè nunquam hodie opus sit recurrere ad Sedem Apostolicam, excepto casu, quo quis absolvitur ab Episcopo à percussione gravi vel enormi occulta, quæ postea fit notoria, vel deducitur ad forum contentiosum, vel ab alio, qui potestate & privilegio absolutè absolvendi destitutus est; tunc enim absoluti cessante impedimento (si illud fuit temporale, non perpetuum) debent recurrere ad Sedem Apostolicam, & prior quidem, ut de novo absolvatur, posterior autem, ut mandatum de satisfaciendo Ecclesiæ & parti læsæ suscipiat, sub qua conditione, & cautione juratoria se sistendi fuit absolutus. *c. 13. c. 58. h. t.* Notandum insuper est, quòd impeditus per se ipsum adire Pontificem, vel ejus Legatum, pro impetranda Absolutione, non teneatur mittere alium loco sui, vel per litteras indè petere Absolutionem: quia Jura exigunt, ut ipse vadat, si possit. Sayrus *in Thesaur. c. 28. n. 38.* cum Navarro.

Pars 1. probatur, imò clarè liquet ex *can. siquis suadente* sæpius *cit.* Pars 2. sumitur ex *c. 9.* & ibi gl. *de Offic. Legati.* Pars 3. ex *c. 4. eod.* & *c. 9. citt.* Pars 4. quoad percussionem occultam &c. ex Trid. *s. 24. c. 6. de Ref.* quoad percussionem levem ex *c. 17. h. t.* quoad gravem apud Clericos in eodem Collegio degentes, &, quod facilè contingit, se verberantes, ex *c. 9. de Vita & honest.* quoad gravem & enormem, ab impubere tamen factam, ex *c. 1. c. 58. c. fin. h. t.* etsi is primùm post adeptam pubertatem petat absolutionem. *c. fin. cit.* quia beneficium à Jure semel concessum non extinguunt anni pubertatis supervenientes, ut tenet communis: quoad laborantes impedimentô, quale habent mulieres omnes. *c. 6. c. 13. eod.* ac speciatim Moniales se invicem verberantes. *c. 33. eod.* item viri, quibus accessus ad Pontificem vel moraliter impossibilis, vel saltem valde difficilis accidit in perpetuum aut ad tempus, vel sine præjudicio alieno fieri nequit, uti sunt senes, morbidi, claudi, cæci, debiles, tertiana febri laborantes (saltem ad tempus) Nobiles & delicati, pauperes, qui iter mendicando perficere deberent aliàs mendicare non soliti, si hostis obsideat vias: Religiosi, parochi, mariti, gubernatores urbis, filiifamilias, qui non sunt sui juris, janitores, servi, & publico officio illigati ac idoneum vicarium non habentes &c. ex *c. 3. 6. 13. c. 58. eod.* Impediti ab itinere Romano, & sic ab Episcopo absolvibiles, comprehendi solent his versibus. *Regula, Mos, Sexus, Hostis, Puer, Officialis, Deliciosus, Inops, Ægerque, Senexque, Sodalis, Janitor, Astrictus, Dubius, Causæ levis ritus, Debilis, absolvi sine Summa Sede merentur.* Qui tamen laborant impedimentô non perpetuô, sed temporali, & ab Episcopo absolvuntur ratione impedimenti (nisi sint impuberes) non debent absolvi nisi sub promissione jurata, quòd cessante impedimento ad Pontificem, vel ejus Legatum accedere velint. *cc. citt.* Sicut nullus alius, nisi priùs præstiterit satisfactionem parti læsæ, vel de satisfaciendo idoneam cautionem. Pars 6. sumitur ex *c. 2. & 50. eod.* Privilegium quoad percussionem enormem habent Mendicantes & nostra Societas, ut patet ex *Compend Privil.* ejusdem *V. Absolutio.* Pars 6. ex *c. 32. eod.* ubi ponitur hæc limitatio, ut absolutio fiat præsente & consentiente percussi Superiore, minimum per se vel per vicarium: si verò Religiosus non exemptus percuteret Clericum Sæcularem, petenda foret absolutio ab Episcopo, nisi percussio esset gravis vel enormis. *c. 21. eod. in 6.* cum *c. 32. cit.* si autem percussor Religiosus foret exemptus, absolutio quidem peti posset ab Episcopo, ab hoc tamen danda non esset, nisi cum consensu Prælati Regularis. *c. 32. cit.* Pars 7. ex *d. Compend. privil.* quia percussio occulta, etiam enormis, non est inter casus Bullæ Cœnæ, qui soli excipiuntur ab absolutione casuum Pontificiorum Mendicantibus concessa, saltem extra Italiam, uti dictum. *n. 14. Tit. XXXVIII. de Pœnitent.*

§. 3.
De Suspensione.

Sciendum 1. Suspensionem propriè acceptam ex communi in hunc sensum definiri: est *censura Ecclesiastica, privans Clericum vel Ministrum Ecclesiæ usu Officij, vel Beneficij Ecclesiastici, vel utriusque simul, quâ talis.* Dicitur 1. *propriè acceptam*; si enim teratur in pœnam, & vindictam delicti merè præteriti, vel ex mente ferentis ad certum tempus, v. g. ad biennium, vel etiam sine ullâ spe remissionis ac in perpetuum, censura Ecclesiastica non est; quia non pœna Medicinalis, nec ordinata in bonum & emendationem delinquentis, ut is ponat contumaciam, quod intendere debet omnis censura, sed in vindictam tendit, & ideo Suspensio Pœnalis, non Me-

Medicinalis, appellari solet, adeóque erit vel Irregularitas, vel Depositio, vel Privatio Officij aut Beneficii, vel alia pœna vindicativa. 2. *Censura Ecclesiastica*, in qua ratione generica convenit cum Excommunicatione & Interdicto. 3. *Clericum, vel Ministrum Ecclesiæ*: quapropter Laicus, utpote officij & beneficij Ecclesiastici incapax, suspendi nequit, sed solus Clericus, qui habet Ordines, vel Officium, vel Beneficium, à quorum exercitio impeditur per Suspensionem. Quando proin Abbatissæ vel Priorissæ dicuntur à suo officio suspendi, propriè suspensio non est, vel censura, cujus temeraria violatio inducat irregularitatem, c. 1. *b. t. in 6. & c. 9. de Cler. excom. ministr.* statutam. 4. *privans usu*, h. e. impediens à ministerio vel functione Ecclesiastica, ita ut actus Ordinis, & Beneficij sint illiciti, licèt valeant: nisi sint actus jurisdictionis & officij, à quibus aliquis est suspensus, & ut talis denuntiatus, seu non toleratus. Neque Suspensio privat ipso Ordine, Officio, vel Beneficio, aut titulo, sicut Depositio & Degradatio. 5. *quà talis*, seu formaliter & directè, quatenus ille usus est functio quædam & exercitium potestatis, ab Ordine, Officio, vel Beneficio Ecclesiastico provenientis. 6. *Officij*, quo nomine venit potestas Ordinis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ, vel potiùs actus & usus. 7. *Beneficij*, per quod intelligitur jus exercendi functiones beneficij, & percipiendi fructus, vel potiùs administratio beneficij, & fructuum beneficialium perceptio. Ex quibus patet differentia *Suspensionis* à reliquis censuris, Excommunicatione, & Interdicto: ab *Excommunicatione* quidem, tum quia hæc privat quidem etiam usu Officij & Benefici Ecclesiastici, at non tantùm, sed etiam alijs bonis fidelium communibus, & Ecclesiæ suffragijs, nec sub illa ratione & formalitate, sub qua Suspensio, nimirum quatenus ille usus est communicatio cum reliquis fidelibus, non verò formaliter, directè, & quatenus est functio quædam vel exercitium potestatis Ecclesiasticæ, sub qua ratione privat Suspensio, tum quia non Clericos tantùm, uti Suspensio, sed etiam Laicos & Fideles omnes afficit: ab *Interdicto* autem, quia hoc, licèt privet quoque functionibus sacris, id tamen non facit directè, & quatenus sunt tales, sed sub alia ratione, quatenus nempe sunt quædam Divinorum participatio per præsentiam, & assistentiam: deinde Interdictum privat etiam sepulturâ Ecclesiasticâ, nec solos Clericos afficit, sed etiam alios.

40. Sc. 2. Ex data definitione colligi principalem Suspensionis divisionem, nimirum quòd alia sit *Totalis*, qua quis suspenditur ab Officio & Beneficio simul, qualis esse semper intelligitur, quæ fertur terminis indefinitis & absolutis, nisi aliunde colligatur aliud; nam propositio indefinita ob suam indifferentiam æquivalet universali, & sine fundamento per Suspensionem simpliciter prolatam intelligeretur Suspensio ab Officio tantùm, vel à Beneficio tantùm. Alia autem *Partialis*, qua quis suspenditur ab alterutro tantùm, nimirum vel ab actibus Officii tantùm, vel Beneficij tantùm. Et hæc Partialis iterum potest esse vel à toto Officio, seu ab omnibus ejus actibus; aut à toto Beneficio seu ab omnibus Beneficijs, & omnibus fructibus beneficialibus, ac vocari potest Suspensio *totalis secundùm quid*: vel ab Officio ex parte, v. g. ab uno vel altero tantùm Ordinis actu, v. g. à celebratione Missarum, ab audiendis Confessionibus &c. vel tantùm à jurisdictione, vel uno actu jurisdictionis, v. g. à collatione Beneficiorum: aut à Beneficio ex parte, v. g. ab uno tantùm Beneficio, vel parte tantùm fructuum beneficialium, vel à Distributionibus tantùm; atque hanc libet vocare *partialem secundùm quid*. Sicut autem per Suspensionem simpliciter & indefinitè prolatam intelligitur Totalis absolutè, ab Officio & Beneficio simul; ita per Suspensio nem ab Officio tantùm, vel Beneficio tantùm, v. g. si dicitur in Jure, *suspensus sit*, vel *suspendatur*, *ab Officio*, intelligitur Totalis secundùm quid, propter allatam superiùs rationem. Diligenter itaque attendendum, quibus verbis utatur Jus, vel Judex, Suspensionem inferens, &, cùm possit ac soleat quis suspendi ab Officio, non debet illa extendi ad Benficium, vel viciſſim; item siquis suspendatur ab Ordine, non debet intelligi de aliis actibus Officii &c. cùm hujusmodi Suspensio non necessariò trahat alteram. per c. 10. *de Purg. Canon.* Ulteriùs dividitur Suspensio in eam, quæ est *a Jure*, & in illam, quæ procedit *ab Homine*, item quæ est *ferendæ*, & quæ *latæ sententiæ*, uti de Censuris in genere dictum *n.* 3. Demum adverte, Suspensos quoque, sicut de Excommunicatis disseruimus *n.* 25. servatâ proportione alios esse *Toleratos*, qui nempe specialiter & publicè ut tales *denuntiati* non sunt, alios verò *Non-toleratos*, qui ut tales dictò modò sunt *denuntiati*.

Dico 1. Suspendere possunt omnes & soli illi, qui in Clericum habent jurisdictionem fori externi & contentiosi. 2. non obstante, quòd Clericus aliàs subjectus (aut Religiosus) illo tempore existat extra territorium suspendentis, vel beneficium aliquod, à quo suspenditur, sit extra territorium suspendentis. 3. ut autem Suspensio feratur licitè à Superiore, ferri debet in scripto, & prævia monitione trina, vel una æquivalente trinæ. 4. Impeditur autem vel evitatur Suspensio ijs modis, quibus ab Excommunicatione incurrenda aliquis excusatur. Pars. 1 & 3. deducitur ex dictis de Censuris in genere *n.* 3. 9. Ubi tamen adverte, si Suspensio, impropriè talis, feratur non ad correctionem delinquentis, sed merè in pœnam, non requiri monitionem prævium. per c. 33. *de testib. & c.* 5. *b. t. in 6.* Pars 2. ex subjectione personali, qua Clericus suo Superiori, & Religiosus suo Prælato, adstrictus est, cùm personaliter subjectus maneat subjectus, ubicunque exstiterit, & subjectio adhæreat personæ. Nec obstat communis regula c. 2. *de Constit. in 6. & l. fin. ff. de Jurisd.* comprehensa, *extra territo-* 41

rium jus dicenti impunè non paretur: quia procedit tantùm de Legibus, Statutis, & Sententiis generalibus, quæ immediatè, non personas, sed locum & territorium afficiunt, non verò de sententia particulari, quæ immediatè fertur in personaliter subjectum. Pars 4. patet ex allatis *n. 10.*

42 Dico 2. Suspendi possunt non modò Clerici singulares subjecti. 2. sed etiam Communitates, Capitula, & Collegia Clericorum. 3. nunquam verò sine delicto, saltem aliquorum, si communitas, vel proprio personæ, si persona singularis suspendatur. 4. quod delictum regulariter debet esse grave. 5. externum, non merè præteritum, si Suspensio sit vera & propriè talis &c. Pars 1. per se liquet. Notandum tamen, quòd Episcopi ob eminentiam statûs, & ne impediantur in exercitio sui officij, non censeantur comprehendi Suspensione (uti & Interdicto) generaliter latâ, nisi eorum fiat mentio expressa. *c. 4. h. t. in 6.* quod tamen privilegium probabiliùs non est extendendum ad censuram Excommunicationis, cùm de hac nihil dicatur in *d. c.* & in positivis non valeat argumentum à pari, ut docet La Croix *to. 8. l. 7. n. 43.* cum Suar. Dicast. Gibalino. Pars 2. ex *c. quia sæpe 40. de Elect. in 6. Extrav. 1. eod. int. com. & Extrav. Sanè de Simon.* ubi exstant talia exempla. Qui tamen ex tali communitate sunt innocentes, non privantur juribus & functionibus, quæ ipsis quà singulis sigillatim competunt; sed tantùm ijs, quæ communitati quà tali collectivè, cujus sunt membra, uti v. g. est jus eligendi Prælatum &c. Pars 3. ex natura omnis pœnæ, quæ locum non habet, ubi culpa non est. Quòd verò requiratur delictum proprium personæ, si persona singularis propriè suspendatur, & privetur jure proprio jam quæsito, sumitur ex *c. 2. de Constit.* ibi: *rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.* & ex *c. 2. de his, quæ fiunt à major. part.* ibi: *cùm peccata suos autores tenere debeant &c.* nec satis æquum videretur, si innocens nocentis delictum luere deberet, jus proprium jam quæsitum amittendo. Aliud est de amissione juris communis, quod competit tantùm communitati quà tali. Si dicas, in *c. 14. de tempor. Ordinat.* puerum, ante legitimam ætatem ordinatum ex culpa aliena Episcopi, eum ordinantis, absque propria culpa fuisse suspensum ab Officio Diaconatûs, donec perveniret ad ætatem debitam; repono, illam suspensionem non fuisse veram & propriè dictam, cùm hæc non feratur ad certum & determinatum tempus, sed quandam prohibitionem, quæ ad irregularitatem reducitur & inhabilitatem, propter defectum ætatis Canonicæ. Pars 4. ex natura pœnæ gravis, quæ requirit culpam gravem, ut sit proportio inter culpam & pœnam juxta Leges Justitiæ. Nec est paritas cum excommunicatione Minore, quæ incurritur etiam ob peccatum veniale, uti docuimus *n. 34.* quia Suspensio, licèt minoribus bonis privet, quàm sit perceptio Sacramentorum, qua privat excommunicatio Minor, difficiliùs tamen tollitur, cùm ab excommunicatione Minore quilibet Confessarius valeat absolvere; imò Suspensio sæpe inducit damnum valde grave & irreparabile, nec non aliquam secum fert infamiam. Addidi tamen, *regulariter*; nam si ab Homine feratur Suspensio tantùm ab unico actu, v. g. suffragationis in Capitulo, vel à celebratione Missæ tantùm in certo loco, ut absolutè fieri potest, vel siquis impropriè suspendatur ad tempus valde breve, probabile putant DD. quòd sufficiat peccatum veniale. Pars 5. constat ex dictis *n. 8.*

Dico 3. Effectus Suspensionis violatæ est *peccatum*, regulariter grave, quo se obstringit suspensus exercendo actum, à quo suspensus est, tum *pœna*, quæ in exercente actum *Ordinis*, quo privatur suspensus, est Irregularitas, ut patet ex *tit. de Cleric. excomm. ministr.* Alia autem, nempe privatio Beneficii, si suspensus à *beneficio* se ingerat in ejus administrationem. *c. 1. §. fin. de Elect. in 6.* tum etiam, si suspensus est *denuntiatus*, seu *non-toleratus*, invaliditas actûs, si istius valor pendet ab Ecclesia, ut si exerceat suspensus actû jurisdictionis, vel beneficij, vel officij (excepto actu Ordinis.) *c. 8. de Consuet. c. 16. de Elect. c. 8. de ætat. & qualit. c. un. ne Sede vac. in 6.* quia suspensio non-tolerato adimit Ecclesia jurisdictionem, & potestatem agendi extra casum urgentissimæ necessitatis. Ingens igitur quoad effectum Suspensionis discrimen est inter suspensum *toleratum* & *non toleratum*; nam iste nunquam (extra dictum casum) agit licitè exercendo actus, à quibus suspensus est, licèt requiratur à fidelibus, imò nec fideles licitè requirunt vel petunt ab ipso talem actum, cùm teneantur ipsum vitare quoad tales actus (licèt non quoad alia) & cum ipso non communicare; inducerent enim ad peccatum, & ad hoc ei cooperarentur: deinde semper agit nulliter exercendo actus jurisdictionis, officii, & beneficii, à quibus suspensus est. Econtra ille, nimirum *toleratus*, seu non denuntiatus, quamvis agat illicitè ingerendo se in exercitium actûs, à quo suspensus est, operatur tamen licitè, si ab aliis propter summ utilitatem requiratur, nec fideles peccant ex justa causa petendo ab ipso talem actum, v. g. Missam, Absolutionem, Eucharistiam, aut alia Divina, quo casu requisitionis nec irregularitatem incurrit suspensus hujusmodi actum exercens: deinde actus ab eo gesti, etiam jurisdictionis, licèt ipse se ingesserit illicitè, non requisitus, valent omnes, modò non repellatur per exceptionem. Ratio diversitatis inter utrumque sumitur partim ex cc. citt. partim ex Bulla *Ad evitanda* Martini V. Vid. Suar. Bonac. Palao, Pirhing. *h. t. n. 210.* Wiestner *n. 113.* Cæterùm Suspensio *ab ingressu Ecclesiæ*, quæ tamen melius dicitur *Interdictum*, privat omni publico actu Ordinis & Officii Divini in Ecclesia, imò & præsentia in Ecclesia eo tempore, quo celebrantur Divina Officia, psallitur &c. non tamen extra Ecclesiam, nec privatis orationibus etiam in Ecclesia, & extra tempus, quo inibi celebrantur Divina.

44 Dico 4. Absolvere à Suspensione propriè dicta, à Jure lata, & non reservata, potest Episcopus, vel alius Prælatus jurisdictione quasi Episopali præditus in suspensum, & quidem pro utroque foro. DD. communiter ex *c. 29. h. t.* ibi: *quia tamen conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi.* Dixi 1. *Absolvere;* hoc enim modo, & non alio, tollitur omnis censura: si tamen foret suspensio impropriè dicta, v. g. lata pro tempore determinato, vel etiam sub conditione aliqua, tunc lapsu temporis, aut impleta conditione, cessaret per se, absque ulla absolutione nova. 2. *propriè dicta*, nimirum ut est pœna Medicinalis ad correctionem delinquentis; si enim in puram delicti pœnam lata est, sive ad certum tempus, sive expresse in perpetuum, solus conditor Juris relaxat: quamvis, si sine præfinito tempore, & sine expressa mentione perpetuitatis lata sit, communiùs censeant, Absolutionem Episcopo esse permissam. 3. *à Jure lata;* impositam enim ab Homine solus imponens, vel ejus successor aut delegatus, uti & (saltem validè) ejus Superior tollit. 4. *non reservata;* nam per reservationem adimitur potestas absolvendi inferioribus ab auctore Juris, nisi detur illis novum speciale privilegium, cujusmodi quoad omnem omnino suspensionem occultam, & ad forum contentiosum non deductam, pro foro interno obtinent Episcopi in Trid. *s. 24. c. 6. de Ref.* & Confessarii Societatis Jesu (& quarundam aliarum Religionũ) ut habetur in *Compend. privil.* ejusdem Societatis *v. Absolutio §. 1.* Palao, Wiestner, alii. 5. *Episcopus &c.* nam aliis inferioribus, privilegiô destitutis, etiam Confessariis pro foro interno, licèt suspensio Juris reservata non sit, communiter negatur potestas absolvendi; cùm absolutio à Suspensione non necessariò sit præmittenda absolutioni à peccatis, sicut absolutio ab Excommunicatione, quam *n.* 14. permisimus omnibus Confessariis, & Parochis, pro foro interno, si Excommunicatio non est reservata.

§. 4.

De Interdicto, Ubi etiam de Cessatione à Divinis.

45 Sciendum 1. Interdictum propriè acceptum exc. *11. de sponsal.* & *c. 11. de Pœnit.* sic definiri posse: est *censura Ecclesiastica privans usu seu participatione officiorum Divinorum omnium, aliquorum Sacramentorum, & sacræ Sepulturæ, quà talium.* Neque sollicitum te habeat, an hæc, vel aliæ definitiones, à nobis per decursum totius Juris Canonici allatæ, sint in omni rigore Logico veræ definitiones, vel tantùm descriptiones; cùm materiæ Juridicæ propter sui amplitudinem & casuum diversitatem ferè non patiantur exactas definitiones, & ideo in *l. 202. ff. de R. I.* omnis definitio in Jure periculosa dicatur. Convenit Interdictum cum aliis Censuris in generalibus, ac in causa finali speciatim, quia tanquam pœna medicinalis (nisi feratur ad certum tempus ob delictum merè præteritum in meram vindictam; quo casu propriè Interdictum non est) ordinatur ad emendationem delinquentium, & positionem contumaciæ. Differt autem ab illis, partim quia paucioribus privat bonis, quàm Excommunicatio, & sacris tantùm, non politicis & civilibus, pluribus verò, quàm Suspensio, quia privat etiam sepulturâ Ecclesiasticâ, & Laicos etiam afficit, non autem Suspensio; partim quia sub alia ratione privat rebus sacris, nimirum formaliter, directè, & quatenus de se sunt res sacræ, & ad cultum Divinum pertinentes; Excommunicatio autem & Suspensio, licèt ijsdem privent, tamen privant sub alia formalitate, nimirum Excommunicatio, quatenus prohibet communionem cum fidelibus, Suspensio autem, quatenus prohibet Clericis usum suæ potestatis Ecclesiasticæ. Et hanc differentiam indicant voces *quà talium* positæ in definitione.

Sc. 2. Interdictum dividi in Locale, Perso- 46
nale, & Mixtum. *Locale* est, quod immediatè afficit locum, ne ibi participentur Divina & Sacra: *Personale*, quod immediatè afficit personas, quæ prohibentur participare dicta bona: *Mixtum*, quod immediatè afficit & locum & personas; quod quidem non tantùm fit tunc, quando expressa fit mentio loci & personarum, sed etiam in omni Interdicto locali, utpote quod semper afficit illam vel illas personas ratione sui etiam, quæ causa fuerunt Interdicti. Discrimen inter Locale & Personale in effectu est, quòd Personale comitetur personas interdictas, ubicunque exstiterint, Locale verò non stringat existentes extra locum Interdicto suppositum. *c. 16. h. t. in 6.* Dein tam Locale quàm Personale subdividitur in *Generale* & *Particulare* seu *speciale: Generale Locale* est, quod fertur in locum generalem plura loca sub se continentem, uti est Regnum, Provincia, Civitas, Diœcesis, Parochia: *Generale Personale*, quod fertur in totam aliquam Communitatem, Collegium, Capitulum, ex pluribus personis constans, quatenus collectivè sumitur, & communitas est: *Particulare Locale*, quo interdicitur unus locus particularis, v. g. certa Ecclesia in Parochia, vel plures determinatæ: *Particulare Personale*, quo una, vel plures personæ determinatæ, quà singulares, & non quà membra communitatis, interdicuntur. Porro, sicut de Excommunicatis & Suspensis dictum, ita & ex personaliter & nominatim interdictis aliqui sunt *tolerati*, alij *non tolerati* seu *vitandi*: hi sunt soli illi, qui specialiter nominatim & publicè sunt *denuntiati* ut tales. *Extrav. Ad evitanda Martini V.*

Dico 1. Interdictum ferre possunt omnes 47
& soli illi, qui reliquas censuras. *c. 3. de Offic. Ord.* & eo modo debent, quo alias censuras uti colliges ex dictis *n. 9.* de Censuris in genere. Id observandum specialiter, quòd Prælati Regulares, saltem vi consuetudinis, neque ant ponere Interdictum Locale, sed tantùm Personale; cùm eorum jurisdictio, quoad hoc punctum saltem, respiciat solas personas sibi sub-

subjectas, non locum. Palao cum multis alijs.

48 Dico 2. Interdictum ferri potest non solùm in loca, & personas singulares. 2. Sed etiam in communitates quà tales. 3. Ita ut suô modô etiam afficiantur innocentes. 4. Episcopi verò nunquam censentur comprehensi in Interdicto Generali Personali, nisi specialis eorum mentio fiat. 5. Neque peregrini, & exteri, licèt diu habitent (uti Mercatores, Studiosi &c.) in tali populo vel communitate. 6. Licèt hi comprehendantur Interdicto Locali. 7. Exceptis Clericis quoad Sepulturam Ecclesiasticam, qui inibi, in silentio tamen, & sine Officiis Divinis, sepeliri permittuntur. Pars 1. est indubitata ex *c. 11. de Sponsal.* & concordantijs. *h. t.* Pars 2. & 3. ex *c. 17. eod. in 6.* Neque in eo iniquitas est, eò quòd delicta suos authores tenere debeant. *c. 2. de his, quæ fiunt à major. part. Cap. l. 22. C. de pœnis.* & innocentes puniri non debeant; negatur enim *suppositum*, quòd innocentes propriè puniantur, & directè, quia ipsis, quatenus cum nocentibus constituunt unum corpus & communitatem, ex justa causa per accidens & indirectè subtrahitur certus favor, seu ministerium Ecclesiasticum, & quidem, si simul locus sit interdictus, in hoc tantùm loco; nam extra illum possunt innocentes pro libitu participare Divina. *c. 16. cit.* Quamvis igitur per accidens patiantur aliquod damnum, & sic impropriè puniantur, absque sua culpa, id tamen non fit sine justa causa, quia fit propter delictum majoris partis, vel capitum communitatis: quod iniquum non est, ut patet partim à simili in bello justo, ubi per accidens multi innocentes justè patiuntur damnum, vel etiam occiduntur, cùm finis belli aliàs obtineri nequeat, partim ex *c. 23. de R. J. in 6.* ibi: *sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.* Neque replices, consultius fore, delinquentes excommunicari, quàm communitatem vel locum, ubi reperiuntur innocentes, Interdicto supponi; nam sæpe non constat, quinam determinatè sint Rei, & sic eluderetur Excommunicatio facilè, cùm quilibet se diceret innocentem. Deinde Potentes sæpe longè magis curant & timent Interdictum, quàm Excommunicationem; quia, si tota communitas, vel locus generali Interdicto supponatur, innocentes exacerbantur contra nocentes, atq; sic faciliùs isti adiguntur ad præstandam satisfactionem & ad emendationem. Pars 4. habetur *c. 4. h. t. in 6.* ut scilicet Episcoporum officium impediatur minùs, & subditorum utilitati consulatur magis. Pars 5. probatur ea ex ratione, quia in odiosis non habentur pro parte talis Populi vel Communitatis. Pars 6. ex *c. 4. & 10. de privil. in 6.* cùm talis prohibitio Divinorum spectet locum, ita ut in eo nequeant celebrari, adeóque nemini liceat ibi audire Divina, etiam aliàs non subdito, uti sunt exteri, vel exempti, quales sunt quidam Regulares, nisi habeant speciale privilegium ad non servandum tale Interdictum. Pars 7. ex *c. 11. de Pœnit. & Remiss.* modò Clerici (quo nomine veniunt in hac exceptione favorabili omnes personæ Ecclesiasticæ, etiam Regulares, & in Novitiatu adhuc degentes) non culpabilem dederint causam Interdicto, aut non personaliter sint Interdicti.

Dico 3. Causa Interdicti est delictum. 2. & 3. quidem regulariter grave. 3. atque, si Interdictum sit generale, delictum communitatis, vel saltem Capitis communitatis, & non unius tantùm vel alterius privati. Communis cum Nav. Suar. Covar. Avila ex *c. 11. de Sponsal.* Ratio, quia pœna supponit delictum, & proportionata debet esse culpæ. Dixi, *regulariter grave*, imò pro Interdicto generali requiritur fortè gravius, quàm pro Excommunicatione, quia illo involvuntur etiam innocentes secundariò & per accidens. Si tamen Interdictum non esset absolutum vel integrum, sed ad breve tempus vel partiale videretur sufficere posse peccatum venialè, quia pœna est levis, & facilè amovibilis. DD. passim cum & apud Palao,

Dico 4. Interdictum privat sequentibus bonis. 1. Officiis Divinis omnibus. *c. 17. h. t. & c. 16. eod. in 6.* quæ privatio est activa, ut ut interdictis, & in loco interdicto, ea celebrare non liceat. Nomine *Divinorum officium* veniunt actiones sacræ, quæ à solis Clericis ex institutione Christi, vel Ecclesiæ fieri permittuntur, ac per se annexæ sunt alicui Ordini sacro, uti Sacrificium Missæ, decantatio, vel recitatio communis & publica Horarum Canonicarum, Officii B. V. Psalmorum, Litaniarum, & aliarum precum Ecclesiasticarum in loco ad id specialiter deputato, benedictiones publicæ olei, chrismatis, aquæ cereorum, palmarum, nuptiarum, vestium, templi, vasorum, altaris &c. non tamen Concio, quia non ad Deum colendum, sed ad populum instruendum, ordinatur, neque Horarum Canonicarum recitatio etiam communiter & solenniter instituta à Monialibus, quæ non est annexa Ordini sacro, neque privata recitatio etiam à binis & binis facta. 2. privat usu quorundam Sacramentorum tam activo quàm passivo, scilicet collatione & susceptione. *c. 43. h. t. c. 16. & c. 24. eod in 6.* minimum Ordinis, Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ extra casum, quo hæc morientibus porrigitur per modum Viatici, item Matrimonii cum benedictione nuptiali; siquidem Sacramentum Baptismi, etiam cum ritibus & cæremoniis, propter necessitatem, & Confirmationis, quia est complementum Baptismi, conferri & recipi potest, uti & Pœnitentiæ, exceptis ijs, qui causam dedere Interdicto, nisi præstita priùs satisfactione, vel sufficienti cautione. Pariter Communio sacra per modum Viatici, & Matrimonium sine benedictione conjugum permittuntur, uti DD. passim consperant propter textus in *c. 11. de Sponsal. c. 11. de Pœnit. c. 19. c. 24. h. t. in 6. & c. 17. eod.* X. Quòd autem Matrimonium sine benedictione liceat contrahere, DD. deinunt ex eo, quia principaliter est contractus, & ratio Sacramenti ei primùm superadditi Dissentit Ugolin. & Bonac. aliique. 3. privat

Sepul-

Sepulturâ Ecclesiasticâ, tam activè quàm passivè. *c. 3. de prjvil. c. 8. eod. in 6. c. 11. de pœnit.* exceptis tamen personis Ecclesiasticis: respectu quarum juxta *n. 48.* hæc privatio non est passiva, sed sepeliri possunt in loco ad sepulturam aliàs deputato, licèt interdicto, at sine pulsatione campanarum & aliis solennitatibus: item exceptis personaliter interdictis, non specialiter denuntiatis; nam & hi in loco sacro, non tamen interdicto, sepeliri permittuntur, saltem ut tenent multi ex *Extrav. cit. c. 24. de privil. c. 8. eod. in 6.* imò, & nominatim denuntiati, si cum pœnitentia decesserunt, priùs tamen indirectè post mortem absoluti à censura Interdicti. Sayr. Avil. La Croix &c. 4. denique privat ingressu Ecclesiæ. *c. 48. h. t. c. 20. eod. in 6.* Sed, quia hæc privatio per se & absolutè non est annexa Interdicto, sed est quasi novum Interdictum, ideo requiritur specialis sententia. Hujus Interdicti in Jure fit frequens mentio, & ex voluntate Tridentini loco Excommunicationis vel Suspensionis ab officio, per quas censuras facilè redundat incommodum in subditos, Prælatis Ecclesiasticis infligi quandoque debet; cùm hoc Interdictum relinquat eis jurisdictionis exercitium. Cæterùm interdictus ab ingressu Ecclesiæ probabiliter in cœmeterio potest celebrare & audire Divina, ac in ipsa Ecclesia privatim preces fundere, atque Sacramenta inibi percipere. Covarruv. Avil. Palao &c.

Porro prima pars quoad privationem Officiorum Divinorum limitatur in Interdicto *Locali Generali*, quòd semel in hebdomade ad conficiendam Evchariſtiam celebrare Missam liceat. *c. 57. h. t.* imò juxta *c. 24. eod. in 6.* in Monasterijs & Ecclesiis Regularium quotidie, sed submissa voce, januis clausis, ut ab extra Ecclesiam existentibus videri nequeant Divina officia, sine pulsatione campanæ, imò & tintinnabuli ad *Sanctus* & ad *Elevationem*, atque exclusis nominatim interdictis & denuntiatis, item Laicis quibuscunque, quamquam personæ Ecclesiasticæ possint in Ecclesia eidem Sacrificio interesse. 2. quòd in certis festivitatibus, nempe Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, & Assumptionis B. V. MARIÆ. *c. 24. cit.* & juxta *Constit. Ineffabile* Martini V. & *Const. Excellentissimum* Eugenij IV. in Festo Corporis Christi, ejusque tota Octava, item juxta indultum Leonis X. in Festo Immaculatæ Conceptionis per totam Hispaniam permissum sit celebrare Missam ac alia Divina Officia, apertis etiam januis, & cum omni solennitate, ac præsente populo. Quando autem permittitur celebratio Missæ, censetur quoque permissa Communio sacra. His igitur diebus Interdictum est suspensum de Jure.

51 Quæres, quid requiratur, ut obliget Interdictum, & dictis bonis privet? R. Si est Interdictum Locale, à Jure positum, requiritur cognitio & declaratio seu denuntiatio Judicis Ecclesiastici, ut nimirum legitimè constet, delictum, cui annexum est Interdictum, verè esse patratum, & nullus prætendere ignoran-

tiam possit. Si verò est Interdictum Personale, opus est, ut personaliter & specialiter *denuntientur* personæ; secus enim fideles non tenentur eas vitare, sed, si interdicti sint Clerici, ab eis Divina Officia, Missas &c. licitè requirunt, saltem ex causa justa; quamvis ipsi, non requisiti, licèt specialiter denuntiati non sint, sed tolerati, teneantur abstinere, & se non ingerere. *Extrav. Ad evitanda.* Martini V. *cit.* 2

Dico 5. Effectus Interdicti violati est par 5
tim *peccatum*, per se mortale, quia violatur præceptum Ecclesiæ in re gravi, nisi nempe excuset vel ignorantia vel parvitas materiæ; partim *pœna*, quæ quidem in Laicos nulla reperitur statuta in Jure, excepto domino temporali loci, qui compellit Clericum ad celebrandum in loco interdicto, item exceptis personaliter interdictis & denuntiatis, qui, postquam jussi sunt, non exeunt de templo, ubi celebratur Missa; hi enim incurrunt Excommunicationem reservatam Papæ. *Clem. 2. h. t.* Personæ verò Ecclesiasticæ sic puniuntur in Jure. 1. Clericus personaliter interdictus actum Ordinis, item interdictus ab ingressu in Ecclesiam, & hoc Interdictum violans, fit irregularis. *c. 1. c. 18. §. is verò. c. 20. h. t. in 6.* 2. fit ineligibilis & impostulabilis ad Dignitates Ecclesiasticas tam activè quàm passivè. *c. 18. cit.* 3. Clericus (uti & Religiosus) personaliter quidem non interdictus, at illicitè præsumens celebrare Divina in loco interdicto, vel coram interdictis non-toleratis vel eos ad Sepulturam admittere, arcetur ab ingressu Ecclesiæ, donec satisfecerit illi, cujus sententiam violavit. *c. 8. de Privil. in 6.* 4. Religiosi, etiam exempti, qui non servant Interdictum locale, quod servatur in Ecclesia Cathedrali, vel Matrice, vel Parochiali illius loci, incurrunt Excommunicationem. *Clem. 1. h. t.* Denique eandem Excommunicationem contrahunt sepelientes interdictum denuntiatum, vel non interdictum personaliter in loco interdicto, extra casus à Jure permissos. *Clem. 1. de Sepult.*

Dico 6. Interdictum à Jure latum, pro 53
priè dictum, tollitur per relaxationem, seu Absolutionem. 2. & quidem, si sit *Locale*, vel *Personale Generale*, seu latum in communitatem, solus ille potest relaxare, qui jurisdictionem Episcopalem in talem locum, vel communitatem habet, exclusis etiam Religiosis, qui privilegium obtinent absolvendi ab aliis Censuris; quia istud se extendit ad solum forum internum Pœnitentiæ, cui nec locus, neque communitas subijcitur. 3. si verò sit *Personale Particulare Interdictum*, tunc videndum, an sit reservatum, vel non: reservatum quidem per se relaxare spectat ad solum Juris conditorem Pontificem, ex privilegio tamen, si sit occultum & ad forum contentiosum non deductum, ad Episcopos pro foro interno, item pro eodem foro ad Religiosos Mendicantes: si non sit reservatum, non tantùm Episcopis & Religiosis, sed etiam Parochis, Confessariis, à mortali absolvere potentibus, permissa videtur absolutio. 4. si

denique Interdictum est latum ab homine per sententiam specialem, sive Locale sive Personale, solus auctor, vel ejus successor, vel Superior, vel horum delegatus absolvere potest. Patent ex *n. 14. 38. 44.* de absolutione à Censuris in genere, ac in specie ab Excommunicatione & Suspensione. Procedunt autem hæc de Interdicto propriè dicto, prout est pœna Medicinalis; si enim esset latum vel ad certum tempus, aut sub conditione; vel in perpetuum in meram pœnam ob delictum purè præteritum; tunc in priori casu per lapsum temporis, aut impletionem conditionis, sine nova relaxatione Superioris cessaret; in posteriori verò (uti & in priori casu, si ante lapsum temporis præfixi, vel impletam conditionem, relaxatio peteretur) solus ille, qui posuit, ejusque successor aut Superior vel delegatus tollere potest. Text. Gl. DD. *in c. 11. de Sponsal. & c. 17. h. t. in 6.* Suar. *d. 38. de Censuris Sect. 2. n. 2.* aliique.

54 Dico 7. *Cessatio à Divinis* (quæ & *Suspensio Organorum*, vel *Laudis Divinæ*, dicitur) est *prohibitio Ecclesiastica Clericis imposita, ut abstineant ab Officiis Divinis, & Sacramentorum administratione in aliquo loco, ob grave delictum, in contestationem mœroris.* DD. passim ex *c. 11. cit.* Explico descriptionem, in qua dixi 1. *prohibitio Ecclesiastica*; non enim inter Censuras reputatur, licèt Interdicto vicina sit, ac induci debeat & possit ab eo tantùm, qui jurisdictionem Ecclesiasticam in foro externo habet; uti & ab eodem, vel ejus successore, aut Superiore relaxari: nec durare debet ultra mensem; si enim intra hoc tempus inter eum, qui indixit Cessationem, & eum, qui per culpam suam ei causam dedit, non fiat compositio, nec ab iis causa Romam fuerit delata, desinit ista prohibitio per se. *c. 8. in fine de Off. Ord. in 6.* Dixi 2. *Clericis imposita*; quia ad hos solos spectat Officia Divina in Ecclesiis solenniter peragere, & administrare Sacramenta. Interim tamen, si Cessatio à Divinis servetur in Ecclesia Matrice, eandem servare probabiliùs tenentur quoque Religiosi, etiam Exempti, in suis Ecclesiis, & quidem sub pœna Excomunicationis, per *Clem. 1. h. t.* & Trid. *s. 25. c. 12. de Regular.* quod videtur respicere & confirmare *Clem. cit.* Dixi 3. *ut abstineant ab Officiis Divinis*; quid horum nomine intelligatur, disces ex *n. 50.* Probabiliùs tamen non comprehenditur Sepultura Ecclesiastica, quæ fit sine solennitate Divinorũ Officiorum; quia in Jure non exprimitur clarè. Dixi 4. *& Sacramentorum administratione*, scilicet aliquorum, non omnium, uti in Interdicto fit: sic licitum est ministrare Baptismum, Confirmationem, Pœnitentiam, & Matrimonium sine benedictione tamen Nuptiali. Dixi 5. *in aliquo loco*, sive ille sit generalis, plura sub se continens loca, uti provincia, civitas, castrum, sive particularis, uti determinata Ecclesia, Cœmeterium, Oratorium. Et hinc alia Cessatio à Divinis est *Generalis*, alia *Particularis* seu *Specialis*. Dixi 6. *ob grave delictum*; cùm cessatio hæc sit pœna gravis. Debet quoque esse notorium notorietate facti, & delinquens priùs moneri, an satisfactionem præstare velit; quia, uti Censuræ, tendit ad illius emendationem, & ideo non nisi ob contumaciam indicenda. Si is nolit satisfacere, & sic evadat causa Cessationis justè ac validè indictæ, tenetur ad damna omnia, innocentibus indè provenientia, resarcienda, & insuper arbitriô Superioris condemnandus est ad mulctam vel pœnam ad augendum & aliqualiter reparandum cultum DEI interea omissum. *c. 2. & 8. de Off. Ord. in 6.* Dixi 7. *in contestationem mœroris*; quia non indicitur principaliter & directè in pœnam, uti Censuræ, sed in signum doloris ob gravem injuriam, Clericis, vel Ecclesiæ, aut honori Divino illatam, ut hac ratione delinquens cogitur ad desistendum ab injuria, & ad reparandum Dei cultum. Atque hæc de Cessatione à Divinis, quæ rarì apud nos hodie est usus, uti & Interdictum, sufficiant.

TITULUS XL.

De Verborum Significatione.

SUMMARIUM.

1. 2. *Ingressus. Et quotuplex sit Verborum significatio.*
3. *Verba sunt accipienda juxta mentem proferentis.*
4. *Si de ea non constet aliunde, regulariter in sensu proprio.*
5. *Magis tamen in Usuali, quàm proprio & primævo.*
6. *Generalia sunt generaliter intelligenda regulariter.*
7. *Specialia plus operantur, uti & geminata. Duæ negationes an semper faciant affirmationem.*
8. *Si verba sint dubia, quomodo interpretanda.*

SCiendum 1. præsentem, & subsequentem Titulum *de Regulis Juris*, per modum Appendicis vel Colophonis adjungi Libris quinque, & Sexto Decretalium; quia non comprehendunt materiam specialem, sed communem superioribus Titulis, & per universum Jus Canonicum diffusam. Atque hinc in Scholis passim explicari non solent, sed à quibusdam, quos & mihi sequi non displicet, in hoc Titulo tantùm aliquas regulas de recta verborum Juris sensu, intelligentia, & interpretatione breviter tradi; cùm in materiis juridicis etiam quæstiones de verbis & nomine non rarò sint magni momenti, & à recta verborum intelligentia ac interpretatione decisiones gravissimæ pendeant. Unde

Sc. 2. *Significationem Verborum*, seu vocum, aliam esse *Propriam*; quæ nimirum ex primæva institutione ac voluntate libera introducentium ipsis est imposita, cùm sint signa ex placito; & aliam *Usualem*, seu *Consuetudinariam*, quam habent ex usu communi moderno peritorum; & aliam *Abusivam*, quam obtinent ex usu & acceptione vulgi & rudium contra institutionem primævam & usum comm-

communem peritorum; aliam *Civilem* seu *Juridicam*, in qua Jus, Lex vel Canon, accipit voces, ut quando deportatus vel Religiosus vocatur mortuus, vel legitimati per subsequens Matrimonium legitimi; & aliam *Naturalem*, quæ ferè coincidit cum Propria, vel Usuali.

3 Dico 1. Verba sunt semper accipienda juxta mentem & intentionem proferentis, quæ velut regina semper attendi debet. *l. 69. pr. ff. de Legat. III. c. 6, h. t.* Undeunde ergo de mente proferentis constiterit, ea potiùs, quàm verba, licèt, si sola considerentur, alium sensum præseferant, attendēda, & hæc secundùm illam intelligenda sunt; nam *verba intentioni, non intentio verbis deservire debet*, ut habet commune brocardicum ex *c. 6. 8. eod. can. 11. caus. 22. q. 5.* desumptum.

4 Dico 2. Si aliunde non constet de mente proferentis, verba sunt accipienda in sensu proprio, etiam in materia odiosa, saltem regulariter. *l. 69. cit. c. 2. de translat. Episc. c. 12. de Decim.* quia verba secundùm propriam & communiter receptam significationem accepta optimè nos deducunt ad cognoscendam mentem proferentis, saltem periti. *Regulariter*, inquam; quia hoc non est perpetuum, sed fallit 1. si ex verbis propriè acceptis sequeretur absurdum. 2. vel dispositio careret effectu, & inutilis redderetur. 3. si aliud exigat vel subjecta materia, vel persona, quibus proferens præsumitur se voluisse accommodare. *l. 69. & c. 6. citt. c. 45. in 6. & l. 7. ff. de R. J.* vel aliunde constet de mente illius, juxta dicta. 4. si ex antecedentibus vel subsequentibus aliud haud obscurè colligi possit. 5. si verba sint aliquo modo ambigua, & ex eorum propria acceptione sequeretur vel contradictio, vel Juris correctio, vel derogatio juris alieni jam quæsiti, vel præsumptio delicti &c. DD. passim. Id quod magis explicabitur in Assertione 6.

5 Dico 3. Verba sunt potiùs intelligenda in sensu usuali & communi peritorum, quàm in proprio & primævo. Communis; quia vis verborum juxta communem cum Plutarcho comparatur valori nummorum, qui à communi & usitato hominum sensu metiendus est, & primæ significationes solent exolescere; sicut Jus recentius prævalet antiquiori, si conciliari nequeant. Consonat *l. 50. §. 3. ff. de Legat. I.* Interim tamen regulariter significatio naturalis præhaberi debet Juridicæ, si dispositio patiatur utrumque sensum. *l. 121. §. 2. ff. de V. O. l. 76. ff. de condit. & demonstr.*

6 Dico 4. Verba generalia generaliter sunt intelligenda, ita ut ad omnes species & contenta sub genere extendantur, nisi adsit causa restringendi. *l. 1. ff. de Legat. præstand. l. fin. ff. de auro, arg. &c. leg. l. 15. §. 26. ff. de injur. l. 41. ff. de pœn. l. de pretio. ff. de Publiciana in rem act.* ex quibus desumpta est hæc regula: *ubi lex non distinguit, neque nos debemus distinguere.* Idque non tantùm procedit in dispositione generali, utpote latiùs per se patente, juxta illud, *plus tollit negatio, quàm ponit affirmato;* cùm negatio dicatur esse malignantis naturæ, & omnia neget, quæ post se invenit. *l. 13. §. 3. 4. ff. de reb. dub.* neque tantùm quando propositio est universalis, seu aliquo signo universali *omnis, nullus &c.* affecta, sed etiam quando est indefinita, seu per terminos communes sine signo universali prolata; hæc enim æquivalet per se locutioni generali. *c. 22. de privil. l. 1. §. 4. ff. de off. Præf. urb.* Maximè id procedit in dispositione Legali. *c. 1. de Constit. l. 8. ff. l. 3. C. de LL.* Dixi, *nisi adsit causa restringendi*, quæ multiplex esse potest, & frequens. 1. si restrictionem exigat subjecta materia, vel persona, quas respicit dispositio, vel aliunde de alia mente proferentis constet. *l. 47. §. 1. ff. de pactis l. 1. C. de SS. Eccl.* 2. si universalis intellectus induceret pravum sensum, vel páreret absurdum, vel deduceret ad illicita, vel ad ea, quæ in potestate proferentis non sunt, aut rectæ rationi contraria, vel præjudicaret juri tertii jam quæsito. 3. si sit in materia pœnali, aut odiosa. 4. si generalis dispositio fundetur in ratione speciali eáque expressa, tunc enim extensio non est facienda ultra species sub ea ratione comprehensas. 5. utì nec ad ea generalis locutio extendi debet, quæ sunt graviora expressis. *c. 15. de Reform.* 6. nec ad illa, quæ de Jure vel Consuetudine postulant expressam mentionem. *c. 4. & 5. de procurat. in 7.* Neque tunc includit omnia specialia, quando certa quædam exprimit in specie.

7 Dico 5. Verba specialia plus operantur, quàm generalia, & sic species derogat generi, non genus speciei. 2. verba geminata plus, quàm simplicia. 3. & verba negativa geminata in eadem oratione; licèt enim aliàs duæ negationes faciant affirmationem ordinariè. *l. 237. ff. h. t.* quandoque tamen faciunt, & augent negationem. Pars 1. habetur *l. 15. & l. 41. citt. l. 80. ff. & c. 34. in 6. de R. J.* Pars. 2. *l. 32. ff. ad S. C. Trebell.* quia magis seriam & enixam omníque metu liberam voluntatem indicat geminatio. Pars 3. sumitur ex *c. 19. §. fin. de homicid.* ibi: *constanter negavit, quòd præmissa minimè perpetravit.* Concordat modus loquendi in Germanico, Er hat nie nichts böses gethan ꝛc. Quando autē duæ negationes non faciant affirmationem, desumendum est vel ex usu alicujus Nationis, vel ex fine loquentis, indicare volentis vehementiam negationis, ut fit sæpius in lingua Germanica, vel si sequeretur absurdum ex affirmatione inducta, vel sensus Juri, aut loquenti contrarius.

8 Dico 6. Si verba aliquo modo dubia sint & ambigua (nam in claris non habet locum interpretatio) ita sunt interpretanda. 1. ut consonent menti loquentis aliunde cognitæ. 2. regulariter ut evitetur inquitas, vel peccatum, vel præjudicium tertij. 3. ut evitetur contradictio, vel Juris correctio. 4. ut consonent rei ac subjectæ materiæ vel personis, circa quas proferuntur. 5. ut consonent præcedentibus, vel subsequentibus. 6. ut operentur aliquem effectum, & non sint su-

perflua. 7. licèt potiùs sustineatur superfluitas, & carentia effectûs, vel etiam improprietas verborum, ita ut potiùs in sensu improprio accipiantur, quàm absurdum, iniquitas, gravis læsio tertij, vel aliquid ultra limites subjectæ materiæ admittatur. 8. ut dispositio vel actus valeat potiùs, quàm pereat. 9. ut à communibus Juris regulis quàm minimè recedat. 10. ut potiùs sint contra proferentem, quàm pro illo, præsertim in Legibus, & Contractibus, servatâ tamen, quantùm potest, æqualitate inter contrahentes. Pars 1. sumitur ex *c. 6. & c. 69. citt.* sed mens inter alia vel maximè elucet ex ratione adjecta, quæ est quasi anima dispositionis, & quasi idem cum mente loquentis. Pars 2. ex *c. 2. de R. J. c. 15. de Offic. Deleg. & l. 4. C. de emancip. lib.* Pars 3. ex *c. 6. de fid. Instrum. c. 29. de Elect. in 6. l. un. C. de inoffic. dot.* Pars. 4. ex *c. 45. de R. J. in 6. & l. 67. ff. eod.* Pars 5. ex *l. 24. ff. de LL. l. 50. in f. ff. de Legat. I. l. 23. ff. de hæredit. petit* Pars 6. ex *c. 4. de Cler. non resid. l. 1. §. 2. ff. Quod quisque juris.* Pars 7. ex communi DD. apud Tusch. Mantica, Cravetta *Consil. 79. n. 29.* König *h. t. n.* 7. Wiestner *eod. n. 22.* Pars 8. ex *l. 80. ff. de V. O.* Pars 9. ex *l. 54. §. 1. ff. Locat. l. fin. §. 6. C. de Jure deliber. & c. 15. de Off. deleg.* Pars 10. ex *c. 57. in 6. & l. 172. ff. de R. J.* sibi enim imputare debet proferens, quòd mentem suam non clariùs expresserit. Quòd autem ratio æqualitatis & æquitatis observari debeat in contractibus, patet ex *l. 4. C. Commun. Divid. & l. 8. C. de Judic.* Hæc tamen regula non procedit in sententiis Judicum, & actibus Judicialibus. *l. 66. ff. eod.*

TITULUS XLI.

De Regulis Juris.

SUMMARIUM.

1. 2. 3. *Ingressus. Regula Juris quid & quotuplex.*
4. *Quam vim habeant Regulæ Juris authenticæ.*
5. *Patiuntur suas exceptiones.*
6. *Exceptio firmat regulam in contrarium.*
7. 8. *Quot sint Regulæ Juris, & quænam Juris Canonici.*

1 SCiendum 1. Ut cursum meum, secundùm leges Justitiæ in V. Decretalium libris comprehensas hucusque institutum, ad Dei gloriam principaliter, tum verò ad meorum Discipulorum utilitatem, synceriſſimè ordinatum, non extra rhombū saltando, sed *secundùm regulam* currendo finiam, breviter adhuc aliquid dicendum superesse *de Regulis Juris*, de quibus fusior explicatio in Scholis dari non consuevit, nec ordinariè in Libris; quamvis non desint, qui vel peculiares tractatus de ijs ediderint, uti Dynus & Petrus Peckius, vel suis libris annexuerint, ut Henricus Canisius, Barbosa, P. Streinius, & noviſſimè P. Wiestner, qui proin utiliſſimè inspiciuntur.

2 Sc. 2. Regulas Juris nihil esse aliud, quàm breves sententias, axiomata, & propositiones generales, ex Legibus vel SS. Canonibus deductas, quæ serviunt velut generalia quædam principia ad causas ritè decidendas, generalibus proposita verbis & brevi sententia; nam *regula est, quæ rem, quæ est, breviter enarrat. l. 1. ff. h. t.* Hæ quidem regulæ non constituunt novum Jus, sed jam constitutum supponunt, utpote deductæ ex Legibus & Canonibus jam præcedentibus; nam ex Regula non fit jus, sed ex Jure Regula. *l. 1. cit.* Quæ etiam causa fuit, ut tam Juris Canonici Compilator in fine Decretalium, quàm Imperator in fine Pandectarum, ex professo primùm posuerint Regulas Juris, tanquam summam & compendium Juris, jam antè constituti; licèt hinc indè in prioribus Titulis jam aliquas inserserint. Unde sine Juris notitia non satis perfectè penetratur sensus, vis, & veritas Regularum.

Sc. 3. Regulas Juris dividi in Authenticas, & merè Doctrinales: *Authenticæ* sunt, quæ authoritate Legislatoris, Sacri vel Politici, in Corpore Juris, Canonici vel Civilis, præsertim in hac Rubrica sedem obtinuerunt: *Doctrinales*, quæ etiam vocantur *Brocardica*, sunt axiomata Juris consultorum vel aliorum Doctorum, à nullo Legislatore in vim Legum authentizata, nec in Corpore Juris posita, sed ab ijsdem DD. deprompta vel ex Juris tertibus, vel ex Philosophorum dictis, uti sunt: *Spoliatus est ante omnia restituendus: Sine litis contestatione non valet processus: Privatio supponit habitum.* Quæ, licèt contemnenda non sint, non tamen nisi cautè & circumspectè allegenda; cùm innumeras patiantur exceptiones, nec authoritatem habeant & vim probandi, nisi in quantum suffulciuntur Legum Canonúmve auxiliò, vel Curiarum usu recepta & approbata sunt.

Dico 1. Qui Regulam Authenticam habet pro se, non tantùm habet intentionem sufdatam in Jure, ut liberetur ab onere probandi. *arg. c. 2. de Restit. Spol. in 6.* sed etiam jus certum, ita ut pro ipso pronuntiandum sit, nisi Adversarius doceat, illud, de quo est quæstio, non comprehendi sub Regula, sed ab ea exceptum esse. *l. 5. ff. de Probat.* Imò sententia contra Juris Regulam lata non minùs est nulla, ac illa, quæ fertur contra Legem vel Canonem, ut docent cum Peckio.

Dico 2. Regulæ Juris patiuntur *suas exceptiones*, & subinde multas. Patet tum ex trito brocardico, *nulla regula sine exceptione*, quod & ipsum non procedit universaliter, sed patitur exceptionem in hac regula, *liber homo non usucapitur*, prodita *§. 1. Inst. de Usucap.* tum ex Auctoribus. Oppones: juxta dicta priori Titulo verba generalia sunt generaliter accipienda, ita ut verificentur de omnibus sub ista generalitate comprehensis: sed Regulæ Juris sunt sententiæ generales: ergo generaliter de omnibus contentis accipiendæ: ergo non patiuntur exceptiones ullas. R. sunt quidem regulæ generales, non tamen in sensu absoluto, sed in accommodo, uti hæc propositio, *Cœlum tegit omnia*; non enim absolutè omnia tegit, quia se ipsum non tegit. Imò, cùm Regulæ Juris habeant maximam amplitudi-

nem

nem & generalitatem, plurimas recipiunt exceptiones; cùm plurimæ possint circumstantiæ circa factum emergere vel intervenire, propter quam varietatem facti & circumstantiarum variari & Jus necesse est. Unde fallitur, qui existimat, se totum Jus intelligere, si noverit Regulas Juris; cùm sint merissimum compendium innumeris exceptionibus, sicut circumstantiarum mutationibus ipsa causa, obnoxium.

6 Dico 3. Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis, h. e. censentur comprehensi in Regula, quos exceptio indè non subtrahit. Est commune axioma ex *l.* 12. *de Judic.* sed iterum ob generalitatem suam patiens exceptionem & limitationem; nisi nempe vel similitudo, vel eadem ratio, vel correctio Juris, aut absurdum aliàs secuturum, vel aliunde perspecta mens disponentis postulet, exceptionem etiam ad casus specialiter & expressè non exceptos extendendam esse.

7 Dico 4. Regulæ Juris ad hanc Rubricam in *Digestis* omnino 211. (ducentæ & undecim) quas Legistis inspiciendas & considerandas relinquo: in *Decretalibus* verò *extra* 11. (undecim tantùm) in *Sexto* autem 88. (octoginta octo) reperiuntur expressæ, quas Lectori, qui non semper ad manum habet Corpus Juris, legendas hìc ob oculos pono ijsdem verbis & ordine, quibus in Corpore Juris Canonici sunt descriptæ.

REGULÆ JURIS.

Prout reperiuntur in fine V. Decretalium Gregorij IX.

1. *Omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur.*
2. *Facta, quæ dubium est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretemur.*
3. *Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur.*
4. *Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitũ.*
5. *Quod latenter, aut per vim, vel aliàs illicitè introductum est nulla debet stabilitate subsistere.*
6. *In ipso causæ initio non est à quæstionibus inchoandum.*
7. *Quidquid in sacratis Deo rebus, & Episcopis, injustè agitur, pro Sacrilegio reputatur.*
8. *Qui ex timore facit præceptum, aliter, quàm debet, facit, & ideo jam non facit.*
9. *Offendens in uno factus est omnium reus.*
10. *Non potest esse Pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & Pastor nescit.*
11. *Indignum est, ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.*

REGULÆ JURIS.

Prout sunt in Sexto Decretal. Bonifacij VIII.

1. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine institutione Canonica obtineri.*
2. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.*
3. *Sine possessione præscriptio non procedit.*
4. *Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum.*
5. *Peccati venia non datur nisi correcto.*
6. *Nemo potest ad impossibile obligari.*
7. *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona.*
8. *Semel malus semper præsumitur esse malus.*
9. *Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum.*
10. *Ratihabitionem retrotrahi, & mandato non est dubium comparari.*
11. *Cùm sunt partium jura obscura, reo favendum est potiùs, quàm actori.*
12. *In Judicijs non est acceptio personarum habenda.*
13. *Ignorantia Facti, non Juris, excusat.*
14. *Cùm quis in jus succedit alterius, justam ignorantiæ causam censetur habere.*
15. *Odia restringi, & favores convenit ampliari.*
16. *Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum.*
17. *Indultum à Jure beneficium non est alicui auferendum.*
18. *Non firmatur tractu temporis, quod de Jure ab initio non subsistit.*
19. *Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.*
20. *Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.*
21. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest.*
22. *Non debet aliquis alterius odiò prægravari.*
23. *Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.*
24. *Quod quis mandatò facit Judicis, dolò facere non videtur; cùm habeat parére necesse.*
25. *Mora sua cuilibet est nociva.*
26. *Ea, quæ fiunt à Judice, si ad ejus non spectant officium, viribus non subsistunt.*
27. *Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.*
28. *Quæ à Jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda.*
29. *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.*
30. *In obscuris minimum est sequendum.*
31. *Eum, qui certus est, certiorari ulteriùs non oportet.*
32. *Non licet Actori, quod Reo licitum non existit.*
33. *Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.*
34. *Generi per speciem derogatur.*
35. *Plus semper in se continet, quod est minus.*
36. *Pro possessore habetur, qui dolò desiit possidere.*
37. *Utile non debet per inutile vitiari.*
48. *Ex eo non debet quis fructum consequi, quod nisus extitit impugnare.*
39. *Cùm quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo.*
40. *Pluralis locutio duorum numerò est contenta.*
41. *Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum.*
42. *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*
43. *Qui tacet, consentire videtur.*
44. *Is, qui tacet, non fatetur: sed nec utique negare videtur.*
45. *In-*

45. *Inſpicimus in obſcuris, quod eſt veroſimilius, vel quod plerumque fieri conſuevit.*
46. *Is, qui in jus ſuccedit alterius, eo jure, quo ille, uti debebit.* (tur.
47. *Præſumitur Ignorantia, ubi ſcientia non proba-*
48. *Locupletari non debet aliquis cum alterius injuria aut jactura.*
49. *In pœnis benignior eſt interpretatio facienda.*
50. *Actus Legitimi conditionem non recipiunt, neque diem.*
51. *Semel DEO dicatum non eſt ad uſus humanos ulteriùs transferendum.*
52. *Non præſtat impedimentum, quod de Jure non ſortitur effectum.*
53. *Cui licet, quod eſt plus, licet utique, quod eſt minus.*
54. *Qui prior eſt tempore, potior eſt jure.*
55. *Qui ſentit onus, ſentire debet commodum, & econtra.*
56. *In re communi potior eſt conditio prohibentis.*
57. *Contra eum, qui legem dicere potuit apertiùs, eſt interpretatio facienda.*
58. *Non eſt obligatorium contra bonos mores præſtitum juramentum.*
59. *Dolò facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem.*
60. *Non eſt in mora, qui poteſt exceptione legitima ſe tueri.*
61. *Quod ob gratiam alicujus conceditur, non eſt in ejus diſpendium retorquendum.*
62. *Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur.*
63. *Exceptionem obiiciens non videtur de intentione adverſarij confiteri.*
64. *Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi.*
65. *In pari delicto, vel cauſa, potior eſt conditio poſſidentis.*
66. *Cùm non ſtat per eum, ad quem pertinet, quò minùs conditio impleatur, haberi debet perinde, ac ſi impleta fuiſſet.*
67. *Quod alicui ſuo non licet nomine, nec alieno licebit.*
68. *Poteſt quis per alium, quod poteſt facere per ſeipſum.*
69. *In malis promiſſis fidem non expedit obſervari.*
70. *In alternativis electoris eſt electio, & ſufficit alterum adimpleri.*
71. *Qui ad agendum admittitur, eſt ad excipiendum multò magis admittendus.*
72. *Qui facit per alium, eſt perinde, ac ſi faciat per ſe ipſum.*
73. *Factum legitimè retractari non debet, licèt caſus poſtea eveniat, à quo non potuit inchoari.*
74. *Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet aliis in exemplum.*
75. *Fruſtra ſibi fidem quis poſtulat ab eo ſervari, cui fidem à ſe præſtitam ſervare recuſat.*
76. *Delictum perſonæ non debet in detrimentum Eccleſiæ redundare.*
77. *Rationi congruit, ut ſuccedat in onere, qui ſubſtituitur in honore.*
78. *In argumentum trahi nequeunt, quæ propter neceſſitatem aliquando ſunt conceſſa.*
79. *Nemo poteſt plus juris transferre in alium, quàm ſibi competere dignoſcatur.*
80. *In toto partem non eſt dubium contineri.*
81. *In generali conceſſione non veniunt ea, quæ quis non eſſet veroſimiliter in ſpecie conceſſurus.*
82. *Qui contra Jura mercatur, bonam fidem præſumitur non habere.*
83. *Bona fides non patitur, ut ſemel exactum iterum exigatur.*
84. *Cùm quid unâ viâ prohibetur alicui, ad id aliâ non debet admitti.*
85. *Contractus ex conventione legem accipere dignoſcuntur.*
86. *Damnum quodi quis ſuâ culpâ ſentit, ſibi debet, non aliis, imputare.*
87. *Infamibus portæ non pateant dignitatum.*
88. *Certum eſt, quòd is committit in legem, qui legis verba complectens contra legis mentem voluntatem.*

Atque hæc omnia cedant imprimis ad laudem *Primæ Regulæ* omnis honeſtatis, deinde verò ad *regulandos* Legentium mores ſecundùm mentem SS. Canonum. Si bene huc usque ſcripſi, non aliam peto mercedem, quàm Deum ter Optimum Maximum, cujus majorem, & diſcentium utilitatem, cupio indè promoveri quàm maximè: ſi malè, & erroris aliquid, quod humanum eſt, hinc indè irrepſit, veniam precor, & omnia Apoſtolicæ Sedi, veritatis magiſtræ, corrigenda demiſſè ſubmitto, pro qua tuenda non calamum modò, ſed & vires omnes ac vitam ipſam jam pridem devovi.

INDEX